JURIS CANONICI

ET

JURIS CANONICO-CIVILIS

COMPENDIUM

A. DE MEESTER, J. C. D.
CANONICUS TITULARIS ECCLESIAE CATHEDRALIS.

JURIS CANONICI
ET
JURIS CANONICO-CIVILIS
COMPENDIUM

olim a Rev^mo De Brabandere et R^do adm. Dom. Van Coillie editum

NOVA EDITIO
AD NORMAM CODICIS JURIS CANONICI



Conserva, fili mi, praecepta patris tui,
et ne dimittas legem matris tuae....
Quia mandatum lucerna est, et lex lux,
et via vitae increpatio disciplinae.
PROV., VI, 20 et 23.

TOMUS TERTIUS. PARS SECUNDA
Liber IV et V cod. jur. can.

BRUGIS
SUMPTIBUS ET TYPIS SOCIETATIS SANCTI AUGUSTINI
DESCLÉE DE BROUWER ET S^ii
Anno 1928

15651

NIHIL OBSTAT
Brugis, 25 Martii 1928.
H. VANDEN BERGHE.

IMPRIMATUR
Brugis, 25 Martii 1928.
† G. J. EPISC. BRUGEN.

INDEX.

LIBER QUARTUS.

DE PROCESSIBUS.

PARS PRIMA. — DE JUDICIIS.

Bibliographia et ordo codicis 1
INTRODUCTIO 2
§ 1. De judicii notione et varia specie . . . . . »
§ 2. De potestate Ecclesiae judiciaria 5

Sectio I. — De judiciis in genere.

TITULUS I. — DE FORO COMPETENTI 8
TITULUS II. — DE VARIIS TRIBUNALIUM GRADIBUS ET SPECIEBUS 12

Caput. I. — *De tribunali ordinario primae instantiae* 13

Art. I. — De judice . . . . . »
§ 1. De judice dioecesano 14
§ 2. De judice primae instantiae pro religiosis 17
Art. II. — De auditoribus et relatoribus . . . . . »
Art III. — De notario, promotore justitiae, vinculi defensore . . . 18
Art. IV. — De cursoribus et apparitoribus 19

Caput II. — *De tribunali ordinario secundae instantiae* . . . . . »

Caput III. — *De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus* 20

Art. I. — De Sacra Rota Romana 21
Art. II. — De Signatura Apostolica 25

Caput IV. — *De tribunali delegato* 26

TITULUS III. — DE DISCIPLINA IN TRIBUNALIBUS SERVANDA 27

Caput I. — *De officio judicum et tribunalis ministrorum* . . . . . »

Caput II. — *De ordine cognitionum* 30

Caput III. — *De dilationum terminis et fatalibus* 31

Caput IV. — *De loco et tempore judicii* 32

Caput V. — *De personis ad disceptationem judicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum* . . . »

TITULUS IV. — DE PARTIBUS IN CAUSA 34

Caput I. — *De actore et reo convento* . . . . . »

Caput II. — *De procuratoribus ad lites et advocatis* 37

TITULUS V. — DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS 38
§ 1. De actionibus et exceptionibus in genere . . . . . »
§ 2. De actionibus in specie 40
§ 3. De exstinctione actionum 46
TITULUS VI-XVII. — DE IPSIUS PROCESSUS ORDINE 47

Caput. I. — *Processus introducendus* . . . . . »

Caput II. — *Processus instruendus* 48

Caput III. — *Processus finiendus* 58

Caput IV. — *De juris remediis contra sententiam* 61

§ 1. De appellatione 62
Scholion. — De appellatione ab abusu 65
§ 2. De querela nullitatis 66
§ 3. De oppositione tertii 68
§ 4. De restitutione in integrum . . . . . »

Sectio II. — De peculiaribus normis in certis quibusdam judiciis servandis.

TITULUS XVIII. — DE MODIS EVITANDI JUDICIUM CONTENTIOSUM 69

Caput I. — *De transactione* 70

Caput II. — *De compromisso in arbitros* 71

TITULUS XIX. — DE JUDICIO CRIMINALI 72
Introductio . . . . . »

Caput I. — *De accusatoria actione et denuntiatione* 76

Caput II. — *De inquisitione* 77

Caput III. — *De correptione delinquentis* 80

Caput IV. — *De instructione processus criminalis et de rei constitutione* 81

TITULUS XX. — DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS *(remissive)* 83
TITULUS XXI. — DE CAUSIS CONTRA SACRAM ORDINATIONEM . . . . . »

PARS SECUNDA. — DE CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI ET DE CANONIZATIONE BEATORUM.

Bibliographia et distributio materiae 86
INTRODUCTIO . . . . . »
TITULUS XXII — DE NONNULLIS PERSONIS QUAE IN HIS PROCESSIBUS PARTEM HABENT 89
TITULUS XXIII. — DE PROBATIONIBUS IN HIS PROCESSIBUS ADHIBENDIS . 91
TITULUS XXIV. — DE PROCESSU BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI PER VIAM NON CULTUS 93

Caput I. — *De processibus a loci Ordinario jure proprio instruendis* . 94

Caput II. — *De causae introductione apud S. Congregationem* . . . 96

Caput III. — *De processibus Apostolicis* 97

TITULUS XXV. — DE PROCESSU BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI PER VIAM CULTUS SEU CASUS EXCEPTI 100
TITULUS XXVI. — DE BEATORUM CANONIZATIONE 101

PARS TERTIA. — DE MODO PROCEDENDI IN NONNULLIS EXPEDIENDIS NEGOTIIS VEL SANCTIONIBUS POENALIBUS APPLICANDIS.

NORMAE COMMUNES 102
TITULUS XXVII-XXX *(remissive)* . . . . . »
TITULUS XXXI. — DE MODO PROCEDENDI CONTRA CLERICOS CONCUBINARIOS 104
TITULUS XXXII. — DE MODO PROCEDENDI CONTRA PAROCHUM IN ADIMPLENDIS PAROECIALIBUS OFFICIIS NEGLIGENTEM . .106

TITULUS XXXIII. — DE MODO PROCEDENDI IN SUSPENSIONE EX INFORMATA CONSCIENTIA INFLIGENDA 107

LIBER QUINTUS.

DE DELICTIS ET POENIS.

PARS PRIMA. — DE DELICTIS.

Bibliographia et ratio ordinis 113
TITULUS I. — DE NATURA DELICTI EJUSQUE DIVISIONE 114
TITULUS II. — DE IMPUTABILITATE DELICTI ET DE CAUSIS ILLAM AGGRAVANTIBUS VEL MINUENTIBUS, ET DE JURIDICIS DELICTI EFFECTIBUS 118
TITULUS III. — DE CONATU DELICTI 128

PARS SECUNDA. — DE POENIS.

Bibliographia et ordo codicis 130

Sectio I. — De poenis in genere.

INTRODUCTIO 131
§ 1. De potestate Ecclesiae coactiva . . . . . »
§ 2. De exercitio et fine potestatis coactivae 136
TITULUS IV. — DE POENARUM NOTIONE, SPECIEBUS, INTERPRETATIONE ATQUE APPLICATIONE 138
TITULUS V. — DE SUPERIORE POTESTATEM COACTIVAM HABENTE 143
TITULUS VI. — DE SUBJECTO COACTIVAE POTESTATI OBNOXIO 148
TITULUS VII. — DE POENARUM REMISSIONE 159

Sectio II. — De poenis in specie.

TITULUS VIII. — DE POENIS MEDICINALIBUS SEU DE CENSURIS 163
Caput I. — *De censuris in genere* . . . . . »
§ 1. Natura et divisio censuram . . . . . »
§ 2. Causa censurarum 165
§ 3. Subjectum censurarum 167
§ 4. Exsecutio censurarum 168
§ 5. Reservatio censurarum 169
§ 6. Absolutio censurarum 174

Caput II. — *De censuris in specie* 189

Introductio . . . . . »
Art. I. — De excommunicatione 190
§ 1. Notio et divisio excommunicationis . . . . . »
§ 2. Effectus excommunicationis 193
A. Effectus immediati . . . . . »
B. Effectus mediati 202
Art. II. — De interdicto . . . . . »
§ 1. Notio et divisio interdicti . . . . . »
§ 2. Auctor et causa interdicti 205
§ 3. Effectus interdicti 206
§ 4. Violatio interdicti 209
§ 5. Cessatio interdicti 210
Art. III. — De Suspensione 211
§ 1. Natura et divisio suspensionis . . . . . »
§ 2. Effectus suspensionis 213
§ 3. Violatio suspensionis 217
§ 4. Cessatio suspensionis . . . . . »
TITULUS IX. — DE POENIS VINDICATIVIS . . . . . »

Notiones generales 218

Caput. I. — *De poenis vindicativis communibus* 220

Caput II. — *De peculiaribus clericorum poenis vindicativis* 223

TITULUS X. — DE REMEDIIS POENALIBUS ET POENITENTIIS 227

Caput I. — *De remediis poenalibus* . . . . . »

Caput II. — *De poenitentiis* 231

PARS TERTIA. — DE POENIS IN SINGULA DELICTA.

Connexio et ordo materiae 234
PROOEMIUM . . . . . »
TITULUS XI. — DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIAE . . 235
TITULUS XII. — DE DELICTIS CONTRA RELIGIONEM 241
TITULUS XIII. — DE DELICTIS CONTRA AUCTORITATES, PERSONAS, RES ECCLESIASTICAS 244
TITULUS XIV. — DE DELICTIS CONTRA VITAM, LIBERTATEM, PROPRIETATEM, BONAM FAMAM AC BONOS MORES 259
TITULUS XV. — DE CRIMINE FALSI 266
TITULUS XVI. — DE DELICTIS IN ADMINISTRATIONE VEL SUSCEPTIONE ORDINUM ALIORUMQUE SACRAMENTORUM 269
TITULUS XVII. — DE DELICTIS CONTRA OBLIGATIONES PROPRIAS STATUS CLERICALIS VEL RELIGIOSI 277
TITULUS XVIII. — DE DELICTIS IN COLLATIONE, SUSCEPTIONE ET DIMISSIONE DIGNITATUM, OFFICIORUM ET BENEFICIORUM ECCLESIASTICORUM 283
TITULUS XIX. — DE ABUSU POTESTATIS VEL OFFICII ECCLESIASTICI . . . 287
Scholion. — Elenchus censurarum latae sententiae 291

APPENDIX. — DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS AD ORDINES. 295
Bibliographia et praenotiones . . . . . »
Art. I. — De irregularitatibus et impedimentis in genere 297
Art. II. — De irregularitatibus et impedimentis in specie . . . 303
§ 1. De irregularitatibus ex defectu . . . . . »
§ 2. De irregularitatibus ex delicto 307
§ 3. Simplex impedimentum ad ordines 313
INDEX ANALYTICO-ALPHABETICUS 315

LIBER QUARTUS.

DE PROCESSIBUS.

1° Codicis libros II et III *de personis* et *de rebus* complent libri IV et V *de processibus* et *de delictis et poenis*, complectentes quidquid ad potestatem Ecclesiae judiciariam et coercitivam pertinet. Librum IV *de processibus*, brevissima interpretatione absolvere conabimur, attendendo maxime ad ea quae pro praxi majoris momenti sunt.

2° Iste liber IV *de processibus*[1] dividitur in tres partes : prima est *de judiciis* (can. 1552-1998) ; altera *de causis beatificationis servorum Dei et canonizationis Sanctorum* (can. 1919-2141) ; tertia *de modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis* (can. 2142-2194).

PARS PRIMA.

DE JUDICIIS.

Fontes. Can. 1552-1998. Decret., l. I, tit. 29 et 32 ; lib. II.

Auctores. Commentatores Decret. praesertim ad lib. II ; DEVOTI, *o. c.*, t. II, p. 3 ss. ; BOUIX, *De judiciis*, 2 vol., Parisiis, 1855 ; FEYE, *De judiciis ;* MUENCHEN, *Das kanonische Gerichtsverfahren und Strafrecht*², 2 vol., Köln, 1874 ; SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. II, p. 1 ss. ; PIERANTONELLI, *Ordo judiciarius in praxim deductus*, 2 vol., Romae, 1904-1906 ; LEGA, *Praelectiones de jud. ecclesiasticis.* Lib. I², de judic. civilibus, vol. 1 et 2, 1905 ; lib. II, de jud. criminalibus, de delictis et poenis, 1900-1902, Romae ; HEINER, *Der kirchliche Zivilprozess*, Köln, 1910 ; ejusd. auct., *Der kirchliche Strafprozess*, Köln, 1912 (latine vertit WYNEN, Romae, 1912) ; BORIERO, *Manuale teoretico-pratico per processo canonico criminale et disciplinare*, Padova, 1910 ; WERNZ, *Jus decret.*, t. V, L. I, *De judiciis in genere et de judiciis contentiosis.* L. II, *De judiciis criminalibus*, 2 vol. Prati, 1914 ; HOHENLOHE, *Beiträge zum Einfluss des kan. Rechts auf Strafrecht u. Prozessrecht*, Innsbruck, 1918 ; CHELODI, *Jus poenale et ordo procedendi in judiciis criminalibus*, Tridenti, 1920 ; NOVAL, *Comment. jur. can. Lib. IV, De processibus. Pars I, De judiciis*, Taurini, 1920 ; HOHENLOHE, *Das Prozessrecht des Codex jur. can.*, Wien, 1921 ; EICHMANN, *Das Prozessrecht des cod. jur. can.*, Paderborn, 1921 ; ROBERTI, *De processibus.* T. I, Romae, 1926; MUNIZ, *Procedimientos ecclesiasticos*, 2 ed., Seville, 3 vol. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome jur. canonici.* T. III, p. 1 ss. ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *Manuale jur. can.*, ed. 2, n. 1037 ss., Gandavi, 1926 ; FERRERES, *Instituciones canónicas.* T. II, n. 52 ss. ;

1. Dicitur *de processibus* non *de judiciis*, quia praescribit modos qui servari debent in quaestionibus et negotiis pertractandis et expediendis non tantum *judicialiter* sed etiam *extrajudicialiter*. Cf. NOVAL, *De processibus*, n. 1 ss.

cf. etiam SAEGMUELLER, *Lehrbuch der kath. Kr.*, p. 742, ubi ulterior bibliographia. Sub respectu historico, cf. *Quellen zur Geschichte des römisch-kanonischen Prozesses im Mittelalter*, ed. WAHRMUND, 1 Band, 1 Heft, 1905 — IV Band, 4 Heft, 1926, Innsbrück ; KANTOROWICZ, *Albertus Gandinus und das Strafrecht der Scholastik.* I Band. *Die Praxis. Ausgewählte Strafprozessakten des 13 Jahrh.*, 1907 ; II Band. *Die Theorie. Kritische Ausgabe des Tractatus « de maleficiis »*, 1926, Berlin ; KIRN, *Der mittelalterliche Staat und das geistliche Gericht*, in *Zeitsch. d. Savigny-Stiftung.* Kan. Abt., 1926, t. XLVI, p. 162 ss.

1504. — Ordo Codicis. Post introductionem in qua statuitur notio judicii et definitur potestas judiciaria ecclesiastica (can. 1552-1555), codex successive agit in sectione prima quae inscribitur de *judiciis in genere :* a) *de foro competenti* (tit. I, can. 1556-1568) ; b) de *variis tribunalium gradibus et speciebus,* ubi notatim sermo est de variis personis ad judicium concurrentibus (tit. II, can. 1569-1607) ; c) *de disciplina in tribunalibus servanda* seu de iis quae in omni judicio servanda sunt (tit. III, can. 1608-1645) ; d) sequuntur tit. IV, *de partibus in causa,* nempe de actore et reo et de procuratoribus et advocatis (can. 1640-1666) ; et tit. V, *de actionibus et exceptionibus* seu de iis actibus quibus partes suum jus defendunt (can. 1667-1705) ; e) a tit. VI ad tit. XVII definiuntur normae *totius ordinis processus* a causae introductione usque ad exsecutionem sententiae (can. 1706-1925). Sectio secunda 4 titulis absolvitur : in tit. XVIII exponuntur *modi evitandi judicium contentiosum* per transactionem et per compromissum in arbitros (can. 1925-1932) ; tit. XIX specialia statuit *de judicio criminali* (can. 1933-1959) ; tit. XX definit modum procedendi *in causis matrimonialibus* (can. 1960-1992) ; demum tit. XXI agit *de causis contra sacram ordinationem* (can. 1993-1998).

Nos autem pro scopo nostro exponendi ea tantummodo quae clero utiliora videntur, brevissime de hac materia tractabimus [1].

INTRODUCTIO.

§ 1. DE JUDICII NOTIONE ET VARIA SPECIE.

1505. — I. Notio judicii.

Nomine judicii, quod a *jure dicendo* appellatur, plura veniunt ab invicem distincta. Ita accipitur vel pro jurisdictione et potestate judiciaria ; vel pro foro, seu loco ipso judicii ; vel pro sententia judicis ; vel pro actione in judicio mota [2]. Ut vero ad eam, quae hujus loci est notionem veniamus, judicium complectitur totam expeditionem litis coram legitimo judice, quae a pragmaticis juris civilis *procedura* vocatur.

In praesenti instituto definitur a codice « Nomine judicii ecclesiastici

1. Cf. ROBERTI, *o. c.*, t. I, introductio p. 1 ss., de evolutione historica processus canonici ; p. 15 ss., de fontibus juris processualis canonici ; p. 26 litteratura juris processualis canonici.

2. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 10.

intelligitur *controversiae in re de qua Ecclesia jus habet cognoscendi coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio* » (can. 1552, § 1) [1] ; seu uti ab auctoribus solet definiri : *Controversiae inter actorem et reum coram judice competenti legitime facta cognitio, discussio et definitio, causa litis finiendae aut malefici puniendi.*

Hinc tria sunt elementa judicii : 1° ad judicium concurrentes personae, nempe personae contendentes seu partes, et judex vel tribunal ; 2° causa quae in litem venit tamquam materia et objectum judicii et de qua, uti mox definietur, Ecclesia jus habet cognoscendi ; 3° causae legitima cognitio, discussio et definitio.

1506. — II. **Species judiciorum.**

Praetermittenda est divisio, ratione personae *judicis* vel *ecclesiastici* vel *saecularis,* in judicium *ecclesiasticum* et judicium *saeculare.* Hic tantum sermo est de judicio ecclesiastico, cujus potiores usuique magis accommodatae divisiones sunt sequentes :

1° **Ratione finis** seu **objecti formalis** habetur judicium *contentiosum* [2] et *criminale.* Objectum judicii *contentiosi* sunt « personarum physicarum vel moralium jura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta juridica [3] declaranda » (can. 1552, § 2, 1°). Objectum judicii *criminalis* sunt « delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (*ibid.,* 2°).

Proinde in judicio contentioso principaliter intenditur commodum privatum actoris ; in judicio criminali principaliter agitur ad vindictam publicam ob legis transgressionem et ordinis publici violationem. Judicium potest esse *mixtum,* in quo concurrit uterque finis.

2° **Ratione materiae** dividitur : a) in *petitorium* et *possessorium.* Illud est, in quo principaliter et directe de proprietate rei, v. g. beneficii, vel de jure in re, ut de jure servitutis, litigatur ; possessorium vero, in quo agitur de sola rei vel juris possessione acquirenda, retinenda aut recuperanda [4].

b) In *reale* et *personale.* Reale est, in quo actio in rem, puta dominium, possessionem, servitutem, instituitur ; personale est, in quo actio in personam, ex contractu sc. vel quasi-contractu, delicto, etc. instituitur. In primo agitur vi juris *in re ;* in altero vero vi juris *ad rem.*

---

1. Cf. ROBERTI, *o. c.,* p. 56 s.
2. Olim auctores judicium contentiosum, *civile* appellabant.
3. Nempe illa facta cujus declaratio judiciaria interest illius qui ad judicium provocat vel provocatur, sic qualitas personae, impedimentum matrimoniale, damnum.
4. Cf. DEVOTI, *o.* et *l. c.,* p. 34 ; SANTI-LEITNER, *o. c.,* p. 74 ss. ; HEINER, *Der kirchl. Zivilprozess,* p. 56.

c) In *temporale* et *spirituale*. Temporale est, quod circa causam ratione rei profanam, sed aliqua tamen ratione spiritualem, versatur, v. g. causam civilem clericorum. Spirituale est, quod versatur circa causas spirituales ex parte ipsius materiae, vel in se, vel propter annexionem ejusmodi causae, v. g. sacramenta, beneficia.

3° **Ratione formae**, aliud est *ordinarium* in quo servari debent canones judiciarii codicis, et aliud *extraordinarium* seu *exceptum*, in quo servandae sunt normae extraordinariae, v. g. normae traditae a Tribunali S. Officii (can. 1555, § 1). Ordinarium vero subdividitur in *commune* et in *speciale*, prout servari debent canones generales, i. e. sectionis primae hujus partis ; vel canones speciales, respicientes quasdam speciales materias, scilicet, can. 654-667, circa dimissionem religiosorum, et can. 1925-1948, circa materias ibi expressas [1].

§ 2. DE POTESTATE JUDICIARIA ECCLESIAE.

Sufficienter constat hanc judiciariam potestatem Ecclesiae competere ex eo quod superius demonstravimus Ecclesiam a Christo fundatam fuisse ut societatem externam, inaequalem, perfectam et independentem [2]. Attamen cum illud jurisdictionis exercitium specialiter fuerit impugnatum, tum in sua exsistentia, tum in suo ambitu, quaedam peculiaria utiliter addi posse videntur [3].

1507. — I. **Notio et Errores.** 1° Judiciaria Ecclesiae potestas, de qua hic agimus, jus est *exercendi proprie dicta judicia, seu jus dirimendi controversias inter subditos ortas, legumque suarum observationem urgendi.* Intelligitur ergo potestas judicandi stricte sumpta, distincta proin tum a foro poenitentiali secreto et publico ; tum a potestate decernendi de fide, vel disciplina ; tum a potestate censuras ferendi in certas criminum species.

2° Iidem, qui, colludente Statu, potestatem legislativam impugnaverunt,

---

1. NOVAL, *o. c.*, n. 40. — Olim distinguebatur judicium *ordinarium* seu *sollemne*, a judicio *extraordinario* seu *summario*. In priori juris ordo et omnes sollemnitates observabantur ; in altero sollemnitates ad eas reducebantur, quae juxta naturae et gentium praecepta ad justam sententiam habendam necessariae erant ; judex nempe dicebatur cognoscere *summarie et simpliciter et sine strepitu judicii*. Cf. HEINER, *o. c.*, p. 136 ss. ; ejusd. auct., *Der kirchliche Strafprozess*, p. 52. Summaria judicia adhuc dici possunt ea de quibus in tertia Parte, can. 2142 ss.

2. Cf. supra, n. 141 ss.

3. FEYE, *Tract. autogr. de Ecclesia*, p. 342 ss. ; MOULART, *L'Eglise et l'Etat*, p. 448 ss. ; BIEDERLACK, *Inst. jur. eccles.*, p. 28 ss. ; PAQUET, *Droit public de l'Eglise*, p. 139 ss. Cf. litt. encycl. Pii XI *Quas Primas*, 11 dec. 1925, *AAS.*, t. XVII, p. 599.

etiam Ecclesiae judiciariam potestatem adimere conati sunt. Horum errores optime exposuit Devoti [1].

1508. — II. **Demonstratio.** Verum *judiciaria potestas supra descripta ad Ecclesiam jure proprio et a Christo, non ab hominibus accepto, pertinet.*

Probatur 1° *ex S. Scriptura,* quae nobis exhibet a) *verba,* quibus Christus, cui *omne judicium dedit* Pater [2], illam potestatem Ecclesiae suae contulit. Sic Matth., XVIII, 18 : *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo ; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Haec enim verba ad utrumque forum, internum et externum, tum contentiosum, tum voluntarium referuntur ; siquidem absque ulla distinctione declarent, Deum ratihabiturum in coelo sententias, quas primi Pastores protulerint in terra ; ligaturum, vel soluturum quae alligaverint vel solverint in Ecclesia, in ordine ad finem supernaturalem [3].

Item et expressius Matth., XVIII, 15 ss. : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos... ; quod si non audierit eos, dic Ecclesiae,* sc. Ecclesiae rectoribus ; *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* sc. ab Ecclesia ejiciatur et pro ejecto habeatur.

Porro ibi reperiuntur omnia exterioris judicii essentialia, nempe, reus : *si peccaverit in te frater tuus ;* accusator : *dic ;* Judex : *Ecclesiae ;* causae cognitio : *dic Ecclesiae* fratris tui peccatum ; sententia : *si Ecclesiam non audierit,* seu Ecclesiae sententiae non acquieverit ; demum coercitio seu poena, eaque gravissima, sc. amputatio a corpore Ecclesiae : *sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ergo etc.

b) *Ex praxi Apostolorum.* Apostoli, qui divina Christi instituta nobis tradiderunt, non tantum usi sunt potestate judiciaria, ut postea videbimus [4], sed et regulas in exercitio hujus potestatis servandas praescripserunt. Et re quidem vera, docet S. Paulus et praecipit [5], omnes christianorum lites et causas esse in Ecclesia judicandas et componendas ; corripitque Corinthios quod judicio contenderent coram judice ethnico. Quinimo [6] Timotheum docet judicii methodum, quam Episcopus contra presbyterum servare debet : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* [7].

2° *Ex traditionibus et historia Ecclesiae.* Primi Pastores, exemplo et monitis Apostolorum instructi, sive ethnicis dominantibus, sive sub christianis principibus, potestatem judiciariam exercuerunt non solum in interiori, sed etiam in exteriori foro ; habueruntque judicia, non tantum

---

1. *O. c.,* p. (7) s.
2. Joh., V. 22.
3. Cf. etiam Matth., XVI, 19.
4. Cf. infra n. 1702.
5. I Cor., V, 12 s., et initio cap. VI.
6. I Tim., V, 19.
7. Cf. PALMIERI, *De Rom. Pontifice,* p. 130 ss. ; STRAUB, *De Ecclesia,* t. II, p. 5.

de rebus fidei morumque regulis, sed etiam de controversiis, quae inter christianos oriebantur[1]. Ita S. Cyprianus[2] scribit ad Cornelium Papam, Carthaginem venisse « privatum haereticum, in Lambesitana colonia ante multos fere annos, ob multa et gravia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum ». Deinde refert de pseudoepiscopo Fortunato et sociis Carthagine condemnatis. Haec ante annum 252 gesta sunt. Juxta canones Apostolorum, qui probabilius saeculo IV exeunte editi sunt, Episcopus semel et iterum a Synodo vocandus est, antequam adversus eum sententia proferatur. Ita Eutychen, Dioscorum atque alios semel, iterum et tertio vocatos fuisse constat ex actis Concilii Constantinopolitani, Chalcedonensis, aliorumque Conciliorum ; et quod ecclesiasticae lenitatis proprium est, Nestorius quarta etiam vice a Concilio Ephesino citatus est[3].

3° *Ex S. Sedis condemnationibus*[4].

4° *A ratione*. Supra probatum est Pastoribus Ecclesiae competere potestatem legislativam. Jam vero, spectata applicationis legum difficultate, humani intellectus diversitate, perversarumque cupiditatum aestu, potestas legifera nec plena, nec in se bona et utilis esset, nisi adjunctam haberet judiciariam potestatem, qua leges ad casus singulares applicarentur, et earum violatio vindicaretur. Ergo[5].

Ad modum *conclusionis* afferri juvat haec verba Bianchi[6] : « Certissimum est penes Ecclesiam semper fuisse forum externum, a foro conscientiae et poenitentiali diversum ; ea nempe certitudine, qua constat ab Ecclesia omni aevo receptas fuisse contra reos denuntiationes seu accusationes, discussa testimonia, auditas utriusque partis rationes, sententia damnatos reos qui convicti vel contumaces fuerunt ; aut in casu notorietatis publicae punitos eosdem post causae discussionem. Quam priorum saeculorum disciplinam si quis negare velit, necesse est ut omnibus, quae remanserunt, horum temporum monumentis historicis valedicat. »

1509. — III. **Ambitus potestatis judiciariae Ecclesiae**[7].

A. Ad normam can. 1553, § 1 : « Ecclesia *jure proprio* et *exclusivo* cognoscit :

1. DEVOTI, *o. c.*, p. (13) ; STRAUB., *o. c.*, p. 6 ; MOULART, *o. c.*, p. 450.
2. Ep. 55 (alias 59) ap. COUSTANT, *Epist. RR. PP. a S. Clemente I ad Inn. III*, t. I, col. 172. Paris, 1721. V. SOGLIA, *Inst. jur. publ. et priv.*, t. I, p. 170.
3. Cf. alia testimonia ap. BACHHOVEN, *Summa jur. eccles. publ.*, p. 51 ; STRAUB, *o. c.*, p. 6 ; AICHNER, *Compend. jur. eccles.*, p. 758 ss.
4. Cf. inter acta recentiora : *Conc. Trid.* Sess. 7, can. 8 ; Sess. XXIV, can. 13 de matrimonio ; Bened. XIV Const. *Ad Assiduas*, in t. IV ejus Bullarii (ed. Rom.) p. 163 ; proscriptae propositiones § 4 et 5 Syn. Pistoriensis ; prop. 31 Syllabi, etc.
5. BIEDERLACK, *o. c.*, p. 28 ss.
6. *Della potestà della Chiesa*. L. I, cap. V, § 2.
7. Cf. supra n. 223 ss. Vide etiam WERNZ, *o.* et *l. c.*, p. 217 ; NOVAL, *o. c.*, n. 44 ss.

1° « De causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas » (*ibid.*, 1°).

a) Inter *res spirituales* recensentur omnes quae *ex natura sua* directe conducunt ad finem spiritualem. Versantur α) circa fidem et doctrinam fidei et morum ; β) circa sacramenta, sacramentalia, vota, juramenta, dies festos, censuras et sacram disciplinam universim societatis ecclesiasticae [1].

b) Ecclesia praeterea exclusive competens est circa causas quae respiciunt *res spiritualibus adnexas*, quae, licet natura sua spirituales dici non possint, tamen spiritualibus ita adnectuntur, ut ratione hujus connexionis spirituales meraeque ecclesiasticae existimari debeant. Huc spectant omnes causae patronatus, de bonis et reditibus ecclesiasticis, de decimis, de sepultura [2].

2° « De violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem » (*ibid.*, 2°) [3]. Nullum dubium est quin agatur de vera potestate judiciaria fori externi. Certissime habet Ecclesia jus cognoscendi violationes suarum legum ; sed praeterea, *indirecte* ratione peccati, Ecclesia, qua judex et vindex moralitatis respectu cujuscumque sive privati sive magistratus, judicat etiam de causa violationem suarum legum excedenti, quae est materia et causa peccandi, v. g., si potestas civilis lege sua Ecclesiae aut civibus catholicis adversa moliretur ; si judex civilis negligens aut injustus fuisset in reddenda justitia erga miserabiles personas. Hujus principii applicatio invenitur etiam in can. 2198 ubi decernitur delictum quod unice laedat legem societatis civilis, jure proprio punire civilem auctoritatem, licet cumulativa potestate *Ecclesia etiam jure proprio* in illud judicandum et poenis coercendum sit competens *ratione peccati* contra legem divinam. Animadvertendum est actionem aut omissionem, ut ratione peccati puniri a societate ecclesiastica possit, induere debere in facie Ecclesiae indolem *delicti*, salvis exceptionibus can. 2222, § 1 statutis [4].

3° « De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes ad normam can. 120, 614, 680 » (*ibid.*, 3°) [5].

---

1. Cf. supra, n. 224.
2. Cf. WERNZ, *l. c.*, p. 223 ; supra, n. 225 s.
3. Cf. c. 13, X, II, 1 ; supra n. 231 ; NOVAL, *o. c.*, n. 44 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 77 s.
4. Cf. can. 2195, § 1. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 78.
5. Cf. supra n. 353, 227. V. WERNZ, *o. c.*, p. 229 ss., 246 ss. Notandum est Ecclesiam, nonobstantibus derogationibus particularibus et usurpationibus status incunctanter affirmare principium competentiae suae *nativae* et *exclusivae* in cau-

B. « In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, datur locus praeventioni » (can. 1553, § 2).

Hujus dispositionis ejusque sanctionis can. 1554 latae, sufficientem dedimus interpretationem supra, n. 231 [1].

1510. — IV. **Quinam tenentur legibus processualibus Primae Partis Libri IV.**

1° « *Tribunal Congregationis S. Officii* suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet [2] ; et etiam inferiora tribunalia, in causis, quae ad S. Officii tribunal spectant [3], normas ab eodem traditas sequantur oportet » (can. 1555, § 1).

2° « Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur » (*ibid.*, § 2) [4].

3° « In judicio pro dimissione religiosorum serventur praescripta can. 664-668 » (*ibid.*, § 3) [5].

SECTIO I.

DE JUDICIIS IN GENERE.

TITULUS I.

DE FORO COMPETENTI.

Maxime importat antequam causa disceptanda proponatur, ut noscatur forum seu tribunal in quo agere debeant personae contendentes ne incassum laborent ; fundamentum enim omnis legitimae disceptationis est jurisdictio et fori competentia [6].

1511. — I. **Notiones.**

1° Nobis autem de judiciis agentibus forum est vel judiciorum locus,

---

sis contentiosis et criminalibus clericorum et horum qui his assimilantur. Cf. bibliographia supra n. 353. Vide praeterea : GÉNESTRAL, *La livraison du clerc criminel au bras séculier dans le droit eccl. fr. du XIII^e s.*, in *Tijdschrift voor Rechtsgeschiedenis*, 1923, t. V, p. 45 ss. ; ejusd. auct., *Le « privilegium fori » en France du décret de Gratien à la fin au XIV^e s.*, t. II, Paris, 1925 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 79 ss.

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 46 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 93 ss.

2. V. gr. instructio 20 febr. 1866 pro causis de sollicitationibus ad turpia, *Coll. C. d. P. F.* t. I, n. 1282. Cf. litt. circ. Secretariae Status Episcopis de modo faciendi denunciationes S. Officio, 1 dec. 1918, ap. *Arch. f. kath. Kr.* 1919, t. CI, p. 65 s.

3. Cf. supra, n. 585 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 8.

4. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 52.

5. Supra, n. 1062.

6. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 103 ss.

qui saepe pro ipso judicio sumitur, et etiam vocatur *tribunal, auditorium, consistorium* ; vel jurisdictio judicis, seu potestas publica de causa in judicium deducta cognoscendi et pronuntiandi.

2° Forum *necessarium* vocatur illud quod ex lege unice adiri potest [1], nulla data optione ; *liberum* autem illud quod e pluribus eligi potest.

3° *Forum competens* vocatur tribunal quod potestatem judiciariam habet tum in causam propositam, tum in personam *rei* quae cum actore in aliquo tribunali convenire debet vel potest.

4° *Defectus competentiae* alius est *absolutus,* alius *relativus.* Incompetentia absoluta primario *ob bonum publicum* decernitur redditque judicium ipso facto nullum, nullitate insanabili. Impotentia relativa primario *in bonum privatorum* inducitur ; proinde, nisi judex eam, prout ex officio tenetur, declaraverit, a solo reo opponi potest ; quodsi reus tempore debito non fecerit, sententia, ea non obstante lata, valida est, etsi illicita [2].

1512. — II. **Competentia exclusiva et absoluta R. Pontificis et Sedis Apostolicae Tribunalium.**

1° « *Ipsius Romani Pontificis* [3] dumtaxat jus est judicandi : a) « Eos qui supremum tenent populorum principatum [4] horumque filios et filias eosve quibus jus est proxime succedendi in principatum ; b) Patres Cardinales ; c) Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares » (can. 1557, § 1).

2° « *Tribunalibus vero Sedis Apostolicae* reservatur judicare : a) Episcopos residentiales in contentiosis, salvo praescripto can. 1572, § 2 [5]. »

b) « Dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti Religiones exemptas, Congregationes monasticas [6], etc. » (*ibid.*, § 2).

---

1. Non praecise sub poena nullitatis. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 61 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 10.

2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 10 ; NOVAL, *o. c.*, n. 58 ss., 70. Qui auctor n. 60 exponit quonam capite petatur incompetentia *absoluta,* nempe a) *ratione personae* judicandae, et de hac loquuntur can. 1556 ; 1557, § 1 et 2 ; 1558 ; b) *ratione objecti,* et habetur circa ea de quibus in can. 247 ; 254 ; 257 ; 655 ; 1576, § 1 ; 1603 ; c) *ratione gradus* seu instantiae judicii, et de ea fit sermo in can. 1572, 1579, 1594, 1599 ; d) *ratione avocationis causae ad S. Sedem,* de qua in can. 1577, § 2. Cf. etiam ROBERTI, *o. c.*, p. 106 s., 111 ss.

3. Affirmatur in can. 1556 absoluta, illimitata, et juris divini immunitas R. Pontificis a quavis judiciali et coactiva potestate humana : « Prima Sedes a nemine judicatur ». Cf. supra n. 541.

4. Personae *physicae* quae praesunt regimini, quaecumque hujus sit forma, et, ex communi auctorum sententia, earum conjuges.

5. Cf. supra, n. 526.

6. Cf. can. 488, 2°.

c) « Alias causas quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit judicium, videt judex quem ipsemet Romanus Pontifex designaverit [1] » (can. 1557, § 3).

Nota. Quoad omnes illas causas, « aliorum judicum incompetentia est absoluta » (can. 1558).

1513. — III. Competentia relativa tribunalis primae instantiae seu inferioris gradus.

1° **Principia generalia.** a) Nemo in prima instantia conveniri [2] potest, nisi coram judice ecclesiastico qui competens est sive ex eo quod actio de qua agitur habeat forum *necessarium,* sive judici suffragetur unus ex variis titulis sortiendi forum *liberum,* prout infra determinatur (can. 1559, § 1).

b) « Incompetentia cui nullus ex illis titulis suffragatur, dicitur *relativa* » (*ibid.,* § 2). Proinde nisi judex suum ministerium recuset, ad quod tenetur ex verbis citati can. : « *nemo... conveniri potest* », et nisi conventus incompetentiam objiciat, huic defectui quoad judicii *validitatem* suppleri potest ex voluntate litigantium [3].

c) Quoad forum *liberum,* « actor sequitur forum *rei ;* quod si reus multiplex forum habeat, optio fori *actori* conceditur » (*ibid.,* § 3) [4].

2° **Forum necessarium.**

« Forum necessarium [5] habent : a) actiones de spolio, coram Ordinario loci rei sitae [6] ; b) causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale, coram Ordinario loci beneficii ; c) causae quae versantur circa administrationem [7], coram Ordinario loci ubi administratio gesta est ; d) causae quae respiciunt haereditates aut legata pia, coram Ordinario loci domicilii [8] testatoris, nisi agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas » (can. 1560) [9]. Dici potest cum Vermeersch-Creusen [10] : in quatuor illis casibus applicatio specialis et obligatoria habetur principii quo *res sita* forum determinare potest.

---

1. Cf. can. 1569, § 2 ; vide supra, n. 531.
2. Seu vocari in judicium tanquam reus.
3. Sic pro parte saltem correcta est disciplina antiqua quae admittebat fori prorogationem ex consensu partium. Cf. c. 18, X ; II, 2 ; NOVAL, *o. c.,* n. 69 ; WERNZ, o. c., p. 259 ss. ; ROBERTI, *o. c.,* p. 109 ss.
4. WERNZ, *o. c.,* p. 228 s.
5. Sub gravi obligatione adeundum est, non necessario sub poena nullitatis. Cf. de foris necessariis, ROBERTI, *o. c.,* p. 114 ss.
6. Cf. can. 1668, 1670 s., 1698 s.
7. Agitur de administratione quorumdam bonorum ecclesiasticorum.
8. Intelligi debet domicilium canonicum. Ita ROBERTI, *o. c.,* p. 117.
9. Quoad matrimonium, cf. can. 1964.
10. *O. c.,* n. 17.

3° Media sortiendi forum liberum.

Ob multiplicem causam forum competens oriri potest [1] :

a) *Ratione domicilii,* quilibet conveniri potest coram Ordinario *sui domicilii* voluntarii aut legalis, et *quasi-domicilii* [2]. Haec Ordinarii jurisdictio se extendit in subditum absentem [3] (can. 1561). « *Vagus* proprium forum habet in loco ubi actu commoratur ; *religiosus* in loco domus suae » (can. 1563).

Nota. De foro omnium fidelium in Urbe, cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 120 ss.

b) « *Ratione rei sitae* pars conveniri potest coram Ordinario loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa est » (can. 1564). Actio in rem opponitur actioni personali. Actioni in rem assimilatur actio possessoria [4].

c) « *Ratione contractus* pars conveniri potest coram Ordinario loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet. *In actu* autem contractus permittitur contrahentibus, obligationis declarandae, urgendae vel implendae gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possunt » (can. 1565). Extra hunc casum, pars in loco contractus conveniri non potest si e loco discesserit [5].

d) « *Ratione delicti* reus forum sortitur in loco patrati delicti. Licet post delictum reus e loco discesserit, judex loci jus habet illum citandi *ad comparendum* et sententiam *in eum* ferendi » (can. 1566) [6].

e) « *Ratione connexionis* seu continentiae ab uno eodemque judice *cognoscendae* sunt causae inter se connexae, nisi legis praescriptum obstet » (can. 1567). Proin quando judicandae sunt causae quarum una est *quaestio praejudicialis* ad aliam [7], vel quae intimo nexu, etsi non inseparabiliter, ad invicem connexae sunt ratione *personarum* ut in casu conreitatis, aut ratione *actionis,* ut causae incedentes vel accessoriae, aut ratione *tituli actionis,* ut si actio moveatur contra debitores solidales, tunc *debent* ab uno eodemque judice cognosci, nisi lex obstet, uti verificatur in can. 1560, 1563, 1613, etc. [8].

f) « *Ratione praeventionis,* cum duo vel plures judices *aeque* com-

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 238 ss. ; FEYE, *o. c.*, p. 15 ss. ; HEINER, *o. c.*, p. 15 s.
2. Cf. supra, n. 315 ss. Cf. etiam NEIL FARREN, *Domicile and quasi-domicile,* Dublin, 1920 ; VINDEX, *Domicilium et quasi-domicilium eorumque effectus in cod. jur. can.*, in *Jus Pontificium,* 1926, t. VI, p. 34 ss., 112 ss., 154 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 117 ss.
3. Cf. can. 201 et 1570, § 2.
4. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 79 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 19 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 123 s. Vide supra, n. 1506.
5. Com. ad interp. cod. can., 14 jul. 1922, ad 12, *AAS.*, *t.* XIV, p. 529.
6. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 86 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 128 s.
7. Quo casu habetur *continentia causarum.*
8. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 88.

petentes sunt, ei jus est causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit » (can. 1568).

Datur locus praeventioni si singulorum judicum forum sit liberae optionis, non necessarium ; ut si unus sit competens ratione domicilii, alius ratione contractus in suo territorio initi, alius ratione contractus in suo loco adimplendi, alius ratione rei sitae, etc.

TITULUS II.

DE VARIIS TRIBUNALIUM GRADIBUS ET SPECIEBUS.

1514. — Praenotanda [1]. 1° Tribunalia in *varias species* distinguuntur: ratione potestatis in *ordinaria* et *delegata ;* ratione numeri judicum in *unipersonalia* et *collegialia ;* ratione territorii in *dioecesana, metropolitana* et *universalia.*

2° Ut administratio justitiae contra improbitatem, negligentiam aut errorem judicum protegatur, instituti sunt in judiciis ecclesiasticis plures *gradus* seu *instantiae,* quibus acta tribunalis inferioris revisioni et correctioni tribunalis superioris subjiciuntur. Inde triplex gradus ordinarius tribunalium distinguitur : tribunalia primae, secundae et tertiae instantiae ; quibus omnes causae subjiciendae sunt, exceptis causis Sedi Apostolicae reservatis [2] aut ad eandem advocatis [3] (can. 1570, § 1).

Tribunalium ordinariorum gradus sunt sequentes : omnis causa in prima instantia ab Ordinario loci cognoscitur ; in secunda instantia transit ad Metropolitanum et si tribunal primae instantiae fuerit Metropolitani ad tribunal suffraganei a Metropolitano cum approbatione S. Sedis electum, nisi statim appellatio ad S. Rotam Romanam deferatur ; ubi sententiae duorum tribunalium inferiorum non fuerunt concordes nec damnatus secundae acquievit, res ad S. Rotam deferenda est, quae est tribunal ordinarium appellationis. Tandem recursus fit ad Signaturam Apostolicam contra quasdam sententias Rotales, v. g. ad judicium de forma vel de revisione instituendum [4].

3° Extraordinarie « ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quolibet judicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere » (can. 1569, § 1). « Recursus tamen ad Sedem Apostolicam interpositus

1. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 141, de evolutione historica hierarchiae tribunalium.
2. Cf. can. 1557, § 1 et 2.
3. Cf. can. 1557, § 3 ; 1569, § 2.
4. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 26.

non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium jurisdictionis in judice qui causam jam cognoscere coepit ; quique idcirco poterit judicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi *constiterit* Sedem Apostolicam causam *ad se advocasse* » (*ibid.*, § 2). Proinde recursus est cum effectu suspensivo a) in casu appellationis ; b) in casu quo S. Pontifex causam ad se advocaverit.

4° Ut efficax et promptior reddatur administratio justitiae et cum potestas judicialis extra territorium exerceri nequeat, decernitur can. 1570, § 2 : « Quodlibet tamen tribunal, quod attinet ad partium et testium examen aut citationem, documentorum vel rei controversae inspectionem, decretorum intimationem aliaque hujusmodi, *jus* habet in auxilium vocandi aliud tribunal [1], quod normas pro singulis actibus jure praescriptas servare debet. »

5° « Qui causam vidit in uno judicii gradu, nequit eandem causam in alio judicare » (can. 1571). Quod principium semper applicatur in casu appellationis [2].

CAPUT I.

DE TRIBUNALI ORDINARIO PRIMAE INSTANTIAE.

In hoc capite determinantur personae quae tribunal ordinarium primae instantiae constituunt, tum principales, tum accessoriae.

ARTICULUS I. — De Judice.

1515. — I. **Notio.** Judex est persona publica, instructa potestate causam controversam cognoscendi et sententiam super ea ferendi [3].

1516. — II. **Species.** Inter varias judicum ecclesiasticorum species praecipua est, qua judices dividuntur in *ordinarios* et *delegatos*.

a) *Ordinarii* illi sunt, qui judiciariam potestatem muneri seu officio suo adnexam habent [4]. Potestas judicis ordinarii his fere absolvitur : α) potest quocumque territorii sui loco judicia exercere ; β) alium modo capacem, delegare ; γ) sibi, licet superiorem agnoscat, jus primae instantiae *per se* vindicare.

1. Etiam tribunal superius.
2. Non vero in casu *querelae nullitatis,* quae coram judice qui sententiam tulit proponenda est ex can. 1893. Qui invalidam tulit sententiam nihil egisse censetur. Cf. infra, n. 1608, 1610. Vide etiam *Jus Pontificium,* 1921, t. IV, p. 44, num causa in Curia episcopali *via administrativa* decisa, possit ab eadem Curia via judiciaria dirimi.
3. Differt proin ab arbitrio compromissario, seu voluntario, uti videbimus infra, n. 1617 ss.
4. Quinam illi sint vidimus supra, t. I, n. 446.

b) Judices *delegati* illi sunt, qui potestatem suam seu jurisdictionem ex commissione alterius recipiunt. Variae distinguuntur delegatorum species, uti supra dictum est t. I, n. 448. Eorum delectus et exercitium potestatis regitur regulis propositis *ibid.*, n. 459 ss.

1517. — III. **Judicis officium et dotes.**

1° Judicis *officium* latissimum est, principaliter vero ut *jus* dicat partibus, adeoque gravissimum.

2° Ideo dicitur et esse debet vir *bonus* seu prudens, *constans, incorruptus, juris et aequi peritus.*

§ 1. DE JUDICE DIOECESANO.

Auctores. MUELLER, *Die bischöfliche Diözesanbehörden, insbesonders das bischöfliche Ordinariat* (Kr. Abh. STUTZ), Stuttgart, 1905 ; DUGAN, *The judiciary department of the diocesan Curia,* Washington, 1925 ; COULY, *L'officialité,* in *Le Canoniste,* t. LVI, LVII et LVIII. Sub respectu historico, cf. JOUSSE, *Traité de la juridiction des officiaux,* Paris, 1769 ; FOURNIER, *Les officialités au moyen-âge,* Paris, 1880 ; FOURNIER, *Comment naquit l'Official,* in *Le canoniste,* 1925, t. XLVII, p. 249 ss. ; ejusd. auct., *Les auditeurs de l'officialité épiscopale parisienne au moyen-âge, ibid.,* p. 185 ss. ; GESCHER, *Das älteste kölnische Officialatsstatut* (1306-1331), in *Zeitsch. d. Savigny-Stiftung,* Kan. Abt., 1925, t. XIV, p. 370 s. Cf. FRIEDBERG, *o. c.,* p. 278 ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 742.

1518. — I. **Judex dioecesanus primae instantiae.**

« In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a jure non exceptis, judex primae instantiae est *loci Ordinarius* [1], qui judiciariam potestatem exercere potest ipse per se, vel per alios, secundum tamen canones qui sequuntur » (can. 1572, §1).

Limitatur proinde potestas judicandi Ordinarii loci [2] a) quoad *causas.* Excipiuntur enim causae superiori tribunali reservatae [3] ; causae religiosorum exemptorum ; causae praeterea in quibus agatur de juribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae aut Curiae dioecesanae, quae, ne Ordinarius judex sit in propria causa, dirimendae deferantur vel, Episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod

---

1. Cf. supra, n. 682 ; ROBERTI, *o. c.,* p. 161 ss.

2. Sub quo nomine veniunt praeter Episcopos residentiales Abbates et Praelati *nullius,* Vicarius Capitularis, non vero Vicarius Generalis qua talis (can. 1573), neque Vicarii aut Praefecti apostolici « quia hi carent iis quae necessaria sunt ad habendum tribunal complete et stabiliter constitutum ; unde potius quam constituere tribunal, dicendi sunt constitui pro tribunali singulis in casibus. Ast vero quoties constituuntur, ex illis personis coalescant quae sunt de necessitate, scilicet notario in omnibus causis, promotore justitiae in causis boni publici et criminalibus » NOVAL, *o. c.,* n. 98. Item dicendum de defensore vinculi in causis de vinculo sacrae ordinationis et matrimonii, juxta infra dicenda n. 1528.

3. Cf. supra, n. 1512 ; can. 1962, 1963, 1993, 1999.

constat officiali et duobus judicibus synodalibus antiquioribus, vel ad judicem immediate superiorem (can. 1572, § 2) ; b) quoad compositionem tribunalis, institutionemque personarum in judicio intervenientium canonibus qui sequuntur.

1519. — II. **Officialis.**

1° *Notio.* Officialis est sacerdos ab Episcopo eligendus cum potestate *ordinaria* judicandi causas quas sibi Episcopus non reservat [1] (can. 1573, § 1).

2° *Dotes.* Debet constitui unicus [2], a Vicario generali distinctus, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum aliud suadeat (can. 1573, § 1) ; debet esse sacerdos [3], integrae famae, in jure canonico doctor vel ceteroquin peritus, annos natus non minus triginta (*ibid.*, § 4).

3° *Potestas.* Unum constituit tribunal cum Episcopo loci (*ibid.*, § 2) ; proinde non datur appellatio ab officiali ad Episcopum.

4° *Amotio, cessatio muneris.* Est ad Episcopi nutum amovibilis ; vacante sede, a munere *non* cessat, nec a Vicario Capitulari amoveri potest ; adveniente novo Episcopo indiget confirmatione (*ibid.*, § 5). Qui Vicarius Generalis est idemque officialis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii, non autem ab officialis munere (*ibid.*, § 6). Si officialis eligitur in Vicarium Capitularem, ipse novum nominat officialem (*ibid.*, § 7).

1520. — III. **Vice-officiales,** sunt sacerdotes quos ab Episcopo officiali *dari possunt* ut ejus adjutores, (can. 1573, § 3). De eorum dotibus, amotione, ab officio cessatione idem valet ac diximus supra de officiali (*ibid.*, § 5).

1521. — IV. **Judices synodales.**

1° In qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in jure canonico periti, etsi extradioecesani, non plures quam duodecim eligantur ut potestate ab Episcopo *delegata* in litibus judicandis partem habeant [4] ; quibus nomen *judicum synodalium* [5] aut *pro-synodalium,* si extra Synodum constituuntur » (can. 1574, § 1) : Ambitus eorum potestatis pendet a

---

1. Cf. supra n. 724 s. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 159 ss.
2. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 115.
3. Juxta NOVAL, *o. c.*, n. 116 et ROBERTI, *o. c.*, p. 166, officialis nequit esse religiosus, quia religiosi nequeunt promoveri ad officia quae cum statu religioso componi non possunt. Nulla consuetudine effici potest ut *officialis,* aut *judices* aut *auditores* sint laici. Ratio est quia isti exercitium habent jurisdictionis ecclesiasticae. Nec in futurum admitti potest ut laicus sit *auditor* in judiciis ecclesiasticis. Cf. *Causa Wratislavien,* S. C. C., 14 dec. 1918, *AAS.*, t. XI, p. 128.
4. Cf. can. 1575 ; 1576, § 3 ; 1581 ; 1584. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 167 ss.
5. Cf. supra n. 715.

terminis delegationis quae eos deputat ad cognoscendum aliquam causam, aut aliquod causarum genus, aut omnes causas quas coram tribunali dioecesano contigerit tractari [1].

2° « Quod ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere attinet, serventur praescripta can. 385-388 [2] » (*ibid.*, § 2).

3° « Nomine judicum synodalium in jure veniunt quoque judices prosynodales » (*ibid.*, § 3).

1522. — V. **Constitutio tribunalis unipersonalis aut collegialis.**

1° *Unicus judex* competens est ut cognoscat causas ecclesiasticas omnes praeter eas quae reservantur tribunali collegiali. Ipse « *potest* in quolibet judicio *duos assessores consultores* sibi adsciscere ; quos tamen ex judicibus synodalibus eligere debet » (can. 1575). Munus horum assessorum non est jurisdictionale, at judici assistunt tanquam consiliarii [3].

2° *Tribunal collegiale.*

a) *Notio.* Tribunal collegiale est tribunal ordinarium [4] constans Episcopo aut officiali vel quasi-officiali ut praeside et duobus vel quatuor judicibus synodalibus.

b) *Causae necessariae.* Juxta can. 1576, § 1, « reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio, » proinde obligatione absoluta et universali [5], reservantur α) *tribunali trium judicum* causae *graviores :* nempe causae contentiosae de vinculo sacrae ordinationis, et matrimonii ; causae contentiosae de juribus aut bonis temporalibus ecclesiae cathedralis ; causae criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda judicialiter excommunicatione ; β) *tribunali autem quinque judicum,* causae *gravissimae,* nempe : « quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important. »

c) *Causae voluntariae.* Tribunali trium vel quinque judicum causae aliae ab Ordinario loci committi possunt, idque praesertim faciat, si sunt difficiliores et majoris momenti (can. 1576, § 2).

d) *Compositio et procedendi forma.* α) « Duo vel quatuor judices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter judices synodales Ordinarius, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existima-

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 118.
2. Cf. supra n. 736 ss. Item quoad juramentum.
3. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 120 ; *causa cit. Wratislavien.*
4. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 172 s.
5. NOVAL, *o. c.*, n. 123.

verit, eligat per turnum » (*ibid.*, § 3) ; β) « Eidem praeest officialis vel vice-officialis, cujus est processum dirigere, et decernere quae pro justitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt » (can. 1577, § 2) ; γ) « Tribunal collegiale *collegialiter* procedere debet, et ad majorem suffragiorum partem sententias ferre » (*ibid.*, § 1).

1523. — VI. **Praesidentia tribunalis.** « Exceptis causis de quibus in can. 1572, § 2, Episcopus *semper potest* tribunali ipse per se praeesse ; sed valde expedit ut causas, praesertim criminales et contentiosas gravis momenti, judicandas relinquat tribunali ordinario, cui praesit officialis vel vice-officialis » (can. 1578) [1].

§ 2. DE JUDICE PRIMAE INSTANTIAE PRO RELIGIOSIS.

1524. — 1° Est *Superior provincialis,* aut si, monasterium sit sui juris, *Abbas localis,* si controversia sit inter *religiosos* exemptos *ejusdem* religionis clericalis, nisi aliter ferant constitutiones (can. 1579, § 1).

2° *Est supremus religionis moderator,* per se vel per delegatum, si controversia agatur inter *duas provincias* [2] ; supremus Moderator congregationis monasticos, si inter *duo monasteria* (*ibid.*, § 2), salva tamen pro utroque casu diverso constitutionum praescripto.

3° Est *Ordinarius loci* [3] si controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales *diversae* religionis, aut etiam inter religiosos ejusdem religionis non exemptae vel laicalis, aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum (*ibid.*, § 3).

ARTICULUS II. — De auditoribus et relatoribus.

1525. — I. **Auditor** seu *actorum instructor* [4] est clericus legitime jurisdictione delegata munitus ut testes citet et audiat aliaque acta judicialia instruat secundum tenorem mandati.

Unus vel plures auditores constitui *possunt* ab *Ordinario* sive stabiliter, sive pro certa causa ; quod si Ordinarius non providerit, *judex* auditorem unum eligere *potest* tantummodo pro causa quam cognoscit.

Ei in genere committi possunt ea quae pertinent *ad medium* causae, nempe a citatione et litis contestatione ad definitionem causae et ea quae ad hanc ex se ordinantur [5] (can. 1580-1583).

1526. — II. **Relator** seu ponens est unus de judicibus collegii quem tribunalis collegialis praeses designare *debet* qui in coetu judicum de

1. Cf. *ibid.*, n. 127.
2. Si res agatur inter *domos* duarum provinciarum, Provincialis domus conventae judex erit ; ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 39 ; NOVAL, *o. c.*, n. 128.
3. Nempe Ordinarius loci in quo reus conventus sortitur forum.
4. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 179 s.
5. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 135 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 180 s. Cf. causa S. R. R., 20 oct. 1917, juxta quam distincta esse debeat persona judicis et instructoris, at si secus contingat, nullitas judicii ideo non sustinetur, *S. Rotae Romanae decisiones* a. 1917, t. IX, p. 257 ss., Romae, 1925.

causa referat et sententias in scriptis redigat (can. 1584). Ipsius ergo est speciem facti summarie exponere, probationes et allegationes utrimque allegatas breviter innuere, suas conclusiones exponere et sententias collegarum sub forma ab ipsis probanda in scriptis redigere [1].

ARTICULUS III. — De Notario, Promotore justitiae, vinculi Defensore.

1527. — I. **Notarius** est persona publica auctoritate constituta ut acta ab eo exarata aut conscripta plenam fidem faciant [2]. Dicitur etiam *actuarius* cum deputatur ad acta judicialia exaranda.

« *Cuilibet processui* [3] interesse oportet notarium... adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo conscripta » (can. 1585, § 1). Actuarius in singulis causis designatur ab Ordinario vel a judice eligitur ex notariis legitime constitutis [4].

Hoc munere fungi possunt laici et clerici ; at in causis criminalibus clericorum, clericis dumtaxat reservatur actuarii munus.

1528. — II. **Promotor justitiae et defensor vinculi** [5].

1° *Notio.* a) *Promotor justitiae* est sacerdos ab Ordinario publice constitutus pro justitiae et juris tutela in causis *contentiosis* in quibus bonum publicum, judicio Ordinarii, in discrimen vocari potest et in causis *criminalibus* (can. 1586 ; 1589, § 1) [6]. Ipse personam publicam gerens, stat pro bono et ordine publico, pro defensione jurium societatis ecclesiasticae ; ideo in omnibus causis criminalibus partes sustinet accusatoris publici, in causis autem contentiosis personarum physicarum aut moralium [7] intervenit quoties, judicio Ordinarii, bonum publicum id postulare videatur.

b) *Defensor vinculi* est sacerdos ab Ordinario publice constitutus ut in causis judicialibus validitatem matrimonii aut sacrae ordinationis defendat (can. 1586 ; 1589, § 1).

2° *Necessitas officii.* a) Uterque in dioecesi constituendus est (can. 1586) ; promotor vero, in tribunali etiam religiosorum, et quidem ejusdem religionis alumnus (can. 1589, § 2).

1. NOVAL, *o. c.*, n. 137.
2. Cf. c. 11, X, II, 19 ; HEINER, *o. c.*, p. 28 s. ; NOVAL, *o. c.*, n. 138 s. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 184 ss.
3. Etiam si agatur de processu administrativo.
4. Cf. supra, n. 734.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 162 ss. ; NOVAL, *o. c.*, n. 140 ss. ; PÉRIES, *Le procureur fiscal ou promoteur* (Extr. de la *Rev. des sc. eccl.*, 1897, avril), Lille, 1897. ROBERTI, *o. c.*, p. 191 ss. — Promotor justitiae aut infrequenter *promotor fiscalis* appellatur. Fiscus hic auditur universitas rerum et jurium societatis ecclesiasticae.
6. Cf. *causa Tergestina* Signat. Apost., 15 mart. 1921, *AAS.*, t. XIII, p. 269 ss.
7. Non omnis actio personae moralis interest boni publici, ut innuere videtur NOVAL, *o. c.*, n. 144.

b) « In causis in quibus eorum praesentia requiritur, promotore justitiae aut vinculi defensore non *citato,* acta *irrita* sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint » (can. 1587, § 1).

« Si legitime citati *aliquibus* [1] actibus non interfuerint, *acta quidem valent,* verum postea eorum examini subjicienda omnino sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna judicaverint [2] » (*ibid.,* § 2).

3° *Electio personae.* « Eliguntur ab Ordinario [3], qui sint sacerdotes integrae famae, in jure canonico doctores vel ceteroquin periti, ac prudentiae et justitiae zelo probati » (can. 1589, § 1).

4° *Ambitus et duratio officii* a) « Constitui possunt tum ad universitatem causarum tum pro singulis causis » (1588, § 2), ergo permanenter [4] aut transitorie ;

b) « Electi ad universitatem causarum a munere non cessant, sede episcopali vacante, nec a Vicario Capitulari possunt removeri ; adveniente autem novo Praelato, indigent confirmatione » (can. 1590, § 1).

c) « Justa tamen intercedente causa, Episcopus eos removere potest » (*ibid.,* § 2).

ARTICULUS IV. — De Cursoribus et Apparitoribus.

1529. — Cursores et Apparitores sunt publici tribunalis ecclesiastici ministri, plerumque laici, qui constituuntur ab Ordinario, sive stabiliter sive pro aliqua causa, alii ad acta judicialia intimanda, alii ad sententias et decreta judicis, eo committente, exsecutioni mandanda. Acta quae hi confecerint, publicam fidem faciunt, nimirum aequivalentem testimonio duorum testium, sed tamen directe oppugnabilem [5] (can. 1591-1593).

CAPUT II.

DE TRIBUNALI ORDINARIO SECUNDAE INSTANTIAE.

1530. — I. **Judex secundae instantiae.**

1° « A tribunali Episcopi Suffraganei appellatur ad *Metropolitam* » (can. 1594, § 1) [6].

1. Quodsi nulli actui interfuerint, legitime tamen citati, acta quoque valere censent NOVAL, *o. c.,* n. 145 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 43, cum eorum praesentia conditio non sit expresse requisita sub sanctione nullitatis ; verum postea acta eorum examini subjicienda omnino sunt.

2. Si vero acta eorum examini non subjiciuntur, videtur in hoc defectu haberi potius causa rescindibilitatis quam nullitatis.

3. Vicarius Generalis promotorem justitiae aut defensorem vinculi nominare potest, si nullus adsit in curia. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

4. Saltem in dioecesibus debet stabiliter constitui, cf. can. 1586.

5. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 155.

6. Quoad ordinem appellationis a judice delegato aut subdelegato, cf. NOVAL, *o. c.,* n. 157.

2° « A causis in prima instantia pertractis coram Metropolita fit appellatio *ad loci Ordinarium,* quem ipse Metropolita, probante Sede Apostolica, semel pro semper designaverit[1] » (*ibid.*, § 2).

3° Pro causis primum agitatis coram Archiepiscopo qui caret Suffraganeis vel coram loci Ordinario immediate Sedi Apostolicae subjecto fit appellatio ad *eum Metropolitam,* qui semel pro semper, praevia S. Sedis approbatione, electus est[2] (*ibid.*, § 3).

4° Inter religiosos *exemptos*[3], pro omnibus causis coram Superiore provinciali actis, tribunal secundae instantiae est penes *supremum Moderatorem ;* pro causis actis coram Abbate locali, penes *supremum Moderatorem Congregationis monasticae ;* pro causis vero in quibus Ordinarius loci est judex primae instantiae[4], penes Metropolitam vel Ordinarium loci semel pro semper tanquam judicem secundae instantiae electum (*ibid.*, § 4).

1531. — II. **Constitutio et modus procedendi.**

1° « Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae *constitui* debet ; et eaedem regulae, accommodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt » (can. 1595).

2° « Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis nec a minore judicum numero definiri debet » (can 1596).

Nota. Quamvis tribunal S. Rotae Romanae, non sit *ordinarium* tribunal appellationis, tamen juxta inferius dicenda, licet ad hoc tribunal Apostolicae Sedis appellare, praetermisso ordinario tribunali secundae instantiae.

CAPUT III.

DE ORDINARIIS APOSTOLICAE SEDIS TRIBUNALIBUS.

1532. — **Praenotanda.** 1° « Romanus Pontifex pro toto orbe catholico ad normam can. 1569[5] judex est supremus, qui vel ipse per se[6] jus dicit, vel per tribunalia ab ipso constituta, vel per judices a se delegatos » (can. 1597).

2° Tribunalia Apostolicae Sedis alia sunt ordinaria, alia extraordinaria. Tribunalia *extraordinaria* sunt praeprimis S. Officium pro causis

---

1. Archiepiscopus Mechliniensis a. 1920 Ordinarium Gandavensem in judicem secundae instantiae designavit. Cf. *AAS.*, t. XII, p. 163.
2. Cf. can. 285, supra n. 636. — Respiciendum est etiam ad jus particulare. Cf. Const. Leon. XIII, *Trans Oceanum,* 18 apr. 1897, n. 14, in *Append.* conc. Americ. Latinae, p. 608 ss.
3. Consulendae imprimis sunt constitutiones, cf. can. 1579, § 1 et 2 ; NOVAL, *o. c.*, n. 156.
4. Juxta superius dicta ad. can. 1579, § 3, n. 1524.
5. Cf. supra, n. 1514.
6. Cf. supra causas quae ratione personae absolute et exclusive R. Pontifici reservantur, n. 1512.

fidei [1] et S. Rituum Congregatio pro causis beatificationis et canonizationis sanctorum. Tribunalia ordinaria fori externi sunt Sacra Rota Romana et Signatura Apostolica, reformata constitutione Pii X. *Sapienti consilio* 29 jun. 1908 [2].

ARTICULUS I. — De Sacra Rota Romana.

1533. — I. **Notae historicae** [3]. S. Rota [4] nomen suum sortita esse videtur vel a *rota* i. e. ab illo instrumento ligneo, in quo codices vel officiorum libri in bibliothecis aut in choro collocabantur ad commoditatem legentium *(lectrin* ou *lutrin),* vel quia in *rota* seu *gyro* sedere consueverunt auditores [5]. Originem remotam ducit hoc tribunal ab antiquissima praxi delegandi in Curia Romana *auditores,* Cardinales, Cappellanos pontificios vel etiam clericos pro tempore Romae degentes ad cognoscendas vel etiam terminandas causas judiciales ad Pontificem delatas. Mox, reservatis Cardinalibus causis majoribus, inter capellanos *Auditores generales causarum Sacri Palatii* creati sunt, qui habitualiter et quasi ex officio ad causas judiciales praesertim minores deputabantur. Proximam vero originem ducere videtur tribunal S. Rotae seu *Collegium* Auditorum ex unione variorum tribunalium, quae multiplicatis causis, in fine saec. XIII et initio saec. XIV, modo permanenti et independenti instituta sunt. Quidquid sit, *Collegium* Auditorum, ad quod pertinebat videre de negotiis civilibus ecclesiasticis totius orbis christiani, Joannes XXII, Const. *Ratio Juris*

---

1. Cf. supra n. 1510 ; ROBERTI, *o. c.,* p. 235 ss.

2. Suppressa fuit antiqua ordinatio Tribunalium *Signaturae gratiae et justitiae* et exstincta *judicialis* competentia *Camerae Apostolicae.* Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* ed. 7, p. 227 s. ; WERNZ, *o. c.,* t. II, pars II, p. 426 ss. — Cf. supra n. 569 de historia Curiae Romanae.

3. Cf. PHILIPPS, *Kirchenrecht,* t. VI, p. 449 ss. ; HINSCHIUS, *Kirchenrecht,* t. I, p. 392 ss. ; SAEGMUELLER, *Die Entwicklung der Rota b. z. Bulle Johanns XXII « Ratio Juris »,* a. 1326 (1331) in *Theol. Quart.-Schrift,* 1895, t. LXXVII, p. 95-120; HENNER, *Zur Gesch. d. Rota Romana,* in *Arch. f. kath. Kirchenr.,* 1895, t. LXXIII, p. 177 ss. ; TANGL, *Eine Rotaverhändlung vom Jahre 1323,* in *Mitt. d. Instituts f. Oesterr. Geschichtsforsch.* VI Ergänz.-Bd. (1901), p. 320 ss.; GOELLER, *Zur Geschichte d. Rota Romana,* in *Arch. f. kath. Kirchenr.,* 1911, t. XCI, p. 19 ss.; ejusd. auct., *W. Horborch u. die « Decisiones antiquae » d. Rota Romana, ibid.,* p. 662-680 : SCHNEIDER, *Die Entstehungsgeschichte der R. Rota als Kollegialgericht,* Roma, 1913 ; CERCHIARI, *Cappellani Papae et Apostolicae Sedis auditores causarum sacri palatii apostolici seu S. Romana Rota ab origine usque ad diem 20 sept. 1870.* Relatio historico-juridica, Romae, 4 vol. 1919-1921 ; *Bullet. de littér. ecclésiastique,* 1923, p. 348 ss. ; COLOMBE, *La « Rota » de la grande audience du Palais des Papes,* Avignon, 1921 ; FLIMAUX, *Contribution à l'histoire des sources du droit canon. Les anciennes collections de « Decisiones Rolae Romanae »* dans la *Rev. hist. de dr. fr. et étr.,* 4 sér., t. IV, p. 61 ss. ; MONIN, *De Curia Romana,* p. 96 ss. ; SAEGMUELLER, *Kr.*[2], p. 374, nota (1) ; NOVAL, *o. c.,* n. 162 ss. ; ROBERTI, *o. c.,* p. 202 ss.

4. Vox *rota* primum occurrit a. 1336, initio pontificatus Benedicti XII, cf. GOELLER, *Zur Geschichte d. Rota R.,* p. 26 s. Cf. EITEL, *Rota und Rueda,* in *Arch. f. Urkundenforschung,* t. V, p. 299 ss.

5. Cf. alias hypotheses apud MONIN, *o. c.,* p. 96, nota (1) ; FERRERES, *La Curia Romana,* p. 392 s.

a. 1331, non jam instituit[1] sed *supponit* et ordinat. Postea S. Rota adepta est competentiam circa causas civiles saeculares ditionis pontificiae. Usque ad saec. XVII magnam celebritatem nacta est ; at, post institutas praesertim Congregationes Romanas quae auctoritate et celeriori modo procedendi praestabant, multum pristini splendoris amisit[2], imo paulatim extra ditionem pontificiam ordinarie non amplius exercuit potestatem et ab anno 1870 ad meram umbram redacta est. Pii X ordinatione rursum in exercitium vocata est et quidem ut proprie dictum *tribunal justitiae,* juxta *Legem propriam*[3] instituendum, additisque postea regulis servandis in judiciis apud hoc Sacrum Romanum Tribunal[4]. Pauca quae Codex proponit de compositione, competentia et modo procedendi Rotae Romanae, e *Lege propria* depromuntur.

1534. — II. **Notio et compositio**[5]. Sacra Rota Romana est tribunal ordinarium a Sancta Sede constitutum maxime pro appellationibus recipiendis. Est tribunal collegiale constans certo Auditorum numero[6], cui praesidet Decanus, qui est primus inter pares (can. 1598, § 1). Auditorum electio R. Pontifici reservatur (*ibid.*, § 3)[7]. Sunt insuper in S. Rota promotor justitiae, defensor vinculi matrimonialis[8], professionis religiosae et sacrae ordinationis, notarii, aliique administri inferiores.

Decanus cum duobus primis Auditoribus[9], ad modum *Congressus* Congregationum, videt de natura quaestionis, num tractanda sit in linea disciplinari aut servato ordine judiciali[10].

S. Rota, duabus formis jus dicit, aut per turnos trium Auditorum[11], aut

---

1. Cf. TANGL., *o. c.*, qui publicavit decisionem S. Rotae a. 1323.

2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 423 ; MONIN, *o. c.*, p. 105 ss. ; ubi plurima inveniuntur circa constitutionem, competentiam, proceduram, varios usus antiquae Rotae. Optime notat idem auctor, p. 110, quod *antiquae* decisiones rotales non sint *sententiae,* sed uti habet FOURNERET (*Dict. de théol. cath.*, v° Décisions, col. 182 ss.) : On entend par décision de la S. Rote « un acte extrajudiciaire, formulant et motivant avant sentence l'avis du tribunal sur le point en litige ». Decisio communicabatur utrique parti litiganti ad ulteriorem informationem. Cf. etiam : *S. Rotae Romanae decisiones quae prodierunt a. 1909, cura ejusdem Tribunalis editae cum praefatione a R^mo^ LEGA exarata de veterum Decisionum natura et origine earumque collectionibus.* Vol. I, Romae, 1912.

3. Habetur ap. *AAS.*, 1909, t. I, p. 20 ss. Citabitur LP.

4. Regulae servandae in judiciis apud S. Rotae tribunal approbatae et confirmatae a Pio X, 2 aug. 1910, ap. *AAS.*, t. II, p. 783 ss.

5. LP., tit. I, c. I, can. 1-13.

6. Vi Legis propriae constat collegium *decem* Praelatis auditoribus.

7. Cum aetatem 75 annorum incoeptorum attigerint a munere judicis cessant, LP., can. 1, § 3 ; coll. Decret S. C. Consist. 28 jul. 1909. *AAS.*, t. I, p. 623.

8. Et substitutus defensoris vinculi, ex mandato Pii X, 2 aug. 1910, ap. *AAS.*, t. II, p. 652.

9. Praecedentia Auditorum determinatur ratione antiquioris nominationis et in pari nominatione, ratione antiquioris ordinationis sacerdotalis, LP., *l. c.*, can. 2, § 2. De privilegiis Auditorum S. R. Rotae cf. decret. 16 jul. 1913, VERMEERSCH, *Period. de relig.*, t. VIII, p. 76 s.

10. Cf. BESSON, in *Nouv. rev. théol.*, 1908, t. XL, p. 720 s. ; MONIN, *o. c.*, p. 341 s. Cf. Resp. S. C. Consist. 11 jun. 1909, ad III et IV, ap. *AAS.*, 1909, t. I, p. 515 s. ; *Collat. Brugen.*, l. c., p. 429, nota (1).

11. LP., can. 12. Turni hoc ordine procedunt. Primus turnus constituitur ex tribus ultimis Auditoribus (10, 9, 8) ; secundus et tertius ex sex praecedentibus (7, 8, 5 ; 4, 3, 2) ; quartus ex Decano et duobus ultimis Auditoribus (1, 10, 9)

videntibus seu praesentibus omnibus [1] nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat (can. 1598, § 4) [2].

1535. — III. **Competentia.** 1° Ratione *territorii* exercet competentiam universalem ; attenta *natura causarum* est competens relate ad omnes causas spirituales contentiosas sive civiles, sive criminales, exceptis penitus causis majoribus (can. 1600) [3].

2° Relate *ad gradum instantiae* exercet partim delegatam, partim ordinariam jurisdictionem [4].

a) *Potestas delegata.* S. Rota judicat in prima instantia « causas de quibus in can. 1557, § 2 [5] aliasve quas Romanus Pontifex sive motu proprio, sive ad instantias partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit ; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota judicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum qui sibi invicem succedunt (can. 1599, § 2) [6].

Illud rescriptum commissionis est necessarium, etiam si agatur de causis in prima instantia judicandis, quas ipsae Sacrae Congregationes ad S. Rotam remittunt, exceptis causis dispensationis super Matrimonio rato, quas C. de Sacramentis jure proprio potest ad S. Rotam remittere [7].

b) *Potestas ordinaria.*

α) S. Rota Romana est principaliter *tribunal ordinarium appellationis* ab omnibus tribunalibus ecclesiasticis.

Ideo judicat « in secunda instantia causas quae a quorumvis Ordinariorum [8] tribunalibus in primo gradu dijudicatae fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam [9] deferantur » (can. 1599, § 1°).

Judicat quoque « in *ultima instantia* causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia jam cognitas, quae in rem judicatam [10] non transierint » (*ibid.*, 2°).

Nota. « Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam, sed de ejusmodi recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregationes » (can. 1601) [11]. His enim exclusive competunt res administrativae.

---

qui denuo in turni seriem redeunt, et inde porro. In unoquoque turno, praeses est semper Auditor, cui prior locus competit.

1. Ita, quando judicat de causa restitutionis in integrum ei remissa a Signatura Apostolica, cf. can. 41 LP.
2. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 170. Ea dispositione Pontificia tribunal constabit quinque vel septem Auditoribus.
3. Cf. supra n. 1514, 1532. V. LP, *l. c.*, can. 15-17.
4. LP., tit. I, cap. 2, *de competentia S. Rotae Romanae*, can. 14-17.
5. Cf. n. 1512.
6. Cf. etiam LP., can. 19, § 2.
7. Cf. *Causa Romana*, 28 jan. 1909, ap. *AAS.*, t. I, p. 211 ss. Vide can. 1962.
8. Tum Ordinariorum loci, tum Ordinariorum religiosorum.
9. Cf. can. 1880 ss.
10. Cf. can. 1902 s.
11. Cf. Com. ad interpr. cod. can., 22 maii 1923, *AAS.*, t. XVI, p. 251 : actio judicialis, ne quidem ratione refectionis damnorum, datur adversus actus, ordinationes, decreta Ordinariorum quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectant. Cf. A. C. *Le recours administratif en droit canonique*, in *Le canoniste*, 1924, t. LXVI, p. 455 ss.

1536. — IV. **De modo recurrendi ad Sacram Rotam.**

Omnes fideles jus habent causas suas, etiam in primo gradu definiendas, ad supremum Romani Pontificis tribunal deferendi (can. 1599, § 2) [1].

Partes *per se ipsas* possunt apud S. Rotam jura sua defendere, aut sibi assumere advocatum sed inter approbatos. Absens per procuratorem privatum, modo a tribunali approbetur, vel per procuratorem in curia romana approbatum, mandato speciali et scripto munitum, agere potest [2].

Quoad *expensas* judiciales, consulenda est appendix *Legis propriae,* ubi cap. IV, agitur de exemptione totali aut partiali a judicialibus expensis et de gratuito patrocinio, pro pauperibus et quasi-pauperibus [3].

1537. — V. **De modo judicandi et sententiandi** [4].

In sententiam consentire debent duo saltem ex Auditoribus aut pars absolute major, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur juxta rescriptum commissionis Pontificiae aut momentum quaestionis.

Oportet ut sententia sit stricto juri conformis, non vero praeter legem prolata ; insuper rationes tam in facto, quam in jure sub poena nullitatis continere debet [5].

Sententiae S. Rotae, de ipsius competentia latae, non indigent approbatione pontificia [6].

1538. — VI. *De valore juridico sententiarum S. Rotae Romanae,* nil in jure modificatum est [7]. Decisionum seu sententiarum S. Rotae magna sane est auctoritas, quam nanciscuntur ex securitate modi procedendi, ex auctoritate et prudentia Auditorum. Obligationem pariunt pro partibus, non pro aliis inferioribus magistratibus ac si essent decisiones papales. Habent hae sententiae valorem declarationis juridicae et decisionis directivae, non vero authenticae interpretationis et legalis dispositionis [8].

---

1. Romanus Pontifex, si nulla praecesserit sententia formalis, causam S. Rotae committet aut illam judicibus ordinariis, juxta jus commune, definiendam tradet.

2. LP., can. 18 et tit. III *de advocatis penes S. Rotam et Apostolicam Signaturam ;* VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 50. Cf. Motu proprio 26 maii 1909, quo deletur coetus jurisconsultorum et causas in foro agentium, cui nomen a Petro Apostolorum Principe, ap. *ASS.,* t. I, p. 445.

3. *Rev. Prat. d'Apologét.,* 1911, t. XI, p. 700 s.

4. LP., tit. II, cap. 3, *de modo judicandi Sacrae Romanae Rotae,* ubi ordo judicii describitur. Haec omnia fusius describuntur in ordinatione citata cui titulus : *Regulae servandae in judiciis apud Sacrae Romanae Rotae Tribunal,* 2 aug. 1910 ; cf. MONIN, *o. c.,* p. 347 ss. ; FERRERES, *La Curia Romana,* p. 404 s. Cf. animadversiones Decani S. R. Rotae, 16 oct. 1922, de crisi decisionum hujus tribunalis in causis nullitatis matrimoniorum, *AAS.,* t. XIV, p. 560 ss.

5. LP., can. 31, § 3 ; 32, § 3.

6. Supra, n. 573.

7. WERNZ, *o. c.,* t. I, p. 171 ; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* ed. 7, n° 231, p. 216, nota 1 ; n° 250, p. 228 ; *Etudes,* 1908, t. 117, p. 655 ; *Dictionnaire de théol. cath.,* fasc. 26, v° *décision de la Rote ;* MONIN, *o. c.,* p. 356 s.

8. Cf. PERZANI, *In decisiones S. R. Romanae commentarium.* Anno I, 1909. Romae, 1910 ; *S. R. Romanae decisiones quae prodierunt a. 1909, cura ejusdem S. Trib. editae.* Vol. I, Romae, 1912 ; t. XII, prodiit a. 1927, continet decisiones rotales a. 1920.

ARTICULUS II. — De Signatura Apostolica.

1539. — 1° **Origo**[1]. Olim existebat duplex Signatura, alia *justitiae,* alia *gratiae,* diversa competentia et procedendi modo. Illud duplex Tribunal originem ducit « a tempore sat indeterminato quo Romanus Pontifex, inducta jam distinctione inter causas *justitiae* et causas *gratiae,* priores certis quibusdam referendariis, posteriores vero omnibus passim referendariis recipiendas et referendas, modo stabili commisit. At in ipsa horum referendariorum institutione reponenda est remotior origo Signaturae[2]. » *Referendarii Apostolici* erant officiales Curiae qui fidelium supplicationes et recursus exciperent, super iisdem ad Pontificem referrent et ipsi rescripta ad *signandum,* i. e., subsignandum proponerent. Inde appellati sunt *Referendarii Signaturae ;* inde etiam nomen *Signaturae* exortum est. Verisimiliter initio XVI stabilita est distinctio referendariorum in duplicem Signaturam *justitiae et gratiae.* Quoad *competentiam* antiquae Signaturae justitiae apparet praecipue ut *supremum cassationis Tribunal,* quod judicat non de *merito* sed de *forma* causae. Competens erat quoad causas spirituales universalis Ecclesiae, necnon et circa profanas patrimonium Ecclesiae temporale respicientes. Hoc tribunal, cujus jurisdictio post a. 1870 prorsus quievit, suppressit Pius X, abolita etiam Signatura gratiae; novum erexit tribunal supremum, Signaturam Apostolicam, quae caeteroquin antiquae Signaturae justitiae similitudinem refert. Hujus supremae Tribunalis competentia fuit certius definita et aucta per chirographum Benedicti XV, 28 jun. 1915[3].

1540. — II. **Compositio.** « Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal constat nonnullis[4] S. R. E. Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur » (can. 1602).

1541. — III. **Competentia**[5]. Erigitur praesertim ut supremum *rescissionis* seu cassationis tribunal, respectu decisionum S. Rotae Romanae quae vitio nullitatis laborent[6] ; est etiam ad instar consilii disciplinaris relate ad judices Curiae in suo munere delinquentes et relate ad tribunalia inferiora pro conflictibus competentiae dirimendis.

Ideo in specie ad normam can. 1603 et 1604 videt 1° *potestate ordinaria :*

a) De violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus Sacrae Rotae illatis eo quod actum nullum vel injustum posuerint, etiam in gradu appellationis ; b) De exceptione suspicionis contra aliquem Rotae Auditorem ; quo facto, judicium si casus fert ad S. Rotam remittit ; c) De querela

---

1. Cf. PHILIPS, *o. c.,* t. VI, p. 503 ss. ; HINSCHIUS, *o. c.,* t. I, p. 415 ss. ; WERNZ, *o. c.,* t. II, p. 2, p. 427 ; MONIN, *o. c.,* p. 111 ss. ; PARAYRE, *La signature apostolique,* in l'*Université catholique,* 1911 ; OJETTI, *De Romana Curia,* p. 187 ; NOVAL, *o. c.,* n. 175 ; ROBERTI, *o. c.,* p. 215 ss.
2. Cf. MONIN, ubi illa intricata quaestio optime exponitur.
3. *AAS.,* t. VII, p. 320 ss.
4. Juxta LP. sunt sex Cardinales. Cf. de collegiis *Votantium* et *Referendariorum,* chirographum cit. Bened. XV.
5. Cf. MONIN, *o. c.,* p. 358.
6. Cf. can. 1680, 1892, 1894.

nullitatis contra sententiam rotalem ; de expostulatione pro restitutione in integrum, adversus sententiam rotalem quae in rem judicatam transierit ; de recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit. Quibus in casibus judicat non *de merito* seu justitia intrinseca sed *de forma* seu justitia extrinseca, nempe num sit nulla sententia rotalis, num locus sit restitutioni in integrum, vel recursus sit admittendus ; et nullitate declarata, restitutione concessa, aut admisso recursu, causam remittet ad S. Rotam [1] ; d) De conflictu competentiae quem enasci contingat inter tribunalia inferiora, ad normam can. 1612, § 2.

2° *Potestate delegata* videt de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectis ad obtinendam causae commissionem apud Sanctam Rotam et decernit utrum precibus annuendum sit, necne.

1542. — IV. Quoad **modum procedendi,** consulantur *Lex propria,* tit. II, c. 2, can. 38-43 et *Regulae servandae* in judiciis apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, 6 martii 1912 [2].

Dum alia tribunalia sub poena nullitatis rationes juri et facti quibus sententia [3] innititur exprimere debent, Signaturae Apostolicae « sententiae suam vim habent, quamvis rationes in facto et in jure non contineant. Nihilominus sive ad instantiam partium sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicere potest ut praedictae rationes exponantur secundum regulas Tribunalis proprias » (can. 1605).

CAPUT IV.

DE TRIBUNALI DELEGATO.

1543. — I. **Notio.** Tribunal Delegatum est illud quod ab alio judice vel tribunali, sive singulari sive collegiali, deputatur ad unam causam vel plures quidem, sed aliquo modo determinatas, cognoscendas et definiendas [4].

II. **Potestas judicis delegati.** Quoad subjectum activum et passivum potestatis delegatae, ejus interpretationem, exercitium, cessationem et suppletionem servari debent can. 199-207, 209 (can. 1606) [5].

III. **De ministris tribunalis delegati,** cf. can. 1607.

---

1. « At Signatura ex commissione Pontificis quandoque, praeter restitutionem vel nullitatem, etiam meritum judicavit, saepius ante Codicem, rarius post Codicem » ROBERTI, *o. c.*, p. 225, nota 2. Cf. *causa Montisgalen. in Subalpinis,* 27 jun. 1918, *AAS.*, t. X, p. 391 ss.

2. Ap. *AAS.*, 1912, t. IV, p. 187 ss. Cf. etiam chirographum cit. Benedicti XV. Vide ROBERTI, *o. c.*, p. 226 ss.

3. Cf. can. 1873, § 1 ; 1894.

4. Ita NOVAL, *o. c.*, n. 180.

5. Cf. supra n. 454 ss. De natura jurisdictionis delegatae vide n. 477 ss.

TITULUS III.

DE DISCIPLINA IN TRIBUNALIBUS SERVANDA.

Connexio et ordo materiae. Duobus praecedentibus titulis actum est de foro competenti et de variis tribunalium gradibus et speciebus ; nunc in articulo tertio propius jam ad ipsam actionem accedentes, videbimus quaenam disciplina seu quaenam normae generales in omni tribunali servandae sint ut processus judicialis juste et debito cum ordine peragatur. Praedictae normae respiciunt : a) officium judicis et tribunalis ministrorum (cap. I, can. 1608-1626) ; b) ordinem cognitionum sive de causis inconnexis agatur, sive de quaestionibus connexis, nempe de exceptionibus, actionibus, reconventionibus etc. (cap. II, can. 1627-1633) ; c) spatium temporis litigantibus concessum intra quod aliquis est actus judicialis ponendus vel exsequendus (cap. III, can. 1634-1635) ; d) locum et tempus judicii (cap. IV, can. 1636-1639) ; e) personas ad disceptationem judicialem admittendas et modum conficiendi et conservandi actus (cap. V, can. 1640-1645).

CAPUT I.

DE OFFICIO JUDICUM ET TRIBUNALIS MINISTRORUM.

1544. — I. **Obligatio judicis praestandi suum ministerium.** « Judex competens parti legitime petenti suum ministerium ne recuset » (can. 1608) ; secus denegat justitiam et actor non auditus apud superiorem judicem querelam denegatae justitiae movere potest ad normam can. 1710. Judex vero qui jus reddere recusat de damnis tenetur et aliis poenis puniri potest (can. 1625, § 1).

1545. — II. **Obligatio judicis cognoscendi praevie de propria competentia.**

1° Ne judicium exponatur periculo nullitatis, « judex antequam aliquem ad suum trahat tribunal et judicaturus sedeat, videat utrum *ipse sit competens* necne. Eodemque modo antequam aliquem ad agendum admittat, cognoscere tenetur *num is in judicio possit jure consistere* » (can. 1609, § 1 et 2).

2° Contra incompetentiam judicis duplex datur remedium juris [1] :

a) *Exceptio contra incompetentiam judicis* de qua ipse judex videre debet (can. 1610, § 1).

In casu exceptionis de incompetentia *relativa* [2], si judex se *competentem* pronuntiat, ejus decisio non admittit appellationem (*ibid.*, § 2) ;

1. Cf. *causa S. R. dioecesis X*, 30 apr. 1923, *AAS.*, t. XV, 296 ss.
2. Cf. supra n. 1511.

proinde, vi legis, hoc in casu judex forsan incompetens, fit competens, etiam invitis partibus [1]. At, in sensu contrario, in casu incompetentiae absolutae, decisio judicis de propria competentia [2] admittit appellationem.

« Quod si judex se quali modo *incompetentem* declaret, licet parti quae sese gravatam putet ad Superiorem judicem appellare » (*ibid.*, § 3).

b) *Declaratio judicis propriae incompetentiae.*

« Judex quovis in stadio causae se *absolute* incompetentem agnoscens, suam incompetentiam declarare tenetur » (can. 1611). Quae obligatio judicis urget *ex officio*. Si vero judex sese *relative* incompetentem agnoverit antequam judicaturus sedeat, tenetur etiam eam declarare ex can. 1609, § 1 et 1559 § 1 [3].

3° Controversia de competentia inter duos pluresve judices definienda est a tribunale immediate superiore ; quo deficiente a Legato Sanctae Sedis, si adsit, vel, si non adsit, ab Apostolica Signatura (can. 1612) [4].

1546. — III. Exceptio suspicionis.

1° « Judex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo gradu lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, *aliquid* ipsius intersit, vel in qua antea advocatum aut procuratorem egerit. In iisdem rerum adjunctis ab officio suo abstinere debent justitiae promotor et defensor vinculi » (can. 1613).

Quodsi judex suspectus existat, ejus forum a partibus declinari potest per exceptionem suspicionis, proponendam ab initio judicii ante litem contestatam [5]. Eodem modo excludi potest suspectus justitiae promotor aut defensor vinculi [6].

2° Dici potest in genere exceptionem suspicionis definiendam esse a judice immediate superiori illius contra quem movetur, ad normam can. 1614, v. gr. si proponatur contra judicem delegatum definienda est a delegante, si contra officialem, ab Episcopo, si contra Auditorem S. Rotae, a Signatura Apostolica.

---

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 193.
2. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 241 ss.
3. NOVAL, *o. c.*, n. 194.
4. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 244 ss.
5. Cf. *causa S. R. R. Mauranen. seu Camberien.*, 13 jul. 1918, *AAS.*, t. XI, p. 392 ss.
6. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 248 s.

3° Haec exceptio est expeditissime definienda (can. 1616) ; si admissa fuerit, personae mutari debent, non judicii gradus, et suspectis aliae a suspicione immunes personae subrogare debet Ordinarius (can. 1615).

4° Sicut omnes causae incidentes, exceptio suspicionis vel servata judicii forma vel mero decreto, definiri potest (can. 1840, § 1) ; contra decisionem non datur appellatio (can. 1880, 7°) [1].

1547. — IV. **De auxilio a judice ex officio praestando necne.**

1° « In negotio quod *privatorum* solummodo interest, judex procedere potest dumtaxat ad *instantiam partis* [2] ; sed in iis quae ad publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, *etiam* [3] ex officio » (can. 1618).

2° « Si actor *pro re sua* probationes quas afferre posset, non afferat, vel reus exceptiones sibi competentes non opponat, judex ne suppleat [4]. Si vero agatur vel de publico bono vel de animarum salute, eas supplere potest et debet » (can. 1619).

1548. — V. **Definitio causarum properanda.**

« Judices et tribunalia curent ut *quamprimum,* salva justitia [5], causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae ultra biennium non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra annum » (can. 1620) [6]. Quod si observatum non fuerit *perimitur instantia* ad normam can. 1736.

1549. — VI. **Cautiones ut disciplina et justitia in tribunalibus servetur.**

1° *Jusjurandum* (can. 1621-1622). Excepto Episcopo, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, juramentum de officio rite et fideliter implendo praestare debent, idque ab initio suscepti officii si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sint constituti. Partes quoque et testes de veritate dicenda, periti vero de munere fideliter obeundo jusjurandum praestare tenentur [7]. Juramentum a sacerdotibus *tacto pectore*, a ceteris fidelibus, tacto Evangeliorum libro emitti debet.

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 201 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 251 s.
2. Cui enim liberum est jus et actionem quae ipsi adversus alium competunt deserere vel persequi.
3. Proin etiam ad instantiam cujusvis catholici. Cf. pro causis matrimonialibus, can. 1971.
4. Nisi tamen evidens esset imperitia alterutrius partis. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1053.
5. Quae exigere potest ut alia causa praecedat aut dilationes aut prorogationes concedantur, quo impossibilis fiat definitio causae intra tempus statutum. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 206.
6. Cf. Trid. Sess. XXIV, c. 20, de ref.
7. Cf. can. 1744, 1767 ss., 1797.

2° *Secretum servandum.*

« In judicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicujus actus processualis praejudicium partibus obvenire possit, judices et tribunalis adjutores tenentur ad secretum *officii.* Tenentur etiam semper ad inviolabile secretum servandum de discussione quae in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis » (can. 1623). Imo si adjuncta id petant, judex potest omnes qui in judicio partes habent ad secretum servandum adstringere.

3° *Munera non accipienda.* « Judex et omnes tribunalis administri, occasione agendi judicii, munera quaevis acceptare prohibentur » (can. 1624).

4° *Sanctiones contra judices et tribunalis administros* (can. 1625). Judices et administri qui in officio implendo graviter deliquerint tenentur de damnis, et gravibus poenis, privatione officii non exclusa, puniri possunt vel debent.

5° *Cautio ab actore praestanda.* « Cum judex praevidet actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi juribus non satis consultum iri, potest, ad ejusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad *congruam cautionem* [1] praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia » (can. 1626).

CAPUT II.

DE ORDINE COGNITIONUM.

Hic quaeritur quo ordine successivo, qua vice causae tribunalibus delatae sint cognoscendae, discutiendae et decidendae, sive agatur de diversis causis inconnexis, sive de causis et quaestionibus in eodem judicio connexis. Pauca tantum hac de re trademus [2].

1550. — I. **Quoad diversas causas** valet principium : « Judices et tribunalia tenentur causas ad se delatas *eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae,* nisi aliqua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat » (can. 1627).

II. **Quoad causas et quaestiones in eodem judicio connexas** (can. 1626-1633).

1° Exceptiones *dilatoriae,* id est quaestiones defensivae, propositae a reo

1. Nempe traditio summae pecuniariae aut alicujus rei sub potestate judicis, nisi forte sufficiens erit sponsio actoris scripta aut coram testibus oretenus facta se acceptaturum esse et exsecuturum judicis sententiam. Cf. PRUEMMER, *o. c.,* p. 470.

2. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 220 ss. ; ROBERTI, *o. c.,* p. 275 ss.

(qui ita excipiendo fit actor) ad differendam actionem actoris, proponendae et cognoscendae sunt *ante litis contestationem ;* nisi contestata jam lite primum emerserint aut reo tunc tantum innotuerint. Exceptio tamen de incompetentia judicis *absoluta* in perpetuum opponi licet ; exceptio autem excommunicationis [1] in quovis statu et gradu causae dummodo ante sententiam definitivam, proponi potest, imo si agatur de excommunicatis vitandis aut per sententiam condemnatis aut declaratis, ii ex officio semper excludi debent (can. 1628).

2° Exceptiones *peremptoriae* (a reo nempe propositae ad actionem actoris in perpetuum excludendam), quae dicuntur *litis finitae* [2] seu quibus asseritur litem jam esse plene decisam, proponi et cognosci debent *ante litis contestationem* (can. 1629, § 1). Aliae vero exceptiones peremptoriae, v. gr., doli, solutionis factae, proponi debent *post contestatam litem* et cognosci ad normas quaestionum incidentium ut infra dicetur (can. 1629, § 2).

3° *Actiones reconventionales,* quas nempe reus coram eodem judice introducit contra actorem ab submovendam vel minuendam ejus petitionem, *satius* statim post litis contestationem, *utiliter* h. e., valide et legitime, quovis judicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt. Prae natura hujus actionis compensatoria, cognoscitur simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, servata tam praerogativa praecedentiae ex parte actoris (can. 1630).

4° *Quaestio praejudicialis,* i. e. ejusmodi ex cujus solutione pendet solutio quaestionis principalis, ante omnia a judice cognoscenda est (can. 1632).

5° *Quoad quaestiones incidentes* quae scilicet occasione principalis controversiae nascuntur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternit ad aliarum solutionem. Quodsi nullo nexu logico inter se cohaereant, quae prius propositae sunt, illae antea definiantur. Quodsi quis violenter aut clandestine a possessione rei aut quasi-possessione juris queratur dejectum, haec quaestio incidens de *spolio,* ante omnia est dirimenda (can. 1633).

CAPUT III.

DE DILATIONUM TERMINIS ET FATALIBUS.

1551. — I. **Notiones.** *Dilatio* in re judiciali dicitur justum temporis spatium litigantibus concessum ad ponendum vel exsequendum aliquem actum judicialem. *Terminus* accipitur vel pro limite dilationis vel pro ipsa dilatione. Termini dilationum sunt vel *judiciales* si a judice, vel *conventionales,* si a partibus conventione determinantur [3].

---

1. Non tantum judicis, sed actoris, procuratoris, etc., cf. NOVAL, *o. c.*, n. 222.
2. V. gr., exceptio rei judicatae, transactionis, etc.
3. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 229.

Fatalia legis sunt termini perimendis juribus a lege constituti (can. 1634, § 1) [1].

II. **Disciplina vigens.** 1° « Fatalia legis prorogari non possunt » *(ibid.)*.

2° « Termini autem judiciales et conventionales, ante eorum lapsum, poterunt, justa intercedente causa, a judice, auditis vel petentibus partibus prorogari » *(ibid.*, § 2).

CAPUT IV.

DE LOCO ET TEMPORE JUDICII.

1552. — I. **Locus judicii.** « Quamvis Episcopus in quolibet suae dioecesis loco, qui non sit exemptus [2], jus habeat erigendi tribunal, nihilominus penes suam sedem aulam statuat, quae sit ordinarius judiciorum locus : ibique Crucifixi imago emineat, et adsit Evangeliorum liber » (can. 1636). « Judex e territorio suo vi expulsus vel a jurisdictione ibi exercenda impeditus, potest *extra territorium* [3] jurisdictionem exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario » (can. 1637).

1553. — II. **Tempus Judicii.**

1° Ordinarii loci est definire dies et horas quibus tribunal regulariter adiri potest, tamen justa de causa et quoties periculum est in mora fas est fidelibus quovis tempore ministerium judicis invocare (can. 1638) [4].

2° Dies festi de praecepto et ultimi tres dies hebdomadae sanctae *feriati* habeantur, quibus non licet actus judiciales ponere, nisi necessitas, christiana caritas, aut bonum publicum aliud postulent. Judicis est in singulis casibus statuere et denuntiare an et quae acta supra dictis diebus expleri debeant (can. 1639) [5].

CAPUT V.

DE PERSONIS AD DISCEPTATIONEM JUDICIALEM ADMITTENDIS ET DE MODO CONFECTIONIS ET CONSERVATIONIS ACTORUM.

1554. — I. **Adnotationes historicae** [1]. a) Mos fuit in foro ecclesiastico,

1. Cf. NOVAL., *l. c.*, n. 228 ; WERNZ, *o. c.*, p. 275 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 224 ss.
2. Disputatur num Episcopus in domo Regularium actum judicialem valide ponere possit. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 71. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 267.
3. Cf. can. 201.
4. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 291 ss.
5. Cf. ROBERTI, p. 293 ss.
6. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 288 s.

a foro civili assumptus et per multa saecula vigens ut viva voce causae judiciales disceptarentur. At paulatim ex saeculo 13 ut per scripturas procederetur, magis magisque est introductum, ita quidem ut, si quae viva voce facta fuerint, continuo essent scriptis publicis consignanda juxta formam a lege praescriptam [1].

b) Quamdiu viguit in Ecclesia disceptatio judicialis viva voce facta, tamdiu ejus publicitas utilis imo et necessaria fuit. Sed quo magis usus invaluit ut nonnisi per scripturas praecipue fieret contentio judicialis, eo magis quoque publica causarum ecclesiasticarum disceptatio a foro ecclesiastico recessit. Attamen si non cuicumque pateat accessus ad audientiam et si ab aula arceantur extranei, tamen ea publicitas servatur quae a recta justitiae administratione requiritur. Nam causae a publica auctoritate, et forma praescripta, et a diversi gradus tribunalibus cognoscuntur ; de omnibus actibus judicialibus publica fide constat, et partes denique de universo causae statu informantur [2].

1555. — II. **Personae admittendae.** « Dum causae coram tribunali aguntur, extranei ab aula arceantur et ii tantummodo adsint, quos ad processum expediendum judex necessarios esse judicaverit » (can. 1640, § 1).

« Si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et judices et partes linguam hujus personae propriam non intelligant, interpres adhibeatur juratus, et a judice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit » (can. 1641).

1556. — III. **Modus acta conficiendi et conservandi.**

1° *Modus acta conficiendi.* a) Acta judicialia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu *acta causae,* ex. gr. sententiae et cujusque generis probationes, tum quae ad formam procedendi pertinent, seu *acta processus,* ex. gr. citationes, intimationes, etc., *scripto* redacta esse debent (can. 1642, § 1), etsi contentio partium viva voce admittatur.

b) Omnia acta judicialia, « nisi justa causa aliud suadeat, quoad ejus fieri potest, *lingua latina* conficiantur ; sed interrogationes et responsiones testium, aliaque similia, *lingua vernacula* confici debent [3] » (*ibid.,* § 2).

Ut constet de authenticitate et veritate actorum variae a jure praescriptae sunt cautelae, ut v. gr. singula folia processus numerentur et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in unoquoque folio ; ut singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et judicis vel tribunalis praesidis ; ut acta judicialia partium aut testium eorum subscriptione muniantur (can. 1643). Quem in finem cautum est etiam ut acta judicialia integre, fideliter, authentice ad tribunal appellationis transmittantur (can. 1644).

---

1. MUENCHEN, *Das kan. Gerichtsverfahren,* p. 85 ; ROBERTI, *o. c.,* p. 259 ss.
2. Cf. MUENCHEN, *o. c.,* p. 84 s. ; WERNZ, *o. c.,* p. 291 s. ; PRUEMMER, *o. c.,* q. 474, nota ; NOVAL, *o. c.,* n. 237 ; ROBERTI, *o. c.,* p. 263 ss.
3. In casu appellationis, si acta judicialia eo mittenda sint ubi lingua vernacula non sit cognita, in linguam latinam fideliter et authentice vertantur (can. 1644, § 2). S. C. de Sacr. exigit ut documenta in processibus super matrimonio rato et non consummato lingua latina conficiantur, vel italica aut gallica, aut in easdem authentice vertantur, Instructio, 7 maii 1922, n. 49, *AAS.,* t. XV, p. 402.

2° *Modus acta conservandi.*

a) « Judicio expleto, documenta [1] partibus restitui debent, nisi, in criminalibus, bono publico ita exigente, judex aliquod retinendum censuerit » (can. 1645, § 1).

b) « Documenta omnia, quae apud tribunal manent in archivo Curiae deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit » (*ibid.*, § 2) [2].

c) Ante expletum judicium [3] exemplar actorum et documentorum, quae sunt processui acquisita sine judicis mandato nemini tradi possunt (*ibid.*, § 3).

d) « Anonymae epistolae quae nihil ad causae meritum conferunt, et etiam subscriptae quae sint certo calumniosae destruantur » (*ibid.*, § 4).

TITULUS IV.

DE PARTIBUS IN CAUSA.

Divisio materiae.

Partes in causa sunt stricto sensu *actor* et *reus conventus*, lato sensu, etiam illae personae quae litigantes adjuvant nempe *advocati* et procuratores. Inde divisio tituli in duo capita.

CAPUT I.

DE ACTORE ET REO CONVENTO.

1557. — I. **Notiones.**

1° *Actor*, ab *agendo*, ille dicitur, qui in judicio agit, seu litem movet ; qui prior in judicium venit aliquid petiturus. In criminalibus potius *accusator* agit, aut *ipsa societas* per procuratorem justitiae, facta denunciatione aut inquisitione speciali.

Reus sic dictus a *re* quam petit actor, ille est, a quo aliquid in judicio petitur ; aut qui judicatur, ut pro scelere poenam luat.

2° Actor et reus possunt esse personae physicae aut morales collegiales vel non collegiales ; at in criminalibus persona moralis non collegialis reus esse repugnat. Plures si fuerint, *litis consortes* aut *delicti complices* vel *correi* dicuntur.

3° Actoris est probare ; at cum reus excipiendo fit actor, si defensiones positivas proponat, fit actor et allegata probare debet.

1558. — II. **De capacitate agendi et obligatione respondendi.**

Non omnes personae possunt indiscriminatim actoris vel rei partes

1. Non acta.
2. Cf. can. 379, § 1.
3. Expleto judicio, observetur can. 374.

agere ; requiritur ut habeant, quod dicitur, *legitimam personam standi in judicio.*

Principium est « Quilibet potest in judicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur ; reus autem legitime conventus respondere debet » (can. 1646).

Jamvero alii *per se* agere et respondere debent, alii nonnisi *per alium* qui eorum nomine agit vel convenitur ; alii excluduntur *ab agendo non a respondendo,* alii *ab agendo et a respondendo* [1].

1° Quilibet non exceptus debet per se agere et respondere ; imo « licet actor vel reus conventus procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen tenetur in judicio *ipsemet* adesse ad praescriptum juris vel judicis [2] » (can. 1647).

2° « *Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt* [3], agere et respondere tenentur eorum parentes, aut tutores vel curatores » (can. 1648, § 1).

Contingit ut curator *a judice* detur, v. g., si conflictus habetur inter jura pupillorum et tutoris (*ibid.*, § 2). « Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis [4], si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu ; et quidem, si aetatem quatuordecim annorum expleverint, etiam per seipsos ; secus per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam per procuratorem a se, Ordinarii auctoritate, constitutum » (*ibid.*, § 3).

3° « *Bonis interdicti,* et ii qui minus firmae mentis sunt, stare in judicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad praescriptum judicis ; in ceteris agere et respondere debent per suos curatores » (can. 1650).

Nota. Curator ab auctoritate *civili* pupillis aut interdictis datus, a judice *ecclesiastico* admitti non potest, nisi accesserit *consensus* Ordinarii illius cui curator datus est. Imo Ordinarius potest, re mature perpensa, alium curatorem constituere (can. 1651).

4° *Religiosi* sine Superiorum consensu non habent personam standi in judicio sive ut agentes, sive ut respondentes. Excipitur : a) si de vindicandis adversus religionem juribus sibi ex professione [5] quaesitis agatur; b) si ipsi extra claustra legitime morentur et jurium suorum tuitio

---

1. Cf. quoad disciplinam anteriorem codici : FEYE, *o. c.*, p. 24 ; MUENCHEN, *o. c.*, t. I, p. 287 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 137 ss.
2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 77.
3. *Surdi* et *muti* generatim legitimum habent locum per se et personaliter standi in judicio. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 138, nota 1.
4. Cf. supra n. 1506, 1509.
5. V. gr. jus suffragii.

urgeat ; c) si contra ipsum Superiorem denuntiationem instituere velint (can. 1652).

5° *Excommunicatus* vitandus aut toleratus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam *actor* esse nequit [1] ; attamen permittitur ut *per se ipse* agat tantummodo ad impugnandam in quovis gradu justitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis, et *per procuratorem* ad aliud quodvis animae suae praejudicium avertendum, uti in matrimonialibus (can. 1654, § 1). Respondere autem debet, et quidem per se ipsum, nisi judex ministerium procuratoris ipsi injunxerit [2].

Alii excommunicati stare in judicio queunt, quoties non repelluntur ab iis quorum interest, i. e., a parte adversa et etiam a promotore justitiae in causis criminalibus et boni publici (can. 1654, § 2). Reis ut excommunicatis vitandis aut toleratis ab agendo repulsis prohibetur *reconventio,* quia vera est actio (can. 1690) [3].

6° Cum *personae morales* [4] minoribus aequiparentur, earum nomine generatim stat in judicio earum rector vel administrator (can. 1649), ad normam can. 1653, nempe :

a) *Ordinarii* locorum nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis ; at, ut *licite* agant requiritur *consensus* capituli vel consilii administrationis si periculo vertitur pecuniae summa intra 1.000 et 30.000 libellarum ; *consilium* tantummodo si de summa minore agatur ;

b) *Beneficiarii* nomine beneficii, cum licentia scripta Ordinarii loci, aut saltem, si res urgeat, Vicarii foranei ;

c) *Praelati ac Superiores Capitulorum, sodalitatum et quorumlibet collegiorum,* nomine suae cujusque communitatis, cum licentia Ordinarii loci ad normam can. 1526, at sine consensu suae communitatis, nisi statuta aliud habeant [5].

Nota. In his tribus casibus consensus aut consilium est ad liceitatem ; quibus omissis, piae causae vel communitati jus est ad refectionem damnorum ;

d) *Superiores religiosi,* nomine suae communitatis, ad normam constitutionum.

---

1. Cf. can. 1628, § 3.
2. Cf. can. 1655, § 3. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 264.
3. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 265 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 323 ss.
4. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 315 ss.
5. Plerique auctores aliter intelligunt verba canonis nempe hoc sensu : cum consensu suae communitatis, nisi statuta aliud habeant. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 258. Vide etiam WERNZ, *o. c.*, p. 142.

CAPUT II.

DE PROCURATORIBUS AD LITES ET ADVOCATIS.

1559. — I. **Procurator judicialis** [1].

1° Procurator *generatim* is est qui aliena negotia *mandato domini* administrat. *Procurator judicialis* aut *ad lites* ille est cui negotia ab actore aut reo, nolente vel non valente eis personaliter superesse, committuntur administranda in judicio.

2° Ministerium ejus nunquam est necessarium, nisi judex illud necessarium existimaverit, aut nisi persona Episcopi coram tribunali non pontificio in causa sit (can. 1655, § 3 et 4).

3° Unicus eligi potest ; debet esse catholicus, aetate major, bonae famae; potest esse laicus vel clericus, non autem religiosus, nisi in causis ubi utilitas vertitur religionis suae (can. 1656, 1657).

4° Procurator indiget mandato speciali ad lites, quod scriptum esse debet, mandantis subscriptione munitum et locum, diem, mensem et annum referens. Imo nisi ad ista mandatum speciale habuerit, procurator nequit renuntiare actioni, instantiae vel actis judicialibus, nec transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre vel referre jusjurandum et generatim ea agere pro quibus jus requirit mandatum speciale (can. 1659, 1662).

5° Cessat ejus munus, a) si a judice repellatur ; b) si ab eo a quo constitutus est removeatur ; c) lata definitiva sententia, si mandans appellare renuat (can. 1663, 1664).

1560. — II. **Advocatus** [2].

1° Ille est qui coram judice jura alterutrius litigantis defendit. Advocati munus est ostendere quomodo facta juri concordent vel ab eo discrepent, et omnia media juridica indicare quibus causa inducitur, sustinetur, urgetur, decisa restituatur, etc. [3].

2° Necessarius est in tribus casibus : a) in omni judicio criminali pro reo ; b) in judicio contentioso si agatur de minoribus aut de judicio in quo bonum publicum vertitur ; c) si judex ministerium advocati necessarium reputaverit (can. 1655).

3° Praeter qualitates superius pro procuratore requisitas, vera juris saltem canonici peritia in advocato requiritur. Indiget praeterea advocatus approbatione Ordinarii loci [4]. Idem potest esse procurator et advocatus (can. 1656-1658).

4° Ut munus suum impleat, indiget commissione ad instar mandati procuratorii (can. 1661).

5° Munus ejus cessat eisdem modis ac munus procuratoris.

---

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 266 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 188 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 325 ss.
2. Cf. NOVAL, *o.* et *l. c.* ; WERNZ, *o. c.*, p. 176 ; *Arch. f. kath. Kr.*, 1923, t. CIII, p. 132 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 335 ss.
3. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 80.
4. Cf. Signat. Apost., 15 dec. 1923, *AAS.*, t. XVI, p. 105 ss.

TITULUS V.

DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS.

Ordo materiae. Postquam in praecedentibus actum est de *subjecto activo* et *passivo* judiciorum, nunc valde logice quaestio movetur de *objecto proximo* judiciorum, nempe de re vel jure, quae et quatenus a legis auctoritate sunt recognita tanquam materia judicio idonea, ita ut in eo vindicari possint. Quod hic consideratur proin non est objectum *remotum* et *veluti materiale* judicii seu res et jura ut sic ; sed ejus objectum *proximum* et *veluti formale,* seu eadem res et jura quatenus actione aut exceptione auctoritate publica muniuntur, seu ipsae actiones et exceptiones quibus judicialiter muniuntur singula jura [1].

Codex tit. V successive agit : 1° de actionibus et exceptionibus in genere (can. 1667-1671) ; 2° de actionibus et exceptionibus in specie (can. 1672-1700) ; 3° de exstinctione actionum (can. 1701-1705).

Ad propositum sat erit quasdam tradere de actionibus et exceptionibus notiones, additis nonnullis animadversionibus praticis [2].

§ 1. DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS IN GENERE.

1561. — I. Notio actionis et exceptionis.

1° *Actio* diversimode accipitur, praecipue significat 1° *jus* seu *facultatem* quod suum est aut quod sibi debetur judicialiter tuendi ; 2° *usum* seu *actum* illius juris seu facultatis in civilibus [3], seu omnem prosecutionem judicialem civilem sive in rem sive in personam [4].

2° *Exceptio* est exclusio actionis ejusque effectuum, aut clarius : est assertio rei contra factum vel jus actoris, qua actio eliditur aut ejus exercitium et effectus retardatur [5].

1562. — II. Divisiones actionum et exceptionum.

1° Actiones ratione objecti, dividuntur sicuti judicia [6] a) in actiones *reales* et *personales.* Actio realis seu *in rem,* quae et *vindicatio* dicitur, tanquam objectum habet *jus in re,* eaque actor rem aliquam sive corporalem sive incorporalem, suam esse asserit ; actio personalis seu *in personam,* quae et *condictio* appellatur, oritur ex obligatione dandi, faciendi vel omittendi, qua quis erga actorem vincitur [7] ; b) in actiones

---

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 291.
2. Notiones et definitiones plerumque exscribuntur ex optimo commentario P. NOVAL. Cf. etiam ROBERTI, *o. c.*, p. 343 ss., 412 ss.
3. In criminalibus actio dicitur accusatio.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 308. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 293 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 47 ss.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 329 ; NOVAL, *o. c.*, n. 297 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 414.
6. Cf. supra n. 1506.
7. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 89. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 295. Vide ROBERTI, *o. c.*, p. 345 ss. de actionibus mixtis.

petitorias et *possessorias*. « Qui ad rem sibi vindicandam, seu ad jus suum in judicio persequendum titulo agit juris auctoritate subnixo, actione dimicat quae *petitoria* dicitur. Si vero rei possessionem vel juris quasi-possessionem postulat, ejus actio *possessoria* vocatur » (can. 1668) [1].

Prima competit *domino* si agatur de re corporali, aut *quasi-domino*, si de re incorporali seu de jure, et quidem domino innixo *titulo juridico* occupationis, emptionis, hereditatis, etc., qua rem aut jus ut suum adversus possessorem seu detinentem vindicat et ut tale in judicio recognoscendum petit ; secunda postulat rei possessionem seu detentionem vel juris usum seu quasi-possessionem adipiscendam, retinendam vel recuperandam, abstrahendo ab illius rei dominium seu proprietatem aut ab istius juris quasi-dominium seu quasi-proprietatem. Objectum actionis possessoriae non est jus possidendi sed factum possessionis certis conditionibus a lege positiva determinatis munitum.

2° Exceptiones etiam variae distinguuntur : praecipuae sunt exceptiones *peremptoriae* et exceptiones *dilatoriae*, de quibus supra dictum est [2].

1563. — III. **Principia circa actiones et exceptiones.**

1° « Quodlibet jus non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua » (can. 1667).

Proin in facie Ecclesiae omne jus duplici tutela judiciali tuetur *actione* et *exceptione*. Ergo non est a judice inquirendum utrum in lege sit expresse concessa actio seu protectio judicialis alicujus juris ; sed quodlibet jus vindicari potest in judicio, sive proveniat ex stricta justitia naturali, sive ex jure positivo, sive etiam ex aequitate, veluti si in certis casibus, postuletur restitutio in integrum [3]. Attamen non eodem ambitu conceditur tutela actionis et tutela exceptionis.

a) Omne jus munitur actione, *nisi aliud expresse cautum sit* jure communi aut particulari, statutario aut conventionali ; uti statuitur de excommunicatorum juribus quae, nonnullis exceptis, privantur actione [4]; et pro jure petendi in judicio matrimonii celebrationem ex matrimonii promissione [5]. Praeterea actiones sunt *temporales* seu praescriptione exstingui possunt, exceptis actionibus de statu personarum [6].

1. Inter varias actiones quae in codice enumerantur can. 1672-1692, priores sunt petitoriae, ultimae nempe capitis VI possessoriae.
2. Cf. supra n. 1550 ; NOVAL, *o. c.*, n. 302 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 416 ss.
3. Cf. c. 2, X, I, 32. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 294 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 349 s.
4. Can. 1654, cf. supra n. 1558.
5. Can. 1017, § 3.
6. Cf. can. 1701 ss. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1072.

b) Exceptio favorabilior est actione. Ideo contra quamlibet actionem reus conventus exceptionem ponere licet et quidem *perpetuo ;* etenim exceptio est species defensionis et aequitas postulat ut reo quamdiu conveniatur concedatur jus sese defendendi excipiendo contra injustum aggressorem.

Attamen per accidens fieri potest ut exceptiones tollantur, nempe renuntiatione etiam tacita, et praeclusione, elapso termino peremptorio [1].

2° *Cumulatio actionum et exceptionum* seu propositio plurium actionum aut exceptionum in eodem judicio fieri licet [2]. Ideo disponitur :

a) « Actor pluribus simul actionibus quae tamen secum ipsae non confligant [3], sive de eadem re, sive de diversis, reum convenire potest, si aditi tribunalis competentiam non egrediantur » (can. 1669, § 1).

b) A fortiori, cum jura magis favent reo ejusque defensioni « reus non prohibetur pluribus exceptionibus etiam contrariis uti » (*ibid.*, § 2) [4].

c) « Actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio ex adverso opponatur. Pariter fas est reo convento in petitorio, actorem reconvenire in possessorio ; et viceversa, nisi res sit de spolio [5] » (can. 1670). Item fas est actori regredi a petitorio ad possessorium ante conclusionem in causa, imo ex licentia judicis post conclusionem dummodo haec non fuerit definitiva (can. 1671) [6].

1564. — IV. **De actionibus in specie.**

Nota. Cum actionum non est numerus, legislator hoc titulo, non omnes intendit recensere, sed praecipuas tantum earum species, nempe illas tantummodo tradit quae usui quotidiano sunt magis necessariae et praecipuarum specierum prototypi, quod etiam affirmandum est de exceptionibus [7].

1565. — 1° **Actio de rei sequestratione et inhibitione exercitii juris** (can. 1672-1675).

a) *Actio sequestraria* [8] est jus petendi a judice sequestrationem rei alicujus, seu rei controversae vel ejus fructuum depositionem apud tertium, qui sequester dicitur [9].

---

1. Cf. can. 1628, vide supra n. 1550. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 343 s. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 418 ss.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 314, nota 48 ; p. 335.
3. Ut sunt actiones contradictoriae, contrariae aut praejudiciales, in quibus nempe decisio unius parit rem judicatam in altera, cf. NOVAL, *o. c.*, n. 305.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 335 s.
5. Cf. can. 1698 s.
6. Animadvertunt CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1073, nota 3, praescripta juris civilis contradici principiis juris canonici. Cf. code de proced. civ., art. 25 et 32.
7. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 303.
8. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 432 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 367 ss.
9. Intelligitur etiam improprie sequestratio *personae,* nempe ejus apud aliquem retentio incolumitatis aut libertatis servandae causa.

Haec actio competit illi qui super aliqua re ab alio detenta jus sive proprietatis sive possessionis sive usufructus habet, ob damnum ipsi imminens nisi res sequestretur, casus est. v. gr., uxoris cujus dos dilapidatur a marito solvendo impari. Sequestratio rei admittitur quoque ad certi crediti securitatem (can. 1672, § 1 ; 1673).

Sequestratio decerni etiam potest a judice *ex officio,* quoties bonum publicum id postulare videtur (can. 1672, § 3).

Nunquam decerni potest, si damnum quod timetur, possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur (can. 1674).

b) *Actio inhibitoria* est jus petendi a judice inhibitionem seu prohibitionem suspensivam exercitii alicujus juris controversi, ob periculum quod ex ejus exercitio alteri imminet.

Actio est similis actioni sequestrariae. Obtinetur a partibus vel ex officio decernitur ad normam can. 1672, § 1 et 3. Quodsi pars inhibitionem violaverit, *attentatum* patraret, contra quod pars altera actione nullitatis vel actione rescissoria procedere potest[1].

1566. — 2° **De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto** (can. 1676-1678).

1° *Actio ex novi operis nuntiatione* est jus petendi a judice ut prohibeat incoeptionem aut prosecutionem novi operis[2] quod ei denuntiatur tanquam damnosum rei propriae petentis. Exemplo sit aedificatio domus, qua vicinae domui lucem adimeret.

2° *Actio ex damno infecto*[3] est jus petendi a judice remotionem periculi gravis damni quod rei propriae petentis immineat ex re alterius, aut compensationem damni si evenerit. Ita potest dominus fundi cogi ut murum reficiat aut totum vel partim demoliatur, etc.[4].

1567. — 3° **De actionibus ob nullitatem actorum** (can. 1679-1683).

a) *Actio nullitatis* est jus petendi in judicio declarationem nullitatis contractus aut actus, qui sit ipso jure sive naturali sive positivo nullus (can. 1679).

b) Nullitas actus tunc tantum habetur : α) cum in eo deficiunt quae actum ipsum *essentialiter* constituunt, v. gr. capacitas subjecti ; exsistentia objecti circa quod actus aut contractus habetur ; voluntas sese obligandi[5] ; β) cum sollemnia seu conditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae *sub poena nullitatis,* v. gr., si defuerit citatio rei, si professio religiosa metu gravi aut dolo emissa fuerit (can. 1680, § 1).

c) « Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam » (can. 1681).

d) « Nullitas actus a judice declarari non potest *ex officio,* nisi α) aut *publice* id intersit, » uti casus verificatur quoad pleraque impedimenta dirimentia matrimonii ; β) « aut agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve qui minorum jure censentur » (can. 1682).

1. Cf. can. 1854 ss.

2. Opus nempe materiale ut aedificium, saepes, sylva, sive agatur de opere aedificando aut incipiendo, sive de opere e pristino statu mutando. Cf. ROBERTI, *o. c.,* p. 374.

3. Damnum sc.; nondum factum sed quod futurum timetur.

4. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 320 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 102 ss.

5. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 333.

e) « Judex inferior de confirmatione, a Romano Pontifice actui vel instrumento adjecta, videre non potest, nisi Apostolicae Sedis praecesserit mandatum » (can. 1683). Hic agitur de confirmatione in forma specifica[1] a solo Romano Pontifice, exclusis dicasteriis Romanis, concessa. Quae confirmatio potest esse inutilis, si nempe defectus adsit quem superior aut *non vult* corrigere, uti jus tertii quaesitum, nisi expresse dicat, aut *non potest* corrigere, uti impedimentum matrimoniale juris divini[2]. Jam vero videre de confirmationis R. Pontificis utilitate vel inutilitate in judicio est causa reservata R. Pontifici, circa quam incompetens est quilibet judex inferior, nisi ipsius R. Pontificis praecesserit expressum mandatum.

1568. — IV. **De actionibus rescissoriis.**

a) *Actio rescissoria ordinaria* est jus, cuilibet competens, petendi in judicio rescissionem actus vel contractus ex jure quidem naturali aut positivo validi sed vitiati ex metu gravi injuste incusso vel ex dolo (can. 1684, § 1), aut etiam petendi rescissionem contractus initi ex errore cum gravi laesione ultra dimidium (*ibid.*, § 2).

b) Quoad actionem rescissoriam *ex metu et dolo* α) hic recolendae sunt in primis explicationes quas in medium duximus de metu et dolo, supra ad can. 103 et 104[3] ; β) Haec actio institui potest, solo metu vel dolo probato, *contra eum qui metum intulit aut dolum patravit* sive sit ipse delicti exsecutor, quamvis ipse non in suum sed in alterius commodum talia peregerit, sive sit mandans, sive ad delicti consummationem induxerit aut efficaciter in hoc quoquo modo concurrerit[4]. Institui praeterea potest *contra quemlibet malae fidei aut etiam bonae fidei possessorem,* qui res metu vel dolo extortas possidet, salvo jure regressus contra quemlibet usque ad ipsum metus vel doli auctorem (can. 1685) ; γ) Similiter, si is qui metum intulit aut dolum patravit, urgeat actus vel contractus exsecutionem, parti metum passae aut dolo deceptae competit *exceptio* metus vel doli (can. 1686)[5] ; δ) Praeter actionem rescissoriam aut exceptionem metus vel doli, datur etiam, si casus ferat, parti metum aut dolum passae, actio *civilis ad reparanda damna* contra omnes supra enumeratos, excepto possessore bonae fidei.

c) *Quoad actionem rescissoriam ex errore* simplici non doloso, intra biennium institui debet.

1569. — 5° **De actione restitutionis in integrum**[6].

a) *Notio.* Actio restitutionis in integrum est actio rescissoria *extraordinaria* quae generatim non conceditur habenti aliam actionem aut aliud

---

1. Cf. supra, n. 641.
2. Cf. LEGA, *De judic. civ.*, t. I, n. 382 ; NOVAL, *o. c.*, n. 336.
3. N. 329 ss. Cf. CLAEYS-BOUUAERT, *De metu influxu quoad valorem actuum et quoad delicta et poenas secundum jus can.*, ap. *Jus Pontificium*, 1926, t. VI, p. 105 ss., 138 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 409 ss. ; NOVAL, *o. c.*, n. 340 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 385 ss.
4. Cf. can. 2209.
5. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 340.
6. Cf. S. R. R., 18 aug. 1916, *AAS.*, t. IX, p. 400 ss. ; 7 aug. 1917, *ibid.*, t. X, p. 336 ss. ; Signatura Apost., 6 avr. 1920, *ibid.*, t. XII, p. 252 et ap. *Nouv. rev. théol.*, 1920, t. XLVII, p. 464 ss. ; cf. etiam. *Ephem. theol. Lovanien.*, 1926, t. III, p. 355 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 555 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 387 ss.

remedium ordinarium per quae jus suum consequatur. Definiri potest : jus, competens minoribus graviter laesis, et aliquando, ex justa causa, majoribus, petendi a judice ex naturali aequitate rescissionem actus vel contractus validi rescindibilis, necnon restitutionem omnium in statum quo erant ante laesionem.

b) *Quibusnam conceditur ?* α) Haec actio competit, praeter alia remedia ordinaria [1], *minoribus vel minorum jure fruentibus,* nempe ecclesiis et corporibus ecclesiasticis, qui graviter laesi fuerint, eorumque heredibus et successoribus (can. 1687, § 1). Titulus actionis est *damnum* adeo notabile ut ex aequitate deceat restitutionem concedere, et quidem passum a *personis speciali tuitione juridica protectis,* etiamsi damnum earum imprudentiae imputari possit ; β) « Hoc beneficium *majoribus* quoque conceditur quos deficit rescissoria actio aut aliud ordinarium remedium, dummodo *justam* subesse *causam* et laesionem *sibi imputandam non esse* probaverint » (*ibid.,* § 2). Causa justa est impedimentum *physicum,* uti si quis gravis mali vitandi causa abfuerit, aut impedimentum *morale,* uti in personis quibus jus ignorare usuvenit [2].

c) *A quonam et quandonam peti debet.* α) Juxta principium *actor sequitur forum rei,* « peti debet ab *ordinario* judice, qui competens est respectu *illius contra quem petitur* [3], intra quadriennium ab adepta majoritate computandum, si agatur de minoribus, a die laesionis factae et cessati impedimenti, si de majoribus aut personis moralibus » [4] (can. 1688, § 1) ; β) « Minoribus vel minorum jure fruentibus restitutio concedi potest a judice etiam *ex officio,* audito vel instante promotore justitiae » (*ibid.,* § 2).

d) *Effectus restitutionis.* « Restitutio in integrum id efficit ut omnia revocentur in pristinum, idest restituantur in statum quo erant ante laesionem, salvis juribus quae, alii, bona fide, ante petitam restitutionem quaesiverint » (can. 1639).

1570. — 6° De mutuis petitionibus seu de actionibus reconventionalibus.

a) « Actio quam reus coram eodem judice in eodem judicio instituit contra actorem ad submovendam vel minuendam ejus petitionem, dicitur reconventio » (can. 1690, § 1).

Reconventio [5] differt ab exceptione reconventionali. Ille qui excipit *negat* actionem, impugnando ejus valorem, ex. gr., ex defectu competentiae, ex defectu valoris actus, ob errorem substantialem et sic porro ; qui reconvenit, supposito aut saltem directe non negato valore actionis, impugnat

1. Quod est beneficium concessum minoribus. Antiqui auctores jam enuntiarunt hoc principium practicum quod etiam hodierno juri congruit : habenti remedium ordinarium, non est tribuendum extraordinarium, nisi sit pinguius. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 343.

2. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 344. — Restitutio in criminalibus non datur, cf. LEGA, *o. c.,* lib. II, vol. IV, p. 423 s. ; vide tamen HEINER, *Der kirchl. Straffprozess,* p. 145 ; WERNZ, *o. c.,* p. 556.

3. Cf. supra, n. 1541.

4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 120 ; NOVAL, *o. c.,* n. 545.

5. Conventio, seu actio qua reus convenitur, et reconventio vocantur *mutuae petitiones.*

exsecutionem totalem aut partialem actionis per actionem correlativam et compensativam respectu petitionis ; ut si Titius petat rei venditae traditionem, et Caius reconveniendo pretii solutionem ; aut ille 1000 libellas titulo mutui, iste 100 titulo depositi [1].

« Reconventio reconventionis non admittitur » (can. 1690, § 2), ne tractatio rei redderetur nimis prolixa et implexa.

b) Locum habere potest *in omnibus causis contentiosis*, exceptis causis spolii ; *in criminalibus* vero non admittitur nisi quando habetur mutua injuria utrimque aequalis, compensanda ad normam can. 2218, § 3 (can. 1691).

c) Proponenda est generatim judici coram quo actio principalis instituta est, nisi sit *absolute incompetens* (can. 1692).

1571. — 7° De actionibus seu remediis possessoriis.

Actiones possessoriae sunt illae quae respiciunt rei *possessionem* aut juris *quasi-possessionem* [2]. Possessionem aut quasi-possessionem breviter ita definit Wernz : « detentio rei vel usus juris, animo rem illam vel jus sibi habendi, juris adminiculo concurrente. »

Triplex datur actio possessoria :

a) *Actio adipiscendae possessionis ;* est jus petendi a judice ut in rei possessionem vel juris exercitium immittatur qui ad id munitur titulo legitimo (can. 1693). Hujusmodi titulus est v. gr., contractus, testamentum, privilegium. Hic agitur de possessione legali seu juridica, quae ex titulo a lege recognito habet fundamentum in jure et confert potestatem possidendi [3]. At « non solum possessio sed etiam *simplex detentio* praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam » (can. 1694). Simplex detentio nullo titulo legitimo fulcitur et potest esse *injusta* seu vitiosa, nempe si habita fuerit *vi* seu per violentiam, *clam* seu occulte ne a domino aut a justo possessore vindicetur, *precario* seu quando possessor renuit restituere rem sibi traditam eo pacto ut eamdem restituat ad preces tradentis vel alterius.

b) *Actio retinendae possessionis* est jus petendi ut suam possessionem vel quasi-possessionem pacifice retineat, qui post annum integrum in possessione vel quasi-possessione transactum, molestias incipit pati (can. 1695, § 1). Haec actio etiam competit ei qui vi, clam vel precario possidet, adversus quemlibet deturbatorem, non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit (can. 1696, § 1). Tamen in causis quae ad bonum publicum spectant, ut si agatur de fundo ecclesiae, justitiae promotori jus est opponendi vitium possessionis adversus injustum possessorem (*ibid.*, § 2).

« Haec actio non admittitur nisi intra annum ab illata molestia adversus molestiae auctorem ut a molestiis desistat » (can. 1695, § 2).

Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in posses-

---

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 349; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 122 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 395.

2. Cf. circa *notionem possessionis*, NOVAL, *o. c.*, n. 351 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 382 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 125 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 398 ss.

3. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 356.

sione praeferendus est qui intra annum frequentiores possessionis actus exercuit. In dubio judex possessionem pro indiviso utrique parti attribuat ; si pro adjunctis haec possessio in indiviso attribui non possit, res sequestretur vel juris quasi-possessio suspendatur usque ad judicii petitorii exitum (can. 1697).

c) *Actio recuperandae possessionis* vel de spolio est jus petendi ut in possessionem rei vel quasi-possessionem juris restituatur *quicumque* vi aut clam quoquo modo ab ea dejectus est (can. 1698, § 1).

Actionem aut exceptionem spolii habet circa omnes res et omnia jura *quicumque possessor spoliatus* sive justus sive injustus [1], adversus *quemlibet spolii auctorem* sive mandantem sive exsecutorem, sive concurrentem, vel quemlibet *rei detentorem* majorem aut minorem, personam physicam aut moralem, illegitimum aut legitimum, bonae vel malae fidei [2]. « Haec *actio* non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit ; exceptio, contra, perpetua est » (can. 1698, § 2).

Cum spoliatus ante omnia est restituendus [3], ille « adversus spoliantem excipiens et probans spolium, non tenetur respondere, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus » (can. 1699, § 1). « Spoliatus ut in possessionem restituatur, nil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam » (*ibid.*, § 2).

§ 3. DE EXSTINCTIONE ACTIONUM.

Quoad exstinctionem actionum, aliter exstinguuntur actiones contentiosae, aliter actiones criminales et poenales.

1572. — I. **Actiones contentiosae** cessant iisdem modis ac obligationes, interitu rei, donatione, transactione, renuntiatione, praescriptione [4] ; de hac exstinguendi ratione agit praesertim codex.

1° « In contentiosis actiones tum reales tum personales exstinguuntur praescriptione ad normam can. 1508-1562 » (can. 1701) [5].

2° « Actiones autem de statu personarum nunquam exstinguuntur » *(ibid.)* ; sunt nempe actiones nullitatis matrimonii, aut ordinis sacri aut professionis religiosae. « Praeterquam quod pleraque jura vel obligationes ex his statibus orta solo privatorum consensu, ideoque transactione vel renuntiatione cessare nequeunt, ad bonum publicum pertinet ut actiones quibus status exsistere vel non exsistere asseritur, nunquam exstinguantur » [6].

---

1. Cf. exceptiones apud NOVAL, *o. c.*, n. 365.
2. Cf. NOVAL, *o.* et *l. c.*
3. C. 4, X, II, 10. Restitutio est plena repositio spoliati quoad omnia in pristinum statum ante omnia facta. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 393 ss.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 149 ss. ; ROBERTI, *o. c.*, p. 355 ss.
5. Cf. supra n. 1460 ss.
6. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 135. De actionibus in causa matrimoniali, cf. can. 1903, 1972 ; de causis contra sacram ordinationem, cf. can. 1993 ss. ; de professione religiosa, cf. can. 586, 646 ss.

3° Etiam a regula generali de praescriptione actionum contentiosarum excipiuntur actiones pro quibus determinata duratio expresse in codice definitur [1].

4° Praescriptio currit ex quo actio primum potuit jure proponi (can. 1705, § 1).

1573. — II. **Actiones criminales.** Actio criminalis est jus persequendi in judicio crimen in ordine ad poenam vel infligendam vel declarandam uti incursam [2].

1° Jam vero « omnis criminalis actio perimitur morte rei, condonatione legitimae potestatis, et lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam » (can. 1702) [3]. Dicitur :

a) *morte rei,* nam delictum et poena sunt personalia ;

b) *condonatione legitimae potestatis.* Omnis qui potest a lege eximere potest poenam legi adnexam condonare (can. 2236, § 2) ; Ordinarii possunt in pluribus casibus publicis et generatim in casibus occultis poenas latae sententiae jure communi statutas remittere (can. 2237) ;

c) *lapsu temporis utilis* ad actionem criminalem proponendam, i. e., praescriptione [4]. Jam vero ad normam can. 1703, tempus utile ad actionem criminalem proponendam est *triennium.* Attamen excipiuntur α) actiones circa delicta S. Officio reservata, cui jus est agendi ad suam normam specialem ; β) actiones injuriarum quae *uno anno* perimuntur ; γ) actiones ob delicta qualificata contra VI et VII divinum praeceptum, quae *quinquennio* perimuntur ; δ) actiones ob simoniam vel homicidium [5] contra quae actio criminalis *decennio* perdurat.

2° Sublata per praescriptionem actione criminali : a) non est hoc ipso sublata actio *contentiosa,* forte ex delicto exorta, ad damna sarcienda ; b) Ordinarius remediis can. 2222, § 2 statutis uti adhuc potest (can. 1704). Nempe Ordinarius jus et officium habet non promovendi clericum de cujus idoneitate non constat, et ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii, aut etiam eumdem ab officio, ad normam juris amovendi ; quae omnia in casu non habent rationem poenae.

3° In criminalibus praescriptio currit a die patrati delicti. Si delictum habeat tractum, ut vocant successivum, uti concubinatus, non currit

---

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 375. Cf. can. 1893 ; 1684, § 2 ; 1688, § 1 ; 1698, § 2.
2. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 376.
3. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 360 ss.
4. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1083 ; ROBERTI, *o. c.*, p. 362 s.
5. Censent VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 138 actionem ob abortum praescribi triennio, quia hoc delictum propriis verbis (v. g., can. 985, 4°) vel canonibus poenalibus (can. 2350, 2354) ab homicidio secernitur.

praescriptio nisi a die qua delicti tractus cessaverit. In delicto habituali vel continuato seu iterato citra acquisitionem habitus delinquendi, praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum ; et conventus ob aliquem criminosum actum praescriptione non peremptum, tenetur de antiquioribus actibus, qui cum eodem actu connectuntur, etiamsi singulatim sumpti ob praescriptionem excluderentur (can. 1705).

1574. — III. **Actiones poenales.** Actio poenalis est jus exigendi in judicio exsecutionem poenae ; promotori justitiae reservatur ex can. 1934.

Quoad praescriptionem actionis poenalis [1] principium ponitur in can. 2240 : « Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703 » de tempore utili ad actionem criminalem proponendam [2].

TITULUS VI-TITULUS XVII.

DE IPSIUS PROCESSUS ORDINE.

Pro scopo nostro hic sufficere videtur totius processus ordinis brevis tractatio. Ordo processus litigiosi consistit in legitima forma causam *introducendi* (tit. VI-VIII), *instruendi* (tit. IX-XII) et *finiendi* (tit. XIII-XVII). Inde totam materiam distribuimus in tria capita, addito quarto, prae momento quaestionis, *de juris remediis contra sententiam.*

CAPUT I.

PROCESSUS INTRODUCENDUS.

1575. — I. Qui aliquem convenire vult, tenetur **libellum litis introductorium** competenti judici exhibere, in quo debet exprimere coram quo judice causa introducatur, quid petatur et a quo petatur, indicando praeterea, generatim saltem, instrumenta probationis, et appositis subscriptione actoris aut procuratoris, eorum domicilio vel residentia, necnon die, mense et anno. Judex, si ei constet de sua competentia et de legitima persona actoris, debet quantocius libellum admittere aut rejicere, adjectis

---

1. Actiones poenales exstinguuntur etiam remissione legitimae potestatis, cf. can. 2236, § 2, et morte ejus qui poenam incurrit ; at actio poenalis ad poenam *mulctariam,* jam orta vivente delinquente aut vi sententiae condemnatoriae, urgeri potest in heredes delinquentis. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 376.

2. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 377 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 139. Notat ROBERTI, *o. c.,* p. 366 censuras inflictas secumferre exsecutionem quare in iisdem ne concipi quidem potest temporis spatium ad poenam praescribendam (can. 2243, § 1) ; idem animadvertit omnes poenas latae sententiae inferri eo ipso momento commissi delicti (can. 2232, § 1), ideo non datur tempus ad praescribendum ; at praescribi posse sententiam declaratoriam.

rejectionis causis ut actor repulsus se defendere valeat (can. 1706-1710) [1].

1576. — II. Libello admisso, locus est **citationi** seu vocationi in jus alterius partis, juris experiendi causa, nisi partes sponte coram judice se sistant. Quaelibet citatio est peremptoria, nec iteretur necesse est, nisi ad frangendam rei contumaciam judex poenas comminetur. Si citationis scheda non referat quae a jure praescribuntur aut non fuerit legitime intimata, nullius valoris sunt tum citatio tum acta processus. Citatione legitime peracta, res desinit esse integra ; causa fit propria illius judicis coram quo actio instituta est ; firma redditur jurisdictio judicis delegati ; interrumpitur praescriptio, nisi aliter cautum sit a lege civili uniuscujusque nationis ; lis pendere incipit, qua pendente nil innovetur (can. 1711-1725) [2].

1577. — III. Si reus statuto die comparens coram judice nullas exceptiones affert dilatorias aut peremptorias, totius processus fundamentum jacitur, quod in **litis contestatione** positum est, quae sita est in formali conventi contradictione petitioni actoris, facta animo litigandi coram judice, unde constet qua de re agatur. Nulla requiritur sollemnitas ; attamen in causis implicatioribus, judex, ex officio vel ad instantiam actoris vel conventi, partes citet ad rite definiendos controversiae articulos, seu ad causae *dubia,* ut dicitur, *concordanda.* Lite contestata, haud licet actori mutare libellum nisi reo consentiente et judice probante ; tempus congruum partibus statuendum est a judice probationibus proponendis et explendis ; possessor rei alienae desinit esse bonae fidei (can. 1726-1731) [3].

1578. — IV. **Litis instantia** seu actionis exercitium per actus judiciales ad causam instruendam et definiendam, incipit litis contestatione. Litis instantia terminatur iisdem modis ac judicium, v. gr. sententia, transactione, compromisso in arbitros ; sed durante judicio *suspendi* potest a) si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cujus ratione agit [4], dummodo *causa non sit conclusa,* seu nondum sit lapsus terminus utilis proponendis probationibus ad normam c. 1860 ; b) si procurator aut curator a munere cessent, donec partes novum procuratorem aut curatorem constituerint aut per se ipsi agere se velle professi sint. Imo, durante judicio, litis instantia *cessare* potest a) *peremptione* instantiae, si nullus actus processualis ponatur in tribunali primae instantiae per *biennium,* aut in gradu appellationis per annum ; b) *renuntiatione* actoris in quolibet actu et gradu judicii (can. 1732-1741).

CAPUT II.

PROCESSUS INSTRUENDUS.

Causa sic jam non integra, fit progressus ad causae instructionem quae consistit in proponendis probationibus et dirimendis causis incidentibus.

1. Cf. ROBERTI, *o. c.*, p. 422 ss.
2. *Ibid.*, p. 434 ss.
3. *Ibid.*, p. 452 ss.
4. Exceptio habetur pro causis beneficialibus aliisque ad publica munia pertinentibus.

1579. — I. Viam saepe planiorem ad probationes habendas maxime ad confessionem in judicio parandam sternunt interrogationes judicis ante conclusionem in causa, generatim in judicio faciendae. Judex tamen non arbitrarie sed ad normas juris procedere tenetur. Nempe judex ad eruendam veritatem facti quod *publice* interest ut extra dubium ponatur, v. gr., in matrimonialibus circa vinculum, *debet* partes interrogare[1]. In aliis casibus *potest* circa factum pertinens ad causam unum ex contendentibus interrogare non solum ad instantiam alterius partis, sed etiam ex officio, quando agitur non de supplenda[2] sed de illustranda probatione adducta. Judici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso. Jusjurandum de veritate dicenda in causis criminalibus *nequit* judex accusato deferre ; in contentiosis, quoties bonum publicum in causa est, *debet* illud a partibus exigere, in aliis, *potest* pro sua prudentia (can. 1742-1746).

1580. — II. **Probatio**[3] est rei dubiae et controversiae per *legitima* argumenta *judici* facta ostensio. Distinguitur *plena* et *semi-plena* probatio[4]. *Plena* est, quae judicem plane de veritate certum reddit ; hujusmodi sunt confessio rei judicialis in causa quae nullo modo tangit bonum publicum, testimonium duorum vel trium testium exploratae fidei, instrumentum publicum, praesumptio juris et de jure, etc. Probatio *semiplena* est, quae fidem aliquam facit, sed non eam quae ad litem finiendam sufficiat ; hujusmodi sunt confessio extrajudicialis, dictum unius testis fide digni, scriptura privata, etc.

Non indigent probatione α) facta *notoria* sive notorietate juris, sive notorietate facti[5] ; β) quae ab ipsa lege praesumuntur ; γ) facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi ad vitandam collusionem, a jure vel a judice probatio nihilominus exigatur (can. 1747). Onus probandi incumbit ei qui asserit, qui *ordinario* est actor ; reo incumbit probatio si excipiendo fit actor. Actore non probante, reus absolvitur (can. 1748).

1581. — 1° **Confessio** est assertio de aliquo facto ab una parte contra se et pro adversario. Alia est *judicialis*, alia *extrajudicialis* prout fit coram judice pro tribunali sedente, aut extra judicium. Si agatur

---

1. Cf. can. 1619, § 2.
2. Cf. can. 1619, § 1.
3. Cf. MEILE, *Die Beweislehre des kanonischen Prozesses in ihren Grundzügen mit Berücksichtigung der modernen Prozesswissenschaft*, Bazenheid, 1925 ; KRIETER, *Historische Entwicklung des « Prinzips der freien Beweiswürdigung » im Strafprozess*, Hildesheim, 1926 ; LENZ, *Die Geistliche als Zeuge vor Gericht*, in *Pastor Bonus*, 1925, t. XXXVI, p. 355 ss. ; COULY, *La preuve en droit canonique*, in *Le canoniste*, 1926, t. XLVIII, p. 594 ss.
4. Cf. can. 1791, 1816, 1826, 1829, etc.
5. Cf. can. 2197, n. 2 et 3, infra n. 1690.

de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio *judicialis* unius partis, dummodo libere et considerate facta, relevat alteram ab onere probandi ; factum enim ita evenit notorium juris, et ideo non indiget ulteriore probatione. Judicis est aestimare quanti valeat confessio *extrajudicialis* (can. 1750-1753).

1582. — 2° **Testis allegationes**[1] fidem de aliquo facto controverso faciunt. Testis enim est persona quae ad fidem de aliqua re faciendam in judicio vocatur. Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur, sub moderatione tamen judicis et secundum modum a jure praefinitum. Imo post confessionem in judicio et inspectionem corporalem ut praecipuus probationis modus accipitur.

Testes judici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent, ex justitia legali, ex caritate, imo ex justitia commutativa si quis ex officio testimonium ferre debet. Attamen ab hac obligatione respondendi eximuntur, praeter sacerdotes quod attinet ea quae ipsis ex confessione aut occasione confessionis innotuerunt, etsi a lege sigilli soluti sint, omnes illi qui loqui nequeant nisi res cognitas sub secreto officii, etiam ratione consilii praestiti, patefaciant, aut nisi sibi aut suis proximis grave nocumentum infamiae, vexationum, aliorumve malorum afferant. Obligatio respondendi gravibus poenis sancitur, quibus ii quoque obnoxii sunt qui testes ad mendacium vel reticentiam induxerint (can. 1755).

a) Omnes possunt esse testes, nisi expresse a jure repellantur vel in totum vel ex parte, propter defectum qualitatum nempe scientiae, probitatis et promptae voluntatis dicendae veritatis, quae omnes simul in teste requiruntur.

Ut non *idonei* repelluntur impuberes et mente debiles ;

Ut *suspecti :* excommunicati, perjuri, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ; abjecti moribus ; publici gravesque partis inimici ;

Ut *incapaces :* qui partes sunt in causa aut partium vice funguntur ; ratione boni publici, sacerdotes quoad ea quae ex confessione aut occasione confessionis cognoverint ; conjux in causa sui conjugis ; consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut religiosum personae spectant, si hujusmodi notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur, utputa si causa sit de impedimento dirimenti juris divini.

Incapaces omnino excluduntur; non idonei et suspecti, generatim injurati, audiri poterunt si ex decreto judicis id expedire declaretur, at eorum

1. G. Leccisi, *La prova testimoniale nel codice di diritto canonico*, Roma, 1926.

testimonium valet tantum ut indicium et adminiculum probationis (can. 1756-1788).

b) Testes generatim a partibus *inducuntur ;* possunt etiam induci vel a promotore justitiae et defensore vinculi vel ex officio a judice in causis minorum et generatim quoties bonum publicum id exigat. Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina, ut ab adversario legitime excludi possint.

Testes debent ex officio *excludi* si judici certo constet eos a testimonio ferendo prohiberi aut si spontanei compareant moras judicio nectendi causa et veritati officiendi, aut si numero inutiles vel nocivi judicio futuri sint. Ast etiam possunt testes ab adversario excludi, justa exclusionis causa demonstrata. Pars nequit generatim reprobare testem quem ipsa induxit, quamvis possit ejus dicta reprobare.

Testis legitime citari debet ; rite citatus parere debet et contumax in comparendo vel respondendo puniri, et si damnum causaverit, mulctari potest (can. 1759-1766).

c) Testis, antequam testimonium edat, *jusjurandum* praestare debet de tota et sola veritate dicenda ; imo absoluto examine possunt judicis arbitrio adigi ad jusjurandum *de veritate dictorum,* et de *servando secreto* usque dum acta et allegata publici juris fiant ; imo etiam in perpetuo (can. 1767-1769).

d) Testes examinari debent *in ipsa tribunalis sede,* exceptis personis in majori dignitate constitutis, vel impedimento physico detentis, vel a tribunalis loco valde remotis. Examinentur positis interrogationibus a judice aut ab ejus delegato vel auditore, et quidem seorsim, remotis partibus. Testimonium *oretenus* est faciendum, ex continenti scripto et generatim de verbo ad verbum redigendum ab actuario qui toti examini testium interesse debet, testi deinde praelegendum data ei facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi, demum a teste, judice et notario subscribendum (can. 1770-1781).

e) Evulgatio testimoniorum est communicatio eorum parti adversae ut ista sese defendere queat. Facienda est decreto judicis quoties partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, et quidem opportunius statim post absolutum omnium testium examen, nisi judex satius existimaverit hanc evulgationem differre post congesta cetera probationum capitula. Facta hac testimoniorum denuntiatione, cessat generatim facultas reprobandi *testis personam,* at impugnari possunt modus examinis et testificationes ipsae ; cessat quoque facultas audiendi denuo testes super iisdem articulis et novos testes admittendi, nisi caute et ex gravi ratione in causis quae nunquam transeunt in rem judicatam, ex gravissima ratione in ceteris causis, et vitato omni fraudis aut collusionis periculo (can. 1782-1786).

f) Testis jus habet ad petendam compensationem *impensarum* et congruam *indemnitatem,* taxandas a judice (can. 1787-1788).

g) Testimonia examinanda sunt a judice et perpendenda, attentis conditione personae, fonte immediato vel mediato cognitionis, constantia in dictis, numero testium.

Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis. Si *duae* aut *tres* personae juratae,

omni exceptione majores, sibi firmiter cohaerentes, de aliqua re vel facto in judicio testificentur de scientia propria, sufficiens et plena habetur probatio, nisi judex in re gravissima vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem (can. 1789-1791).

1583. — 3° **Opera peritorum** [1] certae scientiae vel artis utendum est quoties ex juris (uti pro causis inconsummationis matrimonii) vel judicis praescripto eorum examen vel votum requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicujus rei naturam dignoscendam. Judicis est peritos designare, ex officio in causis boni publici, sua sponte aut rogantibus partibus in causis mere privatis. Judex judicio peritorum non tenetur, sed cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut rejecerit (can. 1792-1805).

1584. — 4° **Accessus ad locum controversiae et recognitio judicialis** rei controversae, quae olim dicebantur *inspectio ocularis*, multum conferre possunt, imo necessaria esse possunt ad pleniorem probationem vel ad removenda dubia. Judex hanc recognitionem per se vel per auditorem aut judicem delegatum facere potest, adstante semper notario qui instrumentum recognitionis facere et cum judice subscribere tenetur (can. 1806-1811).

1585. — 5° **Instrumenta** intelliguntur sensu stricto, *scripturae* quibus probatio alicujus facti haberi potest ; sensu lato vero omnes res corporales quibus talis vis probandi inest. Ratione auctoris alia sunt publica alia privata, prout a persona in officio publico constituta qua tali, et si requiratur, forma a lege determinata rediguntur, aut a persona privata, quavis forma, nisi certa a lege requiratur, scripta sunt [2].

a) In quolibet judicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata (can. 1812).

b) « *Praecipua documenta publica ecclesiastica* sunt : Acta S. Pontificis et Curiae Romanae in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, item attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel eorum notariis ; instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta ; acta judicialia ecclesiastica ; inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis quae habentur in regestis Curiae vel paroeciae, vel religionis, et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis, vel Ordinariis, vel notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica » (can. 1813, § 1) ;

---

1. Cf. PELLEGRIN, *Perizie e periti nel « Codex J.-C. »*, in *Foro penale*, 1926, p. 229 ss.

2. Scriptura ad substantiam nonnullorum actorum ex jure civili canonizato aut ex jure ecclesiastico requiritur.

« *Documenta publica civilia* ea sunt quae secundum uniuscujusque loci leges talia jure censentur » (*ibid.*, § 2) ;

« Litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, *privatorum documentorum* numero habentur » (*ibid.*, § 3).

c) Documenta *publica* sive ecclesiastica sive civilia genuina, seu confecta ab eo cui adscribuntur ut auctori, praesumuntur, *praesumptione juris tantum,* donec contrarium evidentibus argumentis evincatur (can. 1814). Eadem documenta plenam fidem faciunt *adversus* omnes de iis quae directe et principaliter in iisdem affirmantur (can. 1816), ita ut qui illa impugnat, defectum formae, errorem vel fraudem probare debet.

Documentum *privatum,* sive agnitum a parte sive recognitum a judice, probat adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab eis habentes, perinde ac confessio extra judicium facta ; sed per se non habet vim probandi adversus extraneos (can. 1817) ; et si hi documenti valorem negent, pars quae illud afferat, vim probativam demonstrare debet.

d) Documenta vim probandi in judicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita, et penes tribunalis notarium deposita, ut a judice et ab adversario examinari possint. Excipiuntur documenta publici juris, v. gr., leges rite promulgatae. Judicis est videre de fidelitate exhibiti exemplaris (can. 1819-1821).

e) Documenta communia quaeve de communi utriusque partis litigantis agunt negotio, ut testamenta et instrumenta quae respiciunt successiones, bonorum partitiones, contractus aliusve hujusmodi de quibus lis est inter partes, quilibet ex litigantibus potest postulare ut in jure exhibeantur ab illa parte quae illa possidere dicitur. Negatio exhibitionis locum dare potest causae incidenti, quam judex interlocutoria sententia definiet (can. 1822-1824).

1586. — 6° **Praesumptio** est probatio improprie dicta. a) *Definitur* « rei incertae probabilis conjectura » seu ut habet Wernz [1] : conclusio rationabilis de veritate rei dubiae deducta ex indiciis plerumque vel frequenter connexis cum veritate. Alia est *juris,* quae ab ipsa lege positiva statuitur ; alia *hominis* quae a judice conjicitur. Praesumptio juris alia est *juris simpliciter* [2], alia *juris et de jure* [3], pro minore vel majore vi probativa quam lex ei tribuit (can. 1825) [4].

b) Contra praesumptionem *juris simpliciter* admittitur probatio tum *directa* tum *indirecta.* Probatio directa [5] habetur quando per quamvis speciem argumentorum contrarium probatur ; probatio autem indirecta, quando evellitur factum quod est praesumptionis fundamentum, sic v. gr. ut vir praesumptionem legitimitatis relate ad puerum evertat

1. *O. c.*, p. 493.
2. Cf. can. 88, § 3 ; 1014 ; 1015, § 2 ; 1070, § 2 ; 1082, § 2 ; 1115 ; 1814 ; 2200, § 2.
3. Cf. can. 175 ; 1904, § 2 ; 1972.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 205.
5. Voces *directa* vel *indirecta* cadunt in id quod probandum est.

(can. 1115, § 2) potest directe probare se non esse patrem prolis aut alium esse patrem vel indirectam probationem afferre demonstrando se ultra decem menses nullum cum matre pueri commercium carnale potuisse habere. Praesumptio juris et de jure admittit tantum indirectam probationem [1], qua demonstratur non adesse circumstantias, qualitates, casum suppositum ad praesumptionem. Ita praesumptio juris et de jure juxta quam res judicata habenda sit vera et justa, impugnari potest probando, v. gr. documenta in quibus exclusive fundata sit sententia, esse falsa ; tunc fallit enim haec praesumptio, quia fundamentum ejus, nempe omnia jure gesta fuisse, corruit (can. 1826). Praesumptio juris et de jure non admittit appellationem nec delationem juramenti.

c) « Qui habet pro se juris praesumptionem liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam ; qua non probante, sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio » (can. 1827).

d) « Praesumptiones, quae non statuuntur a jure, *judex* ne conjiciat, nisi ex facto *certo* et *determinato*, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat » (can. 1828). Proinde una conjectura non potest in aliam conjecturam fundari, sed fundetur oportet in facto certo, concreto, individuo, et non generali et quasi abstracto, uti esset aliqua dispositio physica aut moralis [2].

1587. — 7° **Juramentum partium.** Juramentum prout adhibetur in judicio est vel *suppletorium*, vel *litis aestimatorium*, vel *decisorium*.

a) Juramentum *suppletorium* illud est quod, si habeatur semi-plena tantum probatio nec alia probationis adjumenta supersint, judex jubeat vel admittat ad probationes supplendas (can. 1829). Maxime adhibetur cum adjuncta, quae civilem vel religiosum personae statum [3] respiciunt, aliter comperiri nequeunt. Excluditur a causis criminalibus, a causis contentiosis cujus objectum magni momenti est vel non sit proprium personae cui deferendum esset (can. 1830, § 1 et 2).

Defertur sive ex officio, sive ad instantiam alterius partis vel promotoris justitiae vel defensoris vinculi. Judex tamen solus decernit an et quando sit deferendum. Regulariter deferatur ei qui pleniores habet probationes (*ibid.*, § 3, 4, 5).

Semel delatum juramentum praestari *debet* si agatur de statu personali ; si agatur de aliis materiis recusari potest vel in adversarium referri. Judicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit. Juramentum ab una parte praestitum, potest ab altera impugnari (can. 1831).

---

1. Cadit haec praesumptio etiam per notoriam ejus falsitatem, per confessionem ejus cui favet. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 495, nota 18 ; REIFFENSTUEL, in lib. II, tit. 23, n. 54 ss.
2. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 584.
3. Cf. can. 1031.

b) Juramentum litis *aestimatorium* illud est quod judex deferre potest parti quae damnum passa est, si de jure ad damni reparationem constet, sed *quantitas* damni certe aestimari non possit (can. 1832-1833).

c) Juramentum *decisorium* aliud est extrajudiciale, aliud judiciale.

α) *Extrajudiciale* locum habet quando partes, ante initam litem ad hancque evitandam conveniunt ut controversia per jusjurandum ab alterutra praestandum transigendo dirimatur (can. 1834, § 1), nempe alterutra pars, absque interventu judicis [1], alteri juramentum defert ea conditione ut si haec illud praestiterit, lis secundum juramentum sine alia probatione decisa habeatur.

β) *Judiciale* illud est quod, pendente lite et in quolibet ejus momento et statu, altera pars potest, judice probante, alteri deferre, ea conditione ut quaestio sive principalis sive incidens, secundum jusjurandum decisa habeatur *(ibid.)*.

Juramentum decisorium speciem prae se fert transactionis, cum partes, si non de re controversa, saltem de modo agendi aliquid remittunt.

Conditiones delationis, item jura et officia quae ex delato juramento sequuntur, ad normam legum *civilium* intelligenda sunt, si agitur de juramento extrajudiciali ; ad normam vero can. 1835-1836, si juramentum in judicio praestetur [2]. Hae normae canonicae optime explicantur attenta natura juramenti decisorii, quod aequivalet transactioni.

1588. — III. Cum saepe in instructione quaestionis principalis, quaestiones secundariae incidunt seu excitantur, quarum decisio plerumque necessaria est ad definitionem causae principalis, ideo codex interrumpit ordinem actuum principalium ut agat **de causis incidentibus** tum in genere, tum in specie.

1589. — 1° **In genere.** a) *Notio.* « Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem judicio, ab una ex partibus aut a promotore justitiae vel vinculi defensore, si judicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem » (can. 1837). A judice, auditis partibus et, si opus sit, promotore justitiae vel vinculi defensore, admittuntur vel rejiciuntur ; admissae definiuntur decreto aut, servata forma judicii, sententia quae *interlocutoria* dicitur, et quae, antequam finiatur causa principalis a judice corrigi aut revocari potest (can. 1838-1841).

b) Multiplices dari possunt causae incidentes in initio, in medio, in fine processus : v. gr. quaestiones de competentia judicii, de defectu personae legitimae, de contumacia ; de cautione praestanda, de sequestranda re litigiosa, de interventu tertii, de attentato. Codex hic ex professo tantum agit *de contumacia, de interventu tertii, de attentato.*

---

1. Nisi ex can. 1529, hic interventus lege civili requiratur.
2. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 210.

1590. — 2° **In specie.** a) *Contumacia*[1] est inobedientia erga judicem ecclesiasticum legitime vocantem, cum pertinacia commissa[2]. Committitur ab eo qui in judicium vocatus, et nulla justa causa impeditus neque per se, neque per procuratorem comparet, vel si primae citationi obtemperet, in progressu judicii jam non comparet (can. 1842, 1848).

α) Ut *reus* contumax declarari possit, apte constare debet citationem, legitime factam, tempore utili ad rei notitiam pervenisse aut saltem pervenire debuisse et praeterea reum esse pertinacem seu absentiae excusationem afferre neglexisse aut non justam attulisse (can. 1843). Ad instantiam partis, vel promotoris justitiae vel vinculi defensoris, si judicio intersint, judex rei contumaciam declarare potest, eaque declarata, procedere, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam ejusque exsecutionem (can. 1844, § 1) ; sed potest[3] quoque ad frangendam rei contumaciam, servatis servandis, comminari ecclesiasticas poenas (can. 1845). Ante sententiam definitivam, reus, a contumacia recedens, potest tamen adhuc se in judicio sistere et conclusiones probationesque afferre ; imo intra trimestre a lata sententia definitiva, concedi potest reo ab ipso judice qui eam tulit, non appellatio, sed beneficium restitutionis in integrum ad appellandum ; imo jus petendi restitutionem perpetuo manet, si agatur de causis quae non transeunt in rem judicatam (can. 1846, 1847).

β) *Actoris* contumacia a judice declarata (can. 1849), perimit ejusdem actoris jus ad suam instantiam persequendam, quamvis promotor justitiae vel vinculi defensor, si bonum publicum id postulet, eam prosequi valeat. Reus autem exinde jus habet petendi ut vel libere possit a judicio abire, vel nulla habeantur omnia eo usque gesta, vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris, vel judicium, absente quoque actore, ad finem adducatur (can. 1850).

γ) Si contumax, sive reus sive actor, contumaciam suam non purgaverit, afferendo justas causas suae absentiae, condemnetur tum ad litis expensas, tum etiam, si opus sit ad indemnitatem alteri parti praestandam. Si tum actor tum reus sint contumaces, ad expensas litis in solidum tenentur (can. 1851).

1591. — b) *Interventus tertii in causa.* Cum tertii interesse potest ut interveniat in aliqua causa sive ratione connexitatis sui juris cum re de qua agitur, sive ratione juris pluribus communis, disponitur can. 1852, § 1 « Is cujus interest, admitti potest ad interveniendum in causa in qualibet litis instantia.» Tempus utile ad interveniendum est ante conclusionem in causa; lata sententia definitiva at non exsecutioni mandata, manet tertio remedium extraordinarium, nempe *oppositio tertii* (can. 1898 ss.). Imo, si tertii

---

1. Cf. D'AMBROSIO, *De contumacia judiciali in antiqua et nova jur. can. disciplina*, ap. *Jus Pontif.*, 1924, t. IV, p. 11 ss.

2. Contumacia etiam considerari potest ut praesumptio renuntiationis tuitioni judiciali juris. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 584. Contumacia judicialis non est confundenda cum contumacia in materia poenarum.

3. Imo et debet in causis criminalibus et in contentiosis ubi ratio boni publici intervenit.

interventus appareat necessarius, vel ad melius instruendam causam, vel ad vitandum futurum judicium, vel ad consulendum juri cujusvis ex litigantibus, judex ad instantiam partis vel etiam ex officio debet interventum tertii in causa jubere (can. 1853) [1].

1592. — c) *Attentatum lite pendente.*

Attentatum est quidquid, lite pendente [2], aut altera pars adversus alteram aut ipse judex adversus alterutram vel utramque partem innovat, parte dissentiente et in ejus praejudicium ; sive innovatio respiciat litis materiam [3], salvo tamen praescripto can. 1672, 1673 [4], sive respiciat terminos partibus a jure vel a judice assignatos ad ponendos certos actus judiciales [5]. Attentata sunt ipso jure nulla. Idcirco parti ex attentato laesae competit actio per se coram ipso judice causae principalis instituenda, ad obtinendam declarationem nullitatis, purgationem attentati, seu restitutionem omnium rerum in eum statum quo erant ante, et indemnitatem, si vis vel dolum intervenerint.

1593. — IV. Ut unaquaeque pars suam defensionem praeparare possit, fit **publicatio processus** seu simultanea omnium probationum communicatio parti adversae, quae intelligitur facta, concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar (can. 1858, 1859).

1594. — V. Demum concluditur stadium stricte probatorium processus instructionis per **conclusionem in causa.** Haec habetur quoties aut partes a judice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a judice praestitutum elapsum sit, aut judex declaret se satis instructam causam habere. De hac constare debet formali et scripto decreto. Quo dato, inhibentur novae probationes, quibusdam exceptis casibus (can. 1860, 1861).

1595. — VI. Expleto stadio probatorio, incipit stadium instructionis defensivum seu **causae discussio** quando, facta conclusione in causa, judex partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas sive per se sive per advocatum exhibendas (can. 1862). Defensio est *in scriptis* conficienda (can. 1863, § 1). Judicis est nimiam defensionum extensionem moderari (can. 1864). Partibus jus est semel respondendi, nisi judici concedenda videatur ulterior responsio (can. 1865). Informationes orales, quibus videlicet advocati quasi privatim judicem de adjunctis juris et facti causam respicientibus instruere satagant,

---

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 587 ss.
2. Cf. can. 1725.
3. V. gr., si res liti obnoxia alienaretur ; si nova fieret electio ad beneficium, dum contenditur de prioris electionis exitu. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 602.
4. De legitima sequestratione quae est medium ne pendente lite innovetur.
5. Cf. can. 1634, 1881, 1883, etc.

prohibentur ; admittitur tamen moderata disputatio oralis coram tribunali ad aliquid illustrandum, si, alterutra vel utraque parte postulante, judex eam utilem censeat atque admittat (can. 1866).

CAPUT III.

PROCESSUS FINIENDUS.

1596. — I. Absoluta instructione processus, ordinarie fit causae definitio per **sententiam.**

1° *Haec definitur :* legitima pronuntiatio qua judex causam a litigantibus propositam et judiciali modo pertractatam definit (can. 1868, § 1). Caeterae judicis pronuntiationes [1], *decreta* vocantur (*ibid.*, § 2).

2° Sententia *interlocutoria* dicitur, si dirimat incidentem causam ; *definitiva,* si *principalem* (*ibid.*, § 1). Sententia interlocutoria est vel *simplex* si causae principali non obsit neque spem favorabilis sententiae auferat, vel *vim definitivae habens,* si ita praejudicet negotio principali, ut alia sententia jam non sperari liceat [2]. Definitiva sententia in contentiosis subdividitur in *condemnatoriam* rei et in *absolutoriam* a petitione actoris ; in criminalibus autem in *condemnatoriam* et in *declaratoriam :* prima a judice decernitur poena secundum dispositionem juris reo propter delictum infligenda ; altera a judice authentice declaratur reum incidisse in poenam delicti, ipso jure ipsoque facto inflictam.

3° Qualis *certitudo* necessaria sit et *undenam* haurienda ad ferendam sententiam dicitur in can. 1869. « Ad pronuntiationem cujuslibet sententiae requiritur in judicis animo *moralis certitudo* circa rem sententia definiendam » (§ 1) et cum ipse agat personam publicam « hanc certitudinem judex haurire debet *ex actis et probatis* » (§ 2) in judicio, non ex scientia sua privata [3]. « Probationes aestimare judex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicujus probationis [4] » (§ 3). « Judex qui eam certitudinem efformare sibi non potuit, pronuntiet non constare de jure actoris et reum dimittat, nisi agatur de causa favorabili [5], quo in casu pro ipsa, pronuntiandum est, et salvo

---

1. Cf. v. gr., can. 1607, § 2 ; 1635 ; 1639, § 1 ; 1672, § 3 ; 1840, § 1 ; 1860, § 3 ; 1861, § 2, etc.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 502.
3. Quaestio classica est, de judice qui in causa criminali ex actis et probatis quemdam damnare deberet, dum ex scientia privata eum certo scit esse innocentem. Cf. de hac VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 229 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1137, nota.
4. Cf.can. 1791, § 1 et 2 ; 1816 ; 1826 ; 1834, § 1 ; 1836, § 4.
5. Uti sunt causae matrimoniales de vinculo, in quibus pro valore vinculi est pronuntiandum ; causae minorum.

praescripto can. 1697, § 2 » (§ 4), i. e., nisi agatur de causa possessionis et haec post allatas probationes maneat dubia, tunc generatim judex possessionem pro indiviso utrique parti attribuere debet.

4° Sententia ferri debet expleta causae disceptatione et generatim in ipsa tribunali sede, postquam, si de tribunali collegiali agatur, de hac deliberaverunt judices. Exaranda est a judice, si unicus est ; a ponente si tribunal est collegiale (can. 1870-1873).

5° Ut constare possit de justitia sententiae et de ejus conformitate cum libello seu cum petitione, debet sententia *in parte dispositiva* a) definire controversiam, h. e., reum absolvere vel condemnare juxta tenorem libelli ejusque responsionem ; b) determinare circumscripte obligationem partis damnatae ; c) statuere de litis expensis. *Pars expositiva* debet continere rationes seu motiva tum facti tum juris, quibus dispositiva sententiae pars innititur. Quae omnia exprimi debent juxta formam externam enucleate a jure descriptam (can. 1873, 1874) [1].

6° Demum sententia est quamprimum *publicanda*, v. gr. citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a judice pro tribunali sedente (can. 1875, 1876).

1597. — II. **Res judicata** definiri potest sententia definitiva quae jam non sit oppugnabilis et proinde potest exsecutioni mandari [2]. Jam vero res judicata habetur a) duplici sententia conformi ; b) sententia intra utile tempus non appellata ; aut quae licet appellata deserta fuit ; c) sententia definitiva unica, a qua non datur appellatio ad normam can. 1880 [3] (can. 1902).

Attamen nunquam transeunt in rem judicatam *causae de statu personarum*, sc. causae super a) validitate matrimonii ; b) inconsummatione matrimonii ; c) libertate a vinculo matrimoniali ob assertam mortem conjugis vel ob declarationem nullitatis matrimonii [4] ; d) validitate sacrae ordinationis ; e) validitate professionis religiosae. « Ex duplici sententia conformi in his causis, consequitur, ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis » (can. 1903).

Effectus rei judicatae sunt a) « Res judicata praesumptione *juris et de jure* habetur *vera et justa*, nec impugnari *directe* potest [5] ; b) facit jus inter partes et dat exceptionem ad impediendam novam ejusdem causae introductionem » (can. 1904).

1. Exempla sententiarum desumi possunt ex *AAS.*, ubi sententiae rotales publicantur.
2. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 671.
3. Cf. infra, n. 1602.
4. Cf. DESMET, *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 4, n. 710, Brugis, 1917.
5. Cf. supra n. 1586.

1598. — III. **Expensae judiciales** vocantur sumptus qui ad ipsam actionem publice prosequendam necessarii sunt, puta pro stipendiis ministrorum tribunalis, pro indemnitate testium et peritorum, pro transcriptione documentorum, etc.[1]. Quae expensae, a concilio provinciali vel conventu Episcoporum definiendae, in causis contentiosis[2] solvi debent, etiam cautione penes tribunalis cancellariam antea deposita, generatim a victo victori, vel etiam ab eo qui temere litigaverit (can. 1908-1911). Attamen poterit judex pro suo prudenti arbitrio, justa et gravi de causa, expensas inter litigantes ex toto vel ex parte compensare (can. 1911). « Si plures sint in causa qui condemnationem ad expensas mereantur, judex eos damnet in *solidum*, si agatur de obligatione solidali ; aliter, pro rata » (can. 1912). A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio ; sed tantum oppositio intra decem dies facienda coram eodem judice (can. 1913). Notandum est quod *pauperes*, si in totum impares sint expensis judicialibus sustinendis, jus habeant *ad gratuitum patrocinium ;* si ex parte tantum, ad expensarum diminutionem (can. 1914-1916).

1599. — IV. **Exsecutio sententiae.**

1° Exsecutio sententiae est actus judicialis quo victori vere praestatur quod per sententiam obtinuit[3].

2° Sententia quae transiit *in rem judicatam*, definitivae exsecutioni mandari potest (can. 1917, § 1) seu est apta exsecutioni et viam aperit actioni *rei judicatae* in favorem partis cui favet ; at non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium judicis decretum habeatur inclusum in ipso sententiae tenore aut seorsim editum (can. 1918).

Judex tamen potest sententiae quae nondum transit in rem judicatam, certis in casibus, *provisoriam* exsecutionem jubere (can. 1917, § 2).

3° *Auctor exsecutionis* est per se vel per alium *Ordinarius loci* in quo sententia primi gradus lata est. Quod si hic renuat vel negligat, exsecutio spectat *ad judicem appellationis*. Inter religiosos exsecutio spectat ad Superiorem qui definitivam sententiam tulit aut judicem delegavit (can. 1920).

4° Merus exsecutor *per se* de merito causae nequit videre, sed tantum de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis. Ipse debet sententiam ipsam secundum obvium verborum sensum exsecutioni mandare, salva majore potestate ei in tenore sententiae commissa (can. 1921).

In actione *reali*, res adjudicata actori *statim* post rem judicatam ei

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 248.
2. Non in causis criminalibus, cf. NOVAL, *o. c.*, n. 687.
3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 511, nota 73.

est tradenda ; in actione *personali, quadrimestre* conceditur, salvo jure judicis hunc terminum reducendi vel protrahendi (can. 1922).

Exsecutio ita est peragenda ut quam minimum damnato noceat ; unde quae victui alicujus aut industriae necessaria sunt necnon clericis honesta sustentatio ad normam can. 122, semper servari debent (can. 1923, § 1).

Ad exsecutionem privationis beneficii judex ne procedat contra clericum qui Sanctam Sedem adierit ; sed si agitur de beneficio, cui adnexa sit animarum cura, Ordinarius provideat per designationem vicarii substituti (can. 1923, § 2).

Reum reluctantem ad exsequendum cogere licet, adhibitis prius monitis et praeceptis, dein tantum ex necessitate et gradatim poenis spiritualibus et censuris (can. 1924).

CAPUT IV.

DE JURIS REMEDIIS CONTRA SENTENTIAM.

1600. — **Praenotanda.** 1° *Notio.* Cum vetus adagium : *Errare humanum est,* judiciis etiam quandoque comprobetur, leges sapienter proviserunt bono subditorum, variis ipsis adversus sententias erroneas aut iniquas concessis remediis. Haec remedia, seu media a jure concessa contra gravamina processus et sententiae, sunt praeter correctionem erroris materialis in sententia admissae (can. 1878), appellatio (can. 1879-1891), querela nullitatis contra instantiam (can. 1892-1897), oppositio tertii (can. 1898-1901), et restitutio in integrum (can. 1905-1907).

2° *Divisio.* a) Illa remedia dividuntur in *ordinaria* et *extraordinaria.* Ordinaria sunt *appellatio* et *querela nullitatis.* Conceduntur omnibus qui partes habuerunt in judicio, nempe partibus, promotori justitiae et defensori vinculi. Extraordinaria sunt *oppositio tertii* quae datur tertiae personae quae indirecte ob sententiam latam laeditur ; et *restitutio in integrum* quae competit personis speciali tuitione legali protectis, imo et aliis absque propria culpa laesis, deficientibus aliis remediis ordinariis [1].

b) Juris remedia alia sunt *devolutiva,* si integra causa cognoscenda et definienda devolvitur ad judicem superiorem, alia *non devolutiva,* si res iterum ejusdem instantiae judici decidenda proponitur ; sunt *suspensiva,* quibus prosecutio causae et nimirum exsecutio sententiae sus-

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 235.

penditur, vel *non suspensiva*, si, invocato remedio, sententia provisorie exsecutioni mandari valeat.

3° Si agatur de *errore materiali* qui inciderit vel in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis, errorem corrigere valet ipse judex, per simplex decretum. Si altera pars refragetur, quaestio incidens ad normam can. 1840, § 3, decreto, et ideo non servata judicii forma, finiatur (can. 1878).

§ 1. DE APPELLATIONE.

1601. — I. **Notio.** Appellatio definiri solet : *Provocatio facta ab inferiori judice ad superiorem, ut lata sententia corrigatur vel revocetur.* Olim distinguebatur duplex appellatio : alia *judicialis*, qua provocabatur ab actu judiciali, v. g. a sententia definitiva vel interlocutoria ; altera *extrajudicialis*, qua provocabatur a decretis, vel actibus regiminis administrativi, quibus aliquis se gravatum praeter fas arbitrabatur. Codex vocem « appellatio extrajudicialis » non usurpat ; sed rem vocat *recursus* [1].

1602. — II. **Jus appellandi.** 1° Quaelibet pars, victa vel victrix, ejusque successor in lite [2], sive per se sive per procuratorem [3], quae se in aliquo gravatam putet itemque promotor justitiae et defensor vinculi [4] in causis quibus interfuerint, jus habent a sententia appellandi, et quidem cum effectu suspensivo, nisi aliud in jure expresse caveatur [5], salvo praescripto can. 1880 quo appellatio excluditur in certis causis et casibus (can. 1879).

2° Nempe « non est locus appellationi : a) a sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae ; b) a sententia judicis qui a Sancta Sede delegatus est ad videndam causam cum clausula « *appellatione remota* [6] » ; c) a sententia vitio nullitatis infecta ; d) a sententia quae in rem judicatam transiit ; e) a definitiva quae jurejurando litis decisorio [7] innixa est ; f) a judicis decreto vel a sententia inter-

---

1. Cf. can. 2146 ; 2243, § 2. Vide NOVAL, *o. c.*, n. 641.
2. Cf. can. 1664, § 2.
3. Cf. can. 1733, 1°, 2°.
4. Defensor vinculi in prima instantia ex officio appellare debet a sententia contra validitatem matrimonii, ex can. 1986.
5. Hoc casu appellatio tantum prohibetur quoad effectum suspensivum, cf. *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 177.
6. Cf. can. 1889, § 2.
7. Quia jusjurandum decisorium importat transactionem et proin renuntiationem appellationi.

locutoria, quae non habet vim definitivae [1], nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva ; g) a sententia in causa pro qua jus cavet expeditissime rem esse definiendam [2] ; h) a sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit ; i) a sententia lata contra eum qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare » (can. 1880).

1603. — III. Judex a quo et ad quem appellare licet.

« Appellatio interponi debet coram judice *a quo* sententia prolata est » (can. 1881) ; et appellatio prosequenda est apud ejus superiorem ecclesiasticum qui habet tribunal distinctum, et regulariter ad proxime superiorem [3]. Ordo in serie judicum servandus, intelligendus tantum est de gradibus inferioribus, non autem de supremo seu R. Pontifice, ad quem fas est de cunctis mundi partibus, omissis gradibus mediis, appellare [4].

Appellatio tamen ad mediatum judicem facta, probabiliter non est irrita ; sed valet, parte adversa nihil contra opponente. Ratio est quod appellare gradatim non pertineat ad substantiam appellationis [5].

Si sententia publice legatur, appellatio potest fieri statim, oretenus [6], coram judice pro tribunali sedente ; secus facienda est in scriptis per libellum appellatorium judici a quo exhibendum (can. 1882). Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars invocet ministerium judicis superioris, adjungendo petitioni exemplar sententiae cujus emendatio petitur et libelli appellatorii (can. 1884, § 1) [7].

1604. — IV. De fatalibus appellatoriis.

Appellatio interponenda est *intra decem dies* a notitia publicationis sententiae (can. 1881) ; atque ab appellante prosequenda *intra mensem* ab ejus interpositione, nisi judex *a quo* longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit (can. 1883) [8].

« Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram judice a quo, sive coram judice ad quem deserta censetur appellatio » (can. 1886) et consequenter sententia in statu exsecutionis reperitur.

1605. — V. De effectibus appellationis.

---

1. Tunc damnum reparari potest per sententiam definitivam.
2. Cf. can. 1616 ; 1856, § 2.
3. Cf. supra n. 1530.
4. Cf. supra n. 1514.
5. Cf. SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. II, p. 243.
6. Tunc statim ab actuario in scriptis est redigenda.
7. De apostolis, olim in usu, cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1247.
8. Codex can. 1884, § 2 ; 1885 varios determinat casus quo termini fatales non currere incipiunt seu suspenduntur sive ad interpositionem sive ad prosecutionem appellationis. — Cf. causa S.R.R. *Portuen. et S. Rufinae*, 7 maii 1917, de deserta appellatione, *AAS.*, t. X, p. 32 ss.

1° Appellatio quoad *partes* est *generalis ;* facta ab alterutra parte alteri prodest seu praebet ea jura quae haec habuisset si appellasset. Imo facta ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa potest appellare super aliis capitibus per modum causae incidentis, probato proin nexu causarum, etiam si fatalia appellationis pro ipsa fuerint transacta ; praeterea hoc modo appellare potest etiam sub conditione recedendi, si prior pars quoque ab instantia recesserit ; nam invita appellavit et quasi ab altera parte coacta (can. 1887, § 1, 2) [1].

Appellatio facta ab uno ex correis aut actoribus, aliis et prodest et nocet, quoties res petita sit indivisibilis aut obligatio solidalis. Attamen expensas judiciales, priore sententia confirmata, ille solus sustinere tenetur qui appellavit, utpote solus victus (can. 1888).

2° Appellatio quoad *capita appellationis* est *specialis*, ita ut si appellans quaedam tantum capita impugnet, cetera exclusa habeantur ; at si nulla determinavit capita, appellatio censetur facta contra omnia capita (can. 1887, § 3).

3° Quoad effectus appellationis *circa exsecutionem sententiae* [2], appellatio *in suspensivo* exsecutionem appellatae sententiae suspendit, quia suspendit jurisdictionem prioris judicis ac propterea in suo robore permanet principium : lite pendente nihil innovetur ; appellatio autem *in devolutivo* tantum, non suspendit exsecutionem sententiae sed per eam totius causae cognitio, retractatio et decisio ad superiorem judicem devolvitur (can. 1889, § 1). Omnis appellatio canonice facta suapte natura producit *effectum devolutivum.* Habet etiam effectum *suspensivum,* nisi aliud in jure expresse caveatur [3], et firmo praescripto can. 1917 [4] (*ibid.*, § 2).

4° Quod attinet vero *prosecutionem causae,* interposita appellatione, judex a quo actum aut libellum appellationis, nisi propter defectum formae aut propter inutiliter elapsa fatalia respuendum esse arbitretur [5], judici ad quem intra triginta dies ab interposita appellatione transmittit una cum omnibus documentis prioris processus (can. 1890 ; 1644). Judex superior dein de appellatione sitne debito modo introducta ac de merito causae juxta normas processus judicialis superius datas cognoscit, confirmando vel infirmando vel corrigendo *priorem sententiam* (can. 1595, 1596). Quare in gradu appellationis, quae niti

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 651.
2. Cf. *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 174 ss.
3 Cf. can. 2243, § 1.
4. Cf. supra n. 1599.
5. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 646.

debet actis et allegatis in priori instantia, admitti nequit *nova petendi causa,* seu novus titulus juris quod vindicatur [1], ne quidem per modum utilis cumulationis (can. 1891, § 1) ; « sed novis exhibitis documentis et novis probationibus poterit causa instrui, servatis regulis traditis in can. 1786, 1861 » (*ibid.*, § 2).

1606. — Scholion. De appellatione ab abusu [2].

1° *Notio.*

Hoc nomine intelligitur appellatio, qua a judice ecclesiastico ad principem laicum, vel curiam civilem appellatur, eo quod judex ecclesiasticus censeatur in aliqua ferenda sententia sua potestate esse abusus.

Praetensum illud jus potestatis civilis, quod placuit Jansenistis, defendit Févret in opere prohibito a. 1695 *Traité de l'abus ;* illudque in Gallia restituerunt Articuli organici (art. 6). Inter Nuytzii errores hunc quoque reprehendit Pius IX. Fuerunt etiam harum appellationum saeculo elapso exempla in Belgio. Sic suspensus parochus ecclesiae S. Catherinae Mechliniae, et succursalista de Xhavée, dioecesis Leodiensis, ab Episcopo depositus, *ab abusu* appellarunt. Prioris partes suscepit de Bavay, proc. gen., quem abunde refutavit Verhoeven in opusculo cui titulus : *Défense des libertés religieuses compromises dans une brochure intitulée : De l'appel comme d'abus dans ses rapports avec la Constitution belge* [3]. Occasione posterioris causae sanam doctrinam erudite exposuit Delcour [4].

2° *Hujus abusus impugnatio.* Qui in hac re tuentur jus potestatis civilis, illud deducunt ex jure *advocatiae,* seu *protectionis,* quod omnis princeps civilis etiam circa sacra exercere tenetur. Princeps, aiunt, debet Ecclesiam defendere, et curare ne contra canones et recepta Ecclesiae jura quidquam perpetretur ; debet praeterea eos omnes, qui in ipsius ditione sunt, contra vim et oppressionem protegere a quacumque procedant potestate.

a) Verum appellatio ab abusu *illicita* et *nulla* est ; α) Repugnat divinae Ecclesiae institutioni : nam Christus dedit Petro et Apostolis liberam res sacras judicandi potestatem, minime civilibus potestatibus subjectam ; β) Repugnat libertati et independentiae Ecclesiae, earumque consectariis ; rerum enim ecclesiasticarum cognitio ad solam Ecclesiam pertinet ; γ) Pugnat cum ipsa notione appellationis. Appellatio enim est provocatio a judice inferiore ad superiorem ; jam vero numquid forsan potestas ordinis supernaturalis est subdita potestati ordinis naturalis ?

Praeterea innumerabilia sunt mala a dictis appellationibus in Ecclesiam et societatem invecta.

---

1. Cf. exempla *ibid.*, n. 655.

2. AFFRE, *De l'appel comme d'abus,* Paris, 1845 ; ICARD, *o. c.*, t. III, p. 135 ss.; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 748 (bibliographia) ; FRIEDBERG, *o. c.*, p. 272, 298, 302 ; ROTENBUECHER, *Die Trennung von Staat und Kirche,* p. 214, 364 s., 432 ; MOULART, *L'Eglise et l'Etat* [4], p. 654 ss. ; CAVAGNIS, *o. c.*, vol. III, n. 44 ss. Cf. supra, t. II, n. 519.

3. Bruxelles 1847, cf. *Rev. catholique,* 1847-1848, t. V, p. 77 ss. ; coll. 1846-1847, t. IV, p. 437 s.

4. *Rev. cath.*, 1847-1848, t. V, p. 257, 293, 533.

His omnibus de causis sacri canones, ac specialiter *Syllabus,* prop. XLI [1], et Constitutio *Apostolicae Sedis,* tit. I, art. 6, illas appellationes gravissime damnant.

b) Praeterea nihil quicquam valent argumenta sententiae oppositae.

Princeps saecularis, si est custos et exsecutor canonum, tenetur jura Ecclesiae sarta tecta servare, regulas canonum sequi, et propterea debet curare, ut qui de inferioribus judicibus jure queruntur, ad superiores Ecclesiae judices confugiant.

Oppressio autem quem pertimescunt, possibilis quidem est ; sed ab iis solis repelli jure potest, qui in judicem potestate sua abutentem et in materiam judicii jurisdictione pollent.

Summam profecto absurditatis metam attingerent gubernia moderna, quae nostris diebus appellationis ab abusu praxim restituere conarentur. Et sane superioribus saeculis, dum religio catholica uti religio status agnosceretur, omnes civiles magistratus religionem catholicam profiteri debebant, nunc vero, vigente cultuum libertate, quid absurdius excogitari posset, quam quod athei forsan maximique catholici nominis hostes de legum ecclesiasticarum sensu et sana applicatione cognoscerent atque judicarent ?

c) Denique nota appellationes ad abusu fuisse abolitas in nostro Belgio per *Constitutionem* an. 1831 ; et consequenter curiis, sic dictis *Cours d'Appel,* non competere jus illas recipiendi [2].

Quae cum ita sint, quomodo se geret ille, qui merito vel immerito se a Pontifice gravatum existimat ?

Regulam tradit Ivo Carnotensis, *Epist. 57 :* « Quoniam, *ait,* judicium R. Ecclesiae a nemine foris retractari posse didicimus, si qui aliquando se praegravatos ab illius auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde exspectent levamen unde se conqueruntur accepisse gravamen. »

§ 2. DE QUERELA NULLITATIS.

1607. — I. **Notio.** 1° Querela nullitatis est remedium ordinarium juris quo petitur ut sententia declaretur nulla utpote quae vitio nullitatis laboret. Vitium vero illud nullitatis est *insanabile* vel *sanabile,* juxta determinationem legis. Lex autem illud vitium nullitatis insanabile declarat, quod aut ex natura rei oritur aut officit bono publico ; sanabile vero quod soli partium utilitati officit, quodque proin, his commodo suo renuntiantibus, a judice sanari potest.

---

1. Cf. n. 26.

2. Cf. DELCOUR, *o. c.,* p. 259 ss., 293, 533 ; MOULART, *o. c.,* p. 654 ss. Cf. GIRON, *Diction. de dr. administr.,* v° liberté de conscience, n. 76 ; ORBAN, *Dr. constitutionnel,* t. III, p. 612 ss. — Voir Cour de Liége, 12 août 1847, *Rev. cath., l. c.,* p. 378 s., coll. 1846-1847, p. 437 (jugement du tribunal de Liége dont appel), *Pas.,* 1849, II, 112 ; Cour de Brux., 22 avr. 1865, *Pas.,* 1866, II, 116 ; Trib. de Brux., 19 avril 1884, *Pas.,* III, 126 ; *Le Mémorial,* 1884, col. 191 ss.

Jamvero 1° « sententia vitio *insanabilis* nullitatis laborat quando : a) lata est a judice *absolute* incompetente [1] vel in tribunali collegiali a non legitimo judicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1 [2] ; b) lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in judicio ; c) quis nomine alterius egit sine legitimo mandato » (can. 1892).

2° Sententia vitio *sanabilis* nullitatis laborat, quando : a) legitima defuit citatio ; b) motivis seu rationibus decidendi est destituta, salvo privilegio Signaturae Apostolicae ; c) subscriptionibus caret jure praescriptis ; d) non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit (can. 1894) [3].

1608. — II. Usus querelae nullitatis.

1° Querela *insanabilis* nullitatis proponi potest per modum *exceptionis in perpetuum* [4] ; per modum vero *actionis* coram judice [5] qui sententiam tulit intra triginta annos a publicatione sententiae (can. 1893).

2° Querela *sanabilis* nullitatis duplici via proponi potest a) vel una cum appellatione contra laesionem juris quae fuit causa nullitatis, praesertim cum haec non sit aperta, et tunc sequitur normas appellationis et proin proponenda est intra decendium a notitia publicationis sententiae, coram judice superiore ; b) vel seorsim et unice qua querela, si nullitas videtur notoria aut evidens, et tunc proponenda est intra tres menses a die publicatae sententiae coram judice qui sententiam tulit (can. 1895) [6].

3° « Si pars vereatur ne judex, qui sententiam querela nullitatis impugnatam, tulit, praeoccupatum animum habeat et proinde eum suspectum merito existimet, exigere potest ut alius judex, sed in eadem judicii sede, in ejus locum subrogetur ad normam can. 1615 » (can. 1896).

4° « Querelam nullitatis interponere possunt nedum *partes,* quae se gravatas putant, sed etiam *promotor justitiae* aut *defensor vinculi,* quoties judicio interfuerint. Imo *ipse judex* potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare intra terminos ad agendum supra statutos » (can. 1897).

---

1. Cf. supra n. 1511 ss.
2. Cf. supra n. 1522.
3. Cf. causa S. R. R., 20 oct. 1917, ap. *S. R. R. decisiones,* t. IX, p. 257 ss. ; causa S. R. R., 13 jul. 1918, *AAS.,* t. XI, p. 392 ss.
4. Cf. can. 1667, supra n. 1563.
5. Probabilius, cum NOVAL, *o. c.,* n. 630 excipiendus est judex delegatus ad determinatas causas, cf. supra n. 472 ; quod tamen rejiciunt VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 242.
6. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 662.

§ 3. OPPOSITIO TERTII.

1609. — I. **Notio.** Oppositio tertii est remedium juris *extraordinarium* vi cujus tertii qui ex sententia definita suorum jurium laesionem patiuntur aut verentur, possunt sententiam ipsam ante ejus exsecutionem impugnare eique se opponere (can. 1898). Haec *oppositio tertii* differt ab *interventu tertii in causa,* quia haec actio incidens competit in quavis instantia, sed ante conclusionem in causa (can. 1852), ei cujus interest, etiam si forte grave praejudicium ipse non vereatur [1].

II. **Modus procedendi.** Oppositor vel postulare potest a judice qui tulit sententiam, ejusdem revisionem secundum regulas pro actionibus incidentibus statutas, vel appellare potest ad judicem superiorem secundum regulas pro appellatione statutas. In utroque casu probare debet jus suum ex ipsa sententia revera esse laesum, aut ex exsecutione sententiae probabiliter esse laedendum. Causa ab oppositore victa, sententia antea lata mutanda est a judice, secundum oppositoris sententiam (can. 1899-1901).

§ 4. RESTITUTIO IN INTEGRUM.

1610. — I. **Notio** [2]. Restitutio in integrum est remedium juris extraordinarium adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis, quo notabiliter laesus a judice ex naturali aequitate in pristinum statum, seu statum juris laesioni anteriorem reducitur.

Praeter conditiones supra can. 1687, 1688 statutas [3], respicientes conditiones personarum quibus beneficium illud conceditur, requiritur ad modum conditionis sine qua non ut « de evidenti injustitia rei judicatae manifesto constet » (can. 1905, § 1).

Jam vero ex quatuor tantum capitibus manifesto de hac evidenti injustitia constare potest, nempe si a) sententia documentis innitatur, quae *postea* fuerint aperte falsa deprehensa ; b) *postea* detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent ; c) sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius partis, v. g., subornatione testium ; d) legis praescriptum evidenter neglectum fuerit (can. 1905, § 2) [4].

---

1. Cf. supra n. 1591.
2. Cf. supra n. 1569.
3. Cf. supra *l. c.*
4. Etiam in criminalibus, si haec omnia applicentur, restitutio in integrum datur damnato qui gravem laesionem experiatur ex causa quae ipsi imputari non potest.

II. **Judex competens.** 1° Si restitutio in integrum petatur ex neglecto a judice praescripto legis, conceditur a tribunali appellationis, ne prior judex se ipse corrigere cogatur.

2° Si vero ex aliis capitibus petatur, competens est judex qui sententiam tulit [1] ; etenim restitutio in integrum subaudit vel declarationem nullitatis vel annullationem sententiae, quo posito nihil judex fecisse censetur (can. 1906).

III. **Effectus petitae restitutionis.** *Petitio* restitutionis sententiae exsecutionem *nondum inceptam* suspendit, nisi probabilis suspicio judici ingeratur restitutionem peti ad moras exsecutioni nectendas. Quo casu, judex decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnis fiat (can. 1907).

1611. -- **Nota.** Praeter alia remedia juris superius indicata, commemoranda demum est *supplicatio*, quae est querela mota ad R. Pontificem, qua quis gravatus petit ut causa jam a Romanis Tribunalibus judicata, contra quam nec appellatio nec aliud remedium juris datur, iterum judicialiter possit tractari *(beneficium novae instantiae)*. Haec causae revisio nonnisi gravissimis de causis conceditur.

SECTIO II.

DE PECULIARIBUS NORMIS IN CERTIS QUIBUSDAM JUDICIIS SERVANDIS.

TITULUS XVIII.

DE MODIS EVITANDI JUDICIUM CONTENTIOSUM.

Congruit spiritui Ecclesiae, juvat ad pacem fovendam, quinimo ipsarum interest partium ut quantum fieri potest lites arceantur. Ideo varia in societate religiosa instituta sunt media praeveniendi judicia. Huc facit potestas administrativa Ordinariorum *modo extrajudiciali* et in *linea disciplinari* quaestiones sibi propositas dirimendi non ad apicem juris sed ex motivis aequitatis [2].

Praeterea lites quandoque per amicabilem partium conciliationem, nempe per *transactionem* (can. 1925-1928) aut *compromissum in arbitros* (can. 1929-1932) evitari possunt.

---

1. Excipitur S. R. Rota, de cujus sententiis materialiter vel formaliter injustis cognoscit sola S. Signatura (can. 1603, §, 1, 4°).
2. Cf. Conc. plen. Baltimoren. III, n. 84 ; cf. etiam can. 1925, § 1.

CAPUT I.

DE TRANSACTIONE.

1612. — I. **Notio.** In nostra materia transactio definiri potest : contractus onerosus, quo partes, circa rem dubiam, aliquo invicem dato aut retento aut promisso, finem imponunt liti incoeptae et nondum finitae aut litem exorituram praeveniunt [1].

Ecclesia enixe commendat judici ut, sive antequam partes in judicium vocentur, sive cum primum judicio steterint, sive quocumque instantiae opportuniori tempore, partes, in controversia quae privatum earum bonum respiciat, ad transactionem *hortetur* [2]. Convenit dignitati judicis ut non ipse hoc negotium suscipiat tractandum, sed alteri sacerdoti, praesertim ex judicibus synodalibus, committat (can. 1925).

1613. — II. **Subjectum transactionis.** Cum transactio sit *contractus*, nequeunt jure naturali transigere qui non possunt contrahere, ut infantes. Praeterea quia transactio *alienationem* dicit, ii soli poterunt transigere qui domini sunt et habent liberam administrationem et dispositionem suorum bonorum ; hinc ex jure canonico administratores bonorum ecclesiasticorum sine justa causa et auctoritate competentis superioris transigere nequeunt ; nec ex jure civili pupilli sine auctoritate tutoris [3].

1614. — III. **Normae servandae in transactione.** « In transactione serventur normae statutae *a legibus civilibus* loci in quo transactio initur, nisi jure divino vel ecclesiastico adversentur et salvo praescripto canonum qui sequuntur » (can. 1926). Hic contractui transactionis applicatur quod can. 1529 circa omnes contractus sancitum est. Praevalet tamen juri civili non tantum jus divinum sed et jus ecclesiasticum, sive transactio absolute vetetur, sive non observatis juris conditionibus prohibeatur [4]. Can. 1927 quidam recensentur casus in quibus transactio vetita est jure divino aut ecclesiastico.

1615. — IV. **Objectum transactionis.**

1° *Jure naturae* transactio fieri valide nequit *de re certa* [5].

2° Praeterea quaedam jura a transactione excluduntur, sive quia

---

1. Cf. LEGA, *o. c.*, t. I, n. 6 ss. ; SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. I, n. 390 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 30 ss. ; NOVAL, *o. c.*, n. 719. Res dubia et pactio non gratuita sunt elementa propria transactionis.
2. Partes proin ad transactionem ineundam cogi nequeunt. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 255 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1161.
3. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 721 ; WERNZ, *o. c.*, p. 32 s.
4. Cf. supra, n. 1482 ss.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 34 ; NOVAL, *o. c.*, n. 721.

pactio juri divino adversaretur, sive quia bono publico [1] nocere posset [2]. Quare ex can. 1927, § 1, transactio *valide* fieri nequit : a) in causa criminali, quia hujusmodi transactio inter promotorem fiscalem cui actio criminalis reservatur et reum obesset bono publico [3] ; b) in causa de vinculo matrimonii solvendo [4], quod jure divino solo partium consensu est indissolubile ; c) in causa de materia beneficiali cum de ipso beneficii titulo disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas. Ratio est quia titulus beneficii institutione canonica publicae auctoritatis adipiscitur ; d) de rebus spiritualibus quotiescumque in pactione interveniat solutio rei temporalis ; esset enim simonia juris divini. Sed « si quaestio fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt [5], transactio fieri potest, servatis tamen, si materia id postulet, sollemnitatibus a jure statutis pro alienatione rerum ecclesiasticarum » (can. 1927, § 2).

1616. — V. **Effectus transactionis.**

1° Effectus principalis vel ut finem imponat dubiis aut incertis litibus motis vel movendas lites impediat ; qui effectus *concordia* seu *compositio* vocatur (can. 1928, § 1). Transactio enim aequiparatur sententiae judiciali et vim habet sententiae judicatae. Quare si legitime facta sit, revocari ab una parte nequit aut rescindi a judice, altera parte invita [6].

2° De effectibus in specie consulendae sunt leges singularum nationum.

3° « Expensarum ; quas transactiones postulaverint, nisi aliud expresse cautum sit, utraque pars dimidium solvat » (can. 1928, § 2).

CAPUT II.

DE COMPROMISSO IN ARBITROS.

1617. — I. **Notio** [7]. a) Compromissum in arbitros est conventio qua

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 723. Transactio excludenda est in causis boni publici, etiam mere ecclesiastici, ut puta in causis minorum et eorum qui jure minorum gaudent.
2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 255.
3. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 725.
4. De sollemni professione religiosa per transactionem dissolvenda judicandum est secundum analogiam juris constituti de vinculo matrimonii, WERNZ, *o. c.*, p. 35.
5. Cf. supra n. 1098 ; NOVAL, *o. c.*, n. 726.
6. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 40 ; SANTI-LEITNER, *o. c.*, p. 398 ss. ; HEINER, *o. c.*, p. 16.
7. Cf. quoad jus antiquius DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1201; WERNZ, *o. c.*, p. 43 ss. ; NOVAL, *o. c.*, n. 729 ss.

controversia ex partium consensu committatur judicio unius vel plurium qui ad normam juris quaestionem dirimant, vel ex bono et aequo negotium pertractent et transigant (can. 1929).

b) Persona a partibus designata quae ad instar judicis ad apicem juris et servatis judiciorum normis juris tum civilis tum canonici controversiam dirimit vocatur *arbiter ;* qui vero secundum aequitatem rem pertractat et transigit appellatur *arbitrator.*

Eorum potestas effectusque sententiae a legibus civilibus singularum nationum pendent.

1618. — II. **Normae et objectum.** Servandae sunt juris civilis normae, et in iisdem causis ac supra dictum est de transactione, compromissum in arbitros prohibetur (can. 1930).

1619. — III. **Personae inhabiles ad arbitrium recipiendum.** Praeter illos qui *jure naturae* arcentur esse arbitri, jure ecclesiastico « prohibentur ab *arbitri* munere *valide* gerendo laici in causis ecclesiasticis, excommunicati et infames post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ; religiosi vero munus arbitri ne suscipiant sine venia Superioris » (can. 1931).

TITULUS XIX.

DE JUDICIO CRIMINALI.

Ratio ordinis. Judicium criminale utpote objecto et fine diversum ab aliis judiciis, peculiaribus processualibus normis regitur. Codex post canonem praeliminarem de objecto judicii criminalis (can. 1922), breviter [1] agit, 1° de duplici modo quo actio criminalis introducitur ; nempe a) de accusatione et denunciatione (can. 1934-1938), b) de inquisitione (can. 1939-1946) ; 2° de correptione delinquentis, quae non est judicium, sed adhibetur loco criminalis judicii postquam tamen hoc fuerit inceptum [2] (can. 1947-1953) ; 3° de quibusdam normis pro introductione, instructione et conclusione processus (can. 1954-1959).

INTRODUCTIO.

1620. — I. **Notio judicii criminalis.** Judicium criminale est controversiae in re criminali, seu circa delictum et ejus auctorem et relativam poenam infligendam aut declarandam vel exsequendam, de quibus Ecclesia jus habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio [3]. Si in judicio agatur de crimine in ordine ad

1. Cf. PRUEMMER, *o. c.*, p. 586.
2. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 735.
3. Cf. *ibid.*, n. 736 ; WERNZ, *o. c.*, t. V, lib. II, p. 20 ss.

poenam infligendam aut declarandam, vocatur *actio criminalis,* si agatur de crimine in ordine ad poenam exsequendam, vocatur *actio poenalis.*

1621. — II. **Finis judicii criminalis** a) *intrinsecus* est delictum declarare et poenam infligere aut eamdem declarare vel exsequi ; b) *extrinsecus* vero est restitutio laesi ordinis publici et emendatio rei [1].

1622. — III. **Objectum judicii criminalis.**

1° « Delicta quae cadunt sub criminali judicio sunt delicta *publica* » (can. 1933, § 1).

a) « Nomine *delicti,* jure ecclesiastico, intelligitur externa et moraliter imputabilis legis [2] violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata » (can. 2195, § 1).

b) « Delictum est *publicum,* si jam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, 1°) [3] ; cui delicto publico opponitur delictum *occultum,* sive occultum *materialiter,* si lateat delictum ipsum, sive occultum *formaliter,* si ejusdem lateat imputabilitas.

Dum olim sufficiebat in ordine ad judicium criminale instituendum ut delictum in foro externo probari possit, nunc vero requiritur publicitas stricte dicta, unde si delictum de facto non est divulgatum, nec, etiam si cognitum sit paucis, datur facile periculum proximae divulgationis, delictum illud non potest esse objectum judicii.

2° Excipiuntur ita ut non cadant sub judicio criminali, certa delicta etiam publica clericorum, nempe : non servata residentia, concubinatus, negligentia parochorum in obeundis officiis paroecialibus, quaedam delicta quae formam judiciariam fugiunt et ideo ex informata conscientia puniri debent (can. 1933, § 2). Haec delicta merito excipiuntur quia, attenta indole delinquentium et natura delictorum, de quibus in can. 2168-2194 agitur, servatis servandis, melius providetur et emendationi eorum et bono publico per sanctiones poenales in his canonibus indicatas quam per judicia [4].

3° « In delictis mixti fori [5] Ordinarii regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit » (can. 1933, § 3). Certum est Ecclesiam in crimina

---

1. Cf. postea quae dicentur de fine poenarum ad can. 2214 et 2215, n. 1706. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 737. Ita distinguitur judicium *emendatorium* a judicio *vindicativo,* prout praecipue intenditur emendatio rei aut delicti punitio seu reparatio scandali.
2. Aut praecepti (can. 2195, § 2).
3. Cf. WERNZ, *o. c.,* t. VI, p. 21. Cf. tamen *Il monitore ecclesiastico,* 1924, 4 ser., t. VI, p. 276 ss.
4. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 753.
5. Cf. can. 2198 ; 1553, § 2.

illa quae utriusque societatis ordinem publicum perturbent poenas judicio instituto infligere posse [1] ; at ne judicia et poenae multiplicentur, et quia in laicum procedens caret plerumque Ecclesia in exercitio suae potestatis coactivae efficaci sanctione, ideo Ecclesia de hisce delictis a laicis commissis sibi reservat tantum judicium in foro interno, proceduram autem in foro externo ordinarie permittit judici civili, dummodo is, in reum animadvertens sufficienter bono societatis ecclesiasticae consulat. Secus dicendum est, propter principium immunitatis ecclesiasticae et propter necessitatem sufficienter consulendi bono publico ecclesiastico, si reus esset clericus vel religiosus, salvis tamen contrariis legibus concordato statutis [2].

4° Quamvis Superior potestate jurisdictionali pollens [3] ad poenas vel infligendas vel declarandas regulariter debeat uti judicio [4], tamen, ad judicia quantum fieri potest vitanda, legislator ei permittit aliquas poenas extra judicium infligere sc. « Poenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra judicium » (can. 1933, § 4).

a) *Poenitentia et remedia poenalia* [5] sunt poenae leviores, medicinales, praeservativae quae natura sua tendunt ad ordinis perturbationes praecavendas et ad praevenienda judicia.

b) *Suspensio, excommunicatio et interdictum* extra judicium ferri possunt si comminatae fuerint per modum praecepti *particularis,* i. e. scripto, vel coram duobus testibus [6].

1623. — IV. **Praecipuae procedurae criminalis formae in ecclesia adhibitae** [7].

1° Ipse Christus docuit fideles qua ratione contra fratres delinquentes per *correctionem fraternam* et per *denuntiationem penes Ecclesiam* etiam judicialiter procederent.

2° Ecclesia a primis saeculis proceduram juris romani *accusationis privatae,* qua nempe onus ab accusatore suscipiebatur delicti in judicio probandi, adoptavit, at non absque modificationibus. Semper enim retinuit *denuntiationem,* quae locum dabat non judicio sed inquisitioni extrajudi-

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* t. V, p. II, p. 44 s.
2. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 753 de quaestione num religiosus a duobus Praelatis puniri possit.
3. Si agit ut legislator aut ad instar legislatoris potest poenas extra judicium infligere, quoties nempe easdem in lege aut praecepto fert ipso facto incurrendas.
4. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 755 ; ejusd. auct., *De ratione corrigendi et puniendi sive in judicio sive extra, jure Codicis J. C.,* ap. *Jus Pontificium,* 1923, t. III, p. 34 ss., 204 ss.
5. Cf. can. 2306 ss., eorumque interpretationem.
6. Cf. can. 2225 ; vide NOVAL, *o. c.,* n. 754. Idem auctor, n. 757 ss. optime tractat quaestionem : quinam superior, quibus poenis aut aliis coercitivis mediis, quando, contra quos et quomodo uti potest extra judicium.
7. Cf. WERNZ, *o. c.,* t. V, pars I, p. 52 ss. ; NOVAL, *o. c.,* n. 745 ss.

ciali, qua prospiceretur utrum crimen denuntiatum hujusmodi esset quod examini et disceptationi judiciali submitteretur vel secus.

3° In jure Decretalium procedurae judiciales a Gratiano commemoratae pariter sunt retentae ; at per Innocentium III factum est, ut *procedura inquisitionis* qua ipsi Praesules ex officio ad detegenda crimina procederent, antiquioribus formis procedendi, non tanquam absolute nova, sed magis ordinata et ordinaria, adderetur. Innocentius III huc adlaboravit ad inquisitionem ex officio conciliandam cum accusatione, statuendo inquisitioni esse locum, quum denuntiante fama vel deferente clamore, quasi accusatore praeeunte, judex ad implendum suum officium adduceretur. Procedura inquisitionis magis ac magis invaluit ita ut facta sit ordinarius procedendi modus in causis criminalibus.

4° Ut distinctio realis fieret inter accusatorem et judicem, Ecclesia, morem imitata plurium nationum, sensim sine sensu a saeculo decimo tertio introduxit officium *promotoris fiscalis,* qui sese habuit ad instar accusatoris in jure antiquo. Praxis illa, prius pluribus legibus particularibus sancita, tandem evecta est aequivalenter saltem ad *legem generalem* per instructionem S. C. Episc. et Reg., 11 jun. 1880[1]. Notandum tamen est Ecclesiam, eo quod instituerit promotorem fiscalem, non expulisse methodum *accusationis privatae.*

5° Tandem praedicta instructio conservans methodos procedendi per viam inquisitionis et accusationis tum privatae tum publicae, introduxit novam proceduram, nempe *mixtam* ex inquisitione et accusatione, successive in eodem processu peragendis.

1624. — V. **Mutationes a codice introductae** optime a Noval[2] hoc modo exponuntur :

1° Cum a) processus pure inquisitivus jamdiu de facto exoleverit extra tribunal S. Officii ; et b) processus accusationis privatae necnon denuntiationis judicialis, saltem jure consuetudinario exosi devenerint ; et c) in legibus super processu accusationis publico plura essent vere antiquata ; et d) processus mixtus non satis perspectus esset, legislator priorem processum, seu *inquisitivum,* silentio suo implicite quidem sed vere (can. 6) revocavit ; alterum, sive *accusatorium privatum* stricte talem sive denuntiatorium, expresse suppressit can. 1934 ; tertium seu *accusatorium publicum,* illustravit et perpolivit ; quartum denique, id est *mixtum* accurate digessit, clare significando quaenam acta respondeant inquisitioni seu periodo inquisitivae, quaenam vero accusationi vel periodo accusatoriae.

2° Alia mutatio valde notabilis est obligatio Ordinariis imposita substituendi judicio criminali *correctionem judicialem,* quoties reus confiteatur certa delicta (can. 1947 ss.) ; quocirca judicia fierent minus frequentia.

3° Igitur jure codicis duplex habetur processus judicialis criminalis : unus *accusatorius publicus,* alter *mixtus ex inquisitione et accusatione publicis,* i. e., publica auctoritate et successive peragendis et mutuo inter se ordinandis. Processus *accusatorius* adhibetur tantum in quolibet ex his

---

1. *ASS.*, t. XIII, p. 324. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 1209. Cf. bibliographiam *ibid.*
2. *O. c.*, n. 749.

duobus casibus : a) si agatur de delicto notorio aut omnino certo[1] ; b) si agatur de comperiendo aut declarando delicto in quo non est locus correptioni[2]. In ceteris casibus adhibetur processus *mixtus :* i. e., judicium instauratur praevia inquisitione et subsequente accusatione.

CAPUT I.

DE ACCUSATORIA ACTIONE ET DENUNTIATIONE.

1625. — I. **Accusatio** seu actio criminalis seu jus persequendi in judicio crimen in ordine ad poenam infligendam aut declarandam aut exsequendam *uni promotori fiscali,* ceteris omnibus exclusis, reservatur (can. 1934).

Ita prorsus excluditur accusatio *privata,* quae etiam *popularis* dicebatur eo quod cuilibet fideli fas erat prosequendi in judicio crimen puniendum. Ita nunc unico promotori fiscali competit *jus* et *officium* utendi hac actione accusatoria, ad tamen normam juris, signanter libellum accusatorium judici exhibere non potest nisi sibi constet de seria probabilitate patrati delicti, ex actis inquisitionis, si processus sit inquisitivus, ex rumore, indiciis, denuntiationibus privatis, etc.

1626. — II. **Denuntiatio.** 1° *Notio.* Denuntiatio in genere est manifestatio criminis Superiori facta.

2° *Dividitur* a) in *evangelicam* seu caritativam quae fit, non ut reus publice puniatur, sed ut perducatur ad poenitentiam et correptus resipiscat[3] et b) in *judicialem,* de qua hic agitur, et quae fit Superiori qua judici, ut delictum actione publica reparetur.

Finis immediatus denuntiantis potest esse « ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum[4], vel etiam studio justitiae ad alicujus scandali vel mali reparationem » (can. 1935, § 1).

3° *Quis jus habet aut obligationem denuntiandi ?*

a) *Quilibet* fidelium semper potest crimen alterius denuntiare studio boni proprii vel boni publici (can. 1935, § 1).

b) « Imo *obligatio* denuntiationis urget quotiescumque ad id quis adigitur a) sive *lege*[5] vel b) *peculiari praecepto,* utputa si Ordinarius, Visitator[6] vel Superior localis jubeat reum delicti sibi denuntiari ; c) sive ex ipsa *naturali lege* ob fidei vel religionis periculum vel aliud

1. Argumentum ex can. 1939.
2. Argumentum ex can. 1947.
3. Cf. *Matth.,* XVIII, 15-17.
4. Tunc vocatur querela. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 763 s. Casus est diffamationis aut furti.
5. Cf. can. 1397 ; 2336, § 2 ; 904 et 2368, § 2.
6. Cf. can. 513.

imminens publicum malum, dummodo haec denuntiatio fieri possit sine nimio, pro rei gravitate, proprio incommodo [1] (can. 1935, § 2). Notandum est ipsum denuntiantem qui convincitur falsum crimen scienter et mala fide alteri impegisse, tanquam calumniatorem haberi et poenas incurrere calumniatorum aut diffamantium [2].

4° *Cui et qua forma facienda est denuntiatio ?*

a) « Denuntiatio scriptis a denuntiante subsignatis vel oretenus fieri debet *loci Ordinario*, vel cancellario Curiae vel vicariis foraneis vel parochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda » (can. 1936).

Denuntiatio judicialis etiam fieri potest promotori fiscali, uti merito conjicitur ex can. 1937. Jussa a Visitatore aut a Superiore religioso exempto, ipsis generatim facienda est [3].

b) « Qui delictum denuntiat debet *promotori justitiae* adjumenta suppeditare ad ejusdem delicti probationem » (can. 1937).

4° *De denuntiatione quoad actionem injuriarum aut diffamationis.*

a) « In causa injuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur, requiritur praevia denuntiatio aut querela *partis laesae* » (can. 1938, § 1), nam injuriatus semper injuriam remittere potest ; nisi delictum aliunde bono publico noceret, quare,

b) « Sed si agatur de injuria aut diffamatione gravi, clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto, illata, aut quam clericus aut religiosus alii intulerit, actio criminalis etiam institui potest ex officio » (*ibid.*, § 2).

CAPUT II.

DE INQUISITIONE.

1627. — I. Notio et divisio.

1° Inquisitio est criminis vel criminosi per judicem legitime facta indagatio.

2° Triplex datur inquisitio *generalissima, generalis* et *specialis*. *Generalissima* est qua praelatus vel judex, ex solo officio, nulla certa persona vel crimine expresso, investigat an in suo territorio crimina committantur aut facinorosi homines existant. *Generalis* est illa quae instituitur circa aliquod determinatum crimen, nulla expressa persona, aut circa aliquam determinatam personam, nullo expresso crimine. *Specialis* est quae instituitur contra determinatam personam et circa aliquod determinatum crimen, ad

1. De hac obligatione morali, cf. theologos.
2. Cf. can. 2355.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 262.

effectum illud judicialiter prosequendi [1]. Haec ratione finis est vel *extrajudicialis,* vel *judicialis ;* extrajudicialis quae praemittenda est remediis poenalibus [2] ; judicialis quae praecedit judicium criminale quando adhibetur procedura mixta, videlicet quando delictum non est notorium vel omnino certum [3].

In hoc capite agitur tantum de inquisitione *speciali judiciali.*

1628. — II. Quandonam et quem in finem facienda est inquisitio ?

1° « Si delictum nec notorium sit nec omnino certum [4] sed innotuerit sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta, sive alia quavis ratione, antequam quis citetur ad respondendum de delicto, inquisitio specialis est praemittenda ut constet an et quo fundamento innitatur imputatio » (can. 1939, § 1) [5].

2° « Huic regulae locus est sive agatur de irroganda poena vindicativa vel censura, sive de ferenda sententia declaratoria poenae vel censurae in quam quis inciderit » (*ibid.,* § 2) [6].

1629. — III. De auctore inquisitionis.

1° « Haec inquisitio, quamvis ab ipso *loci Ordinario* peragi possit, ex generali tamen regula committenda est *alicui ex judicibus synodalibus,* nisi eidem Ordinario ex peculiari ratione alii committenda videatur » (can. 1940).

2° « Inquisitor delegetur non ad universitatem causarum, sed toties quoties et ad unam causam » (can. 1941, § 1).

3° « Inquisitor tenetur iisdem obligationibus quibus judices ordinarii, ac praesertim praestare debet jusjurandum de secreto servando [7] deque officio fideliter implendo et abstinere ab accipiendis muneribus ad normam can. 1621-1624 » (*ibid.,* § 2).

4° « Inquisitor nequit [8] in eadem causa judicem agere » (*ibid.,* 3).

1630. — IV. De processu inquisitivo.

1° « Prudenti *Ordinarii* [9] judicio committitur statuere quandonam ea, quae praesto sunt argumenta [10], sufficiant ad inquisitionem instituendam » (can. 1942, § 1).

« Nihili faciendae sunt denuntiationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, vel anonymae iis adjunctis iisque aliis

---

1. Cf. conc. Amer. Latin., art. 968 ss.
2. Cf. can. 2306 ss.
3. Cf. NOVAL, *o. c.,* 771.
4. Quo casu, nulla praemissa inquisitione judiciali, Ordinarius ope promotoris fiscalis crimen statim prosequi potest. Cf. supra n. 1624.
5. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 772.
6. Quomodo procedendum sit si censura irrogetur vel declaretur per modum praecepti, dicetur infra ad can. 2225.
7. Ut cautum sit famae inquisiti.
8. Verisimilius auditur *prohibitio* non *inhabilitas.* Concordat jus anterius Instruct. cit., a. 1880, art. 12. Hoc sensu, NOVAL, *o. c.,* n. 774 ; in contrarium sensum VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 264.
9. Etiam Vicarii Generalis, non vero Officialis, cf. NOVAL, *o. c.,* n. 775.
10. Quae verisimilitudinem pariant patrati delicti a tali reo. Cf. Instructio a. 1880, art. 11.

elementis carentes, quae accusationem forte probabilem reddant » (*ibid.*, § 2).

2° « Inquisitio *secreta* semper esse debet et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cujusque nomen in discrimen vocetur » (can. 1943).

3° Eo consilio ut veritas detegatur et cognitio tum criminis, tum reitatis aut innocentiae accusati exsurgat, inquisitoris jus et officium est colligendi omnia indicia et probationes, maxime arcessendi et examinandi testes pro et contra, sub juramento veritatis dicendae et secreti servandi. In quorum examine servet inquisitor, quantum fieri potest et natura inquisitionis patitur, regulas statutas in can. 1770-1781 [1].

4° Inquisitor debet adhibere *actuarium*. « Antequam inquisitionem claudat, potest *promotoris justitiae* consilium exquirere, quoties in aliquam difficultatem inciderit, et cum eo acta communicare » (can. 1945). Promotoris enim justitiae est tutelam justitiae non solum contra inquisitum sed et pro ipso suscipere [2].

5° Expleta inquisitione, inquisitor, addito suffragio suo de veritate criminis et imputabilitate personae cui tribuitur, omnia referat ad Ordinarium (can. 1946, § 1).

6° « Ordinarius vel de ejus speciali mandato officialis suo decreto jubeat ut : a) si appareat denuntiationem *solido fundamento esse destitutam,* id declaretur in actis et acta ipsa in secreto Curiae archivo reponantur ; b) si *indicia* criminis habeantur, sed nondum sufficientia ad accusatoriam actionem instituendam, acta in eodem archivo serventur et invigiletur interim moribus imputati, qui pro prudenti Ordinarii judicio erit opportune super re audiendus, et, si casus ferat, monendus ad normam can. 2307 ; c) Si denique *certa* vel saltem *probabilia* et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sint, *citetur* reus ad comparendum et procedatur ad ulteriora ad normam canonum qui sequuntur » (can. 1946, § 2). Nempe Ordinarius duplici ad restaurandum ordinem publicum, pro rerum adjunctis, procedere potest via, vel correptione delinquentis vel processu criminali. Pro fine enim suo et indole sua, Ecclesia vindictae publicae praefert remedia misericordiae, quibus animae magis curantur quam puniuntur [3].

Notandum est *citationem* faciendam esse ab *Ordinario* in processu accusatorio, non ab officiali, nisi de ejus speciali mandato, reumque debere exinde *comparere* coram eodem *Ordinario,* nisi in decreto caveatur expresse ut compareat coram officiali, et ab illo interrogari [4].

---

1. Cf. supra n. 1582. Vide NOVAL, *o. c.*, n. 777 s.
2. Cf. art. a. 12 instr. a. 1880. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 779.
3. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 266.
4. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 782.

CAPUT III.

DE CORREPTIONE DELINQUENTIS.

1631. — I. **Notio.** Correptio *judicialis praecipue medicinalis* est exprobratio delicti cum opportunis suasionibus et exhortationibus reo confesso et poenitenti facta ab Ordinario ad modum actus judicialis et ejusdem rei plerumque castigatio per remedia salutaria mitiora ad laesionem ordinis et scandalum reparanda, cum comminatione poenae gravioris si promissionem emendationis non servaverit [1].

Dicitur 1° correptio *judicialis*. Fit enim loco judicii, immediate ante aut etiam inter ipsum judicium, ob delicta quae sunt objectum judicii, et ad modum actus judicialis, nempe coram notario actuario. Inde differt a correptione *extrajudiciali* etiam publica, de qua in can. 2306 ss. quae est remedium praeventivum judicii et alio modo fit.

2° *Praecipue medicinalis ;* nempe tendit praecipue ad emendationem delinquentis, secundario ad vindictam ordinis laesi. Differt a correptione *stricte poenali* quae fit a judice pro tribunali sedente et ad augendam poenam sententia judiciali inflictam vel medicinalem vel vindicativam [2].

3° Ab *Ordinario*. Quo nomine non intelligitur *Vicarius Generalis* qui speciali mandato instrui debet ad judicialiter corripiendum [3] ; nec etiam *officialis* qui nunquam venit nomine Ordinarii [4].

1632. — II. **Usus correptionis judicialis.**

1° Peracta inquisitione aut facta accusatione, « si reus interrogatus delictum confiteatur, Ordinarius, loco criminalis judicii, utatur correptione judiciali si eidem locus sit. » (can. 1947) [5].

2° « Correptio judicialis locum habere nequit : a) in delictis quae poenam secumferunt excommunicationis *specialissimo* vel *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatae, aut privationis beneficii, infamiae, depositionis vel degradationis [6] ; b) quando agitur de ferenda sententia declaratoria poenae vindicativae vel censurae in quam quis inciderit [7] ; c) quando Ordinarius existimet eam non sufficere reparationi scandali et restitutioni justitiae » (can. 1948).

3° « Correptioni locus esse potest *semel et iterum*, non autem *tertio*

---

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 784.
2. Cf. can. 2309, § 3 et 4.
3. Cf. can. 2220, § 2 et 2309, § 4.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 267.
5. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 785.
6. In his casibus non sufficienter per correptionem justitiae laesae caveretur.
7. Tunc poenae jam sunt incursae et urget judicium declaratorium delicti commissi necne.

contra eumdem reum. Quare si post alteram correptionem *idem* delictum commiserit, criminale judicium instrui aut inceptum continuari debet ad normam can. 1954 sqq. » (can. 1949).

4° « Correptio adhiberi etiam potest, cum interposita fuit *querela* damni ex delicto. Quo in casu Ordinarius potest de bono et aequo, partibus consentientibus, videre et dirimere *quaestionem de damno*. Sed si censuerit quaestionem de damno difficulter de bono et aequo posse definiri, licet ipsi, remissa ordini judiciario solutione hujus quaestionis, per correptionem consulere reparationi scandali et emendationi delinquentis » (can. 1951).

1633. — III. **De tempore quo potest correptio adhiberi.**

« Potest correptio ab Ordinario adhiberi non solum antequam gradus fiat ad formale judicium [1], sed etiam eo incepto ante conclusionem in causa ; at tunc quidem judicium suspenditur, nisi tamen prosequendum idcirco sit quia correptio in irritum cesserit » (can. 1950).

1634. — IV. **Objectum correptionis.**

Correptio judicialis, seu exprobratio delicti facta ab Ordinario ad modum judicii seu coram notario, praeter monita aut praecepta salutaria de vitandis iis quae habeant speciem mali, de abstinendis a certis actibus ex quibus scandalum oriatur, de fugienda proxima occasione delictum committendi, debet *plerumque* conjuncta habere *quaedam opportuna remedia,* ut propriorum dictorum retractationem vel veniam publice petendam, aut *poenitentiarum vel piorum operum praescriptionem,* ex eis nempe, quae recensentur in can. 2313. Quae salutaria remedia, poenitentiae, pia opera hujusmodi sint quae valent ad publicam reparationem laesae justitiae aut scandali ; mitiora tamen et leviora esse debent iis quae in criminali judicio per sententiam condemnatoriam infligi possent et deberent (can. 1952).

1635. — V. « **Correptio censetur inutiliter adhibita,** si reus remedia, poenitentias et pia opera sibi praescripta non acceptet aut acceptata non exsequatur » (can. 1953), aut quantumvis ea acceptaverit et exsecutus fuerit, post alteram correptionem idem delictum commiserit [2].

CAPUT IV.

DE INSTRUCTIONE PROCESSUS CRIMINALIS ET DE REI CONSTITUTIONE.

Connexio materiae. Postquam praeparatio processus criminalis per *accusationem* aut per *inquisitionem specialem* capite I et II explicata fuit,

1. Judicium formaliter incipit per litis contestationem, cf. NOVAL, *o. c.*, n. 788.
2. Can. 1949, § 2.

et proposita ratio ejusdem vitandi per *correptionem judicialem,* cap. sequenti, restat, si haec locum habere non possit aut inutiliter adhibita fuerit, ut praescribantur normae pro *ordinatione formalis judicii* introducendi, disceptandi et definiendi. At legislator hoc capite IV loquitur tantum 1° de modo quo processus introducatur (can. 1954, 1955) ; 2° de nonnullis cautelis adhibendis erga eum qui processui subjicitur (can. 1955-1958). « In reliquis servantur regulae in Sectione Prima hujus Libri traditae et in inflictione poenarum sanctiones in Libro Quinto statutae » (can. 1959) [1].

1636. — I. De instauratione et introductione judicii formalis.

1° « Si correptio judicialis vel insufficiens sit ad reparationem scandali et restitutionem justitiae vel adhiberi nequeat quia reus delictum denegat, vel inutiliter adhibita fuerit, Episcopus, aut officialis, de ejus speciali mandato, praecipiat ut acta inquisitionis tradantur promotori justitiae » (can. 1954).

In processu autem accusatorio, in casu criminis notorii aut ex inquisitione omnino certi, restituenda erunt promotori documenta et quaecumque ille obtulerit Ordinario una cum denuntiatione seu libello accusatorio [2].

2° In processu mixto [3] « promotor statim conficiat *accusationis libellum* [4] eumque exhibeat judici secundum normas in Sectione Prima statutas [5] » (can. 1955).

3° Postea procedatur ad *rei constitutionem,* i. e., ad formalem ejus citationem et examen juxta libellum accusationis.

4° Sequitur *litis contestatio* quae habetur eo quod reus singulis capitulis accusationis sua asserta, sive de facto delicti sive de ejus imputabilitate, opponit [6].

1637. — II. De quibusdam praeviis prohibitionibus.

1° « In delictis gravioribus [7], si *Ordinarius* censeat cum fidelium offensione imputatum ministrare sacris aut officio aliquo spirituali ecclesiastico vel pio fungi aut ad sacram Synaxim publice accedere, potest, *audito promotore justitiae,* eum a sacro ministerio, ab illorum officiorum exercitio, vel etiam a *publica* sacrae Synaxis participatione prohibere ad normam can. 2222, § 2 [8] » (can. 1956).

2° « Pariter si *judex* censeat accusatum posse testibus timorem incutere aut eos subornare, aut alio modo justitiae cursum impedire, potest, audito promotore justitiae, decreto suo mandare, ut ille ad tempus deserat oppidum vel paroeciam quandam, vel etiam ut secedat in praefinitum locum ibique sub peculiari vigilantia maneat » (can. 1957).

---

1. Cf. ulteriora apud NOVAL, *o. c.*, n. 795 ss., qui n. 808 ss. proponit conspectum generalem totius processus criminalis mixti et accusatorii.
2. NOVAL, *o. c.*, n. 795.
3. Quoad processum accusatorium, cf. NOVAL, *o. c.*, n. 800.
4. De modo libellum conficiendi, cf. *ibid.*
5. Can. 1706-1711.
6. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 273 ; NOVAL, *o. c.*, n. 802. Cf. art. 26 Instruct. a. 1880. Citatio et litis contestatio sunt sollemnitates essentiales processus criminalis.
7. Cf. can. 2218 ; NOVAL, *o. c.*, n. 802.
8. Juxta quem hujusmodi prohibitio non habet rationem poenae.

3° « Decreta de quibus in can. 1956, 1957 ferri nequeunt, nisi reo citato et comparente vel contumace, sive post primam ejus auditionem seu constitutum, sive postea in decursu processus ; et contra eadem non datur juris remedium » (can. 1958). Omne juris remedium excluditur, cum hujusmodi remedia rationem poenae non habeant.

TITULUS XX.

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

Remissive ad tractatum de Matrimonio. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 831-876 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 276 ss.; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1172 ss. ; CAPPELLO, *Tractatus de sacramentis.* Vol. III. *De Matrimonio,* n. 866 ss., Augustae Taurinorum, 1923; WERNZ-VIDAL, *Jus canonicum.* T. V. *Jus matrimoniale,* n. 682 ss., Romae 1925 ; DE SMET, *Tractatus theologico-canonicus de Sponsalibus et Matrimonio,* ed. 4, n. 702 ss., Brugis, 1927.

TITULUS XXI.

DE CAUSIS CONTRA SACRAM ORDINATIONEM.

1638. — Ordo dicendi. In causis contra sacram ordinationem vel impugnantur *obligationes* ex sacra ordinatione contractae, vel impugnatur ipsa sacrae ordinationis *validitas.* Pro utroque genere causarum traduntur in tit. XXI quaedam normae speciales quae respiciunt 1° competentiam superioris (can. 1993) ; 2° legitimum actorem (can. 1994) ; 3° modum procedendi (can. 1995-1998).

1639. — I. De competente Superiore.

In causis quibus impugnantur a) *obligationes* ex sacra ordinatione contractae, quia haec suscepta fuit ante usum rationis aut absque libero consensu [1], vel b) ipsa sacrae ordinationis *validitas* eo quod defuerint in conferente voluntas aut potestas ordinis vel in ordinato capacitas vel consensus, libellus mitti debet ad *S. Congregationem de disciplina Sacramentorum,* vel c) si ordinatio impugnetur *ob defectum substantialem sacri ritus* respicientem materiam aut formam ordinis qui confertur, libellus mittendus est ad *S. Congregationem S. Officii* (can. 1993, § 1).

2° Sacra Congregatio respective competens tunc primum definit utrum causa *judiciario ordine* an *disciplinae tramite* sit pertractanda. a) Si primum S. Congregatio causam remittit ad *tribunal dioecesis* quae vel incardinatione vel domicilio cum juramento perpetui servitii

1. Cf. *Il monit. ecclesiastico,* 1927, t. XXXVIII, p. 50 ss.

dioecesani *propria* fuit tempore ordinationis, vel, si sacra ordinatio impugnetur ob defectum substantialem *sacri ritus, ad tribunal dioecesis* in qua ordinatio peracta fuit ; pro gradibus appellationis nil speciale statuitur et ideo standum est praescripto can. 1594-1601 (can. 1993, § 1 et § 2) ; b) si alterum, seu si S. Congregatio definiverit causam disciplinae tramite esse pertractandam, ipsamet S. Congregatio quaestionem dirimit, praevio processu informativo peracto a tribunali [1] curiae dioecesanae competentis juxta normas sub a) indicatas (ibid., § 3) [2].

1640. — II. **De legitimo actore.**

1° « *Validitatem* sacrae ordinationis accusare valet *clericus* peraeque ac Ordinarius cui clericus subsit [3] vel in cujus dioecesi ordinatus sit » (can. 1994, § 1).

2° « Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione *obligationes ordini adnexas* non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere » (*ibid.*, § 2). Attamen ex can. 1997, instituta actione clericus est ad cautelam ab Ordinario prohibendus ab exercitio ordinum, ad removendum scandalum quod paterentur fideles videndo ordinem exerceri ab eo qui mox ut laicus apparebit [4].

1641. — III. **Procedura servanda.**

1° « Ea omnia quae tum in Sectione Prima hujus Partis, tum in peculiari titulo de processu in causis matrimonialibus sunt dicta, servari etiam debent, congrua congruis referendo, in causis contra sacram ordinationem » (can. 1995).

In specie sequentia sunt servanda :

a) Judex conari debet ut pars convalidationem ordinationis quae est invalide contracta, quando id ab ipsa pendet, procurare, ad normam can. 1965.

b) Tribunal tribus judicibus collegialiter procedentibus constabit ; ex parallelismo cum can. 1966 unicus sit inquisitor in processu informativo, de quo in can. 1993, § 3 [5].

c) Defensor vinculi semper citari debet.

d) Defensor vinculi iisdem gaudet *juribus*, iisdemque tenetur *officiis* quibus defensor vinculi matrimonialis (can. 1996).

Nempe α) ipsius *officium* est examini partis, testium et peritorum adesse; exhibere judici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a judice aperienda et parti aut testibus proponenda ; novas interrogationes ab examine emergentes judici suggerere ; β) articulos a parte propositos perpendere, eisque quatenus opus sit, contradicere ; documenta a parte exhibita recognoscere ; γ) animadversiones contra ordinationis nullitatem

1. Cf. NOVAL, *o. c.*, n. 880.
2. Quoad ordinationem religiosorum cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 299.
3. Cf. n. 1629. Cf. VIDAL, *o. c.*, n. 881.
4. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 300.
5. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1192.

ac probationes pro validitate scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad ordinationem tuendam utilia censuerit (can. 1968).

Defensori vinculi *jus* est α) semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere ; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti judicis arbitrio prorogandos ; β) de omnibus probationibus et allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit ; γ) petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subjiciantur, processu etiam absoluto vel publicato novasque animadversiones edere ; δ) exigere ut alia acta, quae ipse suggererit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissensiat (can. 1969).

e) *Testes* in causis suorum propinquorum non excluduntur[1].

f) Quoad designationem *peritorum,* si opus sint, requiritur et sufficit votum defensoris vinculi, etiam sine consensu partis, juxta can. 1793, § 2, sed, ad normas can. 1978, ne admittantur qui clericum privatim inspexerint[2].

2° « Ut clericus liber sit ab obligationibus quae a vinculo ordinationis manant, requiruntur duae sententiae conformes » (can. 1998, § 1).

3° « Quod ad appellationem attinet, in his causis serventur praescripta can. 1986-1989 de causis matrimonialibus » (*ibid.,* § 2), nempe :

a) Defensor vinculi a prima sententia contra validitatem *tenetur* appellare.

b) Decreta ordinationis nullitate, Ordinarius loci curare debet ut de ea mentio fiat in baptismorum regestis.

c) Sententiae in causis sacrae ordinationis nunquam transeunt in causam judicatam, ideo retractari semper poterunt, etiam post duplicem sententiam conformem at novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis[3].

---

1. Cf. can. 1757, § 3, 3°. Cf. NOVAL, *o. c.,* n. 469.
2. *Ibid.,* n. 882.
3. Cf. can. 1989, 1903.

PARS SECUNDA.

DE CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI ET CANONIZATIONIS BEATORUM.

Auctores. Cf. supra n. 1265 ; LAURI-FORNARI, *Codex pro postulatoribus causarum beatificationis et canonizationis,* Romae 1899 ; TRAMA, *Manuale theoretico-practicum pro conficiendis processibus sive ordinariis sive apostolicis in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei,* 2 ed., Romae 1904 ; BOUDINHON, *Les procès de béatification et de canonisation* (Coll. Science et religion, n. 351), Paris ; *Diction. de théologie cath.,* v° canonisation ; MAEKEN, *The canonisation of Saints,* London, 1910 ; *Codex pro postulatoribus causarum beatificationis et canonizationis,* ed. 3, Romae, 1923 ; MAES, *Heiligverklaring en mirakel* (Geloofsonderricht, 1926, n. 3-4), Brugge.

Distributio materiae. Codex post brevem introductionem de judice competente (can. 1999), de duplici via qua in causis beatificationis et canonizationis proceditur (can. 2000) et de modo generali tractandi causas martyrum (can. 2001), totam materiam in quinque titulos absolvit, nempe tit. XXII de personis quae his in processibus partem habent (can. 2003-2018) ; tit. XXIII, de probationibus in his processibus adhibendis (can. 2019-2036) ; tit. XXIV, de processu beatificationis per viam non cultus (can. 2037-2124) ; tit. XXV, de processu beatificationis per viam cultus (can. 2125-2135) ; tit. XXVI, de canonizatione beatorum (can. 2136-2141). De his breviter agemus, attendendo speciatim ad processus qui ab ipsis Ordinariis sunt instruendi, sive jure proprio, sive ex speciali delegatione.

INTRODUCTIO.

1642. — I. Judex competens.

1° *Notae historicae.* a) Primis Ecclesiae saeculis *Episcopi* facultatem habebant concedendi ut alicui cultus et honor Beatorum in suis peculiaribus dioecesibus exhiberetur ; sed a tempore Alexandri III [1] publicum cultum Servis Dei exhibendum rarissime indulserunt, et Urbanus III, const. *Coelestis Jerusalem,* 5 jul. 1634, Sedi Apostolicae reservavit potestatem beatificandi [2].

b) Quodsi initio Ecclesiae Episcopi prius martyribus deinde confessoribus honores « Sanctorum » tribuerunt vel a populo exhibitos confirmaverunt, beatificationem, non strictam canonizationem, decreverunt, cum cultum tantum in sua dioecesi permittere vel praecipere poterant [3]. Stricta

1. C. 1, X, III, 45.
2. Cf. BENED. XIV, *De Servorum Dei beatif. et Sanctor. canoniz.,* l. I, c. 10.
3. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 303.

canonizatio nunquam nisi auctoritate R. Pontificis fieri potuit. Etenim ipse solus praeest universae Ecclesiae ipseque solus potest dirimere quaestiones fidei, inter quos approbatio miraculorum ad canonizationem necessaria, referenda est[1].

2° *Jus vigens.* a) « Causae beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum *unius Sanctae Sedis* judicio reservantur » (can. 1999, § 1). « Ad normam can. 253, § 3 una *Sacrorum Rituum Congregatio*[2] in his causis competens est » (*ibid.*, § 2).

b) « *Ordinarii locorum, jure proprio,* possunt ea tantum quae in canonibus qui sequuntur eisdem expresse demandantur » (*ibid.*, § 3). Ex *delegatione R. Pontificis,* post susceptam a S. Rit. Congregatione causam, alii processus instruendi Ordinariis committuntur.

c) In istis causis nomine Ordinarii, non intelligitur *Vicarius Generalis,* nisi habuerit speciale mandatum (can. 2002).

1642. — II. **Notio.**

1° *Beatificatio* est decretum, quo permittitur[3] ut Servus Dei, in aliquo loco determinato, cultu publico honoretur[4].

2° *Canonizatio* est Sedis Apostolicae de sanctitate et gloria alicujus *definitivum* judicium, quo decernitur eum catalogo Sanctorum esse adscribendum, et eo titulo publice colendum ab universa Ecclesia. Discrimen inter beatificationem et canonizationem praecipue reponendum est in *definitiva* illa de sanctitate sententia, quae *praecipit* cultum publicum Sancto in universa Ecclesia exhibendum[5].

1643. — III. **Divisio et procedura in genere.** Beatificatio et canonizatio distinguuntur in *formalem* et *aequipollentem.*

1° *Formalis,* est actus, quo R. Pontifex, servatis sollemnitatibus consuetis, praefatum cultum erga Beatos aut Sanctos formaliter *permittit* aut *praecipit.* Tunc dicitur causa procedere *per viam ordinariam non cultus,* nempe « quando antequam ad discussionem super virtutibus deveniatur, probari intenditur nullum publicum cultum Servo Dei fuisse praestitum vel, si quando per abusum praestitus fuerit sublatum fuisse » (can. 2000, § 2).

---

1. Cf. supra n. 529.
2. Cf. supra n. 591 ; Motu proprio Pii X, 16 jan. 1914, ap. *AAS.*, t. VI, p. 25. — Quaenam sit *auctoritas* decretorum S. Sedis circa beatificationem et canonizationem, explicant theologi. Cf. De Brouwer, *De ecclesia,* n. 244, 442 in nota ; Wernz, *o. c.,* t. III, p. II, p. 32, nota 30 ; Bened. XIV, *o.* et *l. c.,* c. 42 ss.
3. Quandoque per exceptionem cultus Beato exhibendus praecipitur pro aliquibus personis et locis, sicut aliquando licentia Beatum colendi extenditur ad universalem Ecclesiam.
4. Cf. Wernz, *o. c.,* p. 31.
5. Cf. Bened. XIV, *o. c.,* l. I, c. 39, n. 5, coll. n. 14.

2° *Aequipollens* vero beatificatio vel canonizatio illa est, in qua rata habita fama virtutum, aut martyrii et miraculorum, necnon ratis, sive cultu centenario vel immemorabili cum scientia et tolerantia S. Sedis aut Ordinarii, sive cultus introductione, aut continuatione de licentia praecedentium Pontificum, vel ex Patrum virorumque sanctorum scriptis, vel ex communi Ecclesiae consensu, R. Pontifex, omissis consuetis sollemnitatibus, confirmat sententiam Ordinarii aut delegati, approbantem praestitum cultum, et si agatur de Beato canonizando, eum coli jubet in universa Ecclesia [1]. Tunc dicitur causa procedere *per viam extraordinariam* seu per viam *casus excepti* seu *cultus* « cum probari intenditur aliquem Dei Servum in possessione publici et ecclesiastici cultus versari » (can. 2000, § 2) [2].

Pro servis Dei qui post pontificatum Alexandri III (1159-1181) et ante tempus a Constitutione Urbani VIII praefixum (a. 1534) ex tolerantia cultum habuerunt, procedi potest per viam extraordinariam cultus. Servi Dei qui post a. 1534 coli coepti sunt vel ad honores coelitum proponuntur, formali beatificatione aut canonizatione *regulariter* indigent [3].

3° In utroque genere processuum distinguendus est : a) *processus informativus* seu *ordinarius,* qui ab Ordinario proprio jure instruitur eo fine ut S. Congregationi omnia praebeantur quibus decernere possit num causa sit admittenda necne. Si absoluto hoc processu, S. Pontifex decreverit causam a S. Congregatione admittendam esse, dicitur causa introducta.

b) *Processus apostolicus* qui ex delegatione apostolica a curiis dioecesanis instruitur, at Romae absolvitur [4].

4° « Causae martyrum sive procedant per viam ordinariam sive per extraordinariam *non sunt cumulandae,* sed unaquaeque singillatim tractanda est, nisi agatur de martyribus qui in eadem persecutione eodemque loco passi sunt » (can. 2001, § 1).

Id extendi debet ad distinctos processus ut puta de virtutibus, de miraculis, et ad discussiones quae in iis causis fieri praescribuntur inde a causae introductione usque ad finem (*ibid.*, § 2).

---

1. *Ibid.*, c. 41, n. 1.
2. In dioecesi Brugensi Beatus Carolus Bonus a. 1882, et Beatus Idesbaldus a. 1894 aequipollenter inter Beatos relati sunt.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 337.
4. Nunc temporis instruitur in Curia Brugensi processus ordinarius R. P. Caroli Schilling, ordinis S. Pauli, qui obiit Muscronii, a. 1907.

TITULUS XXII.

DE NONNULLIS PERSONIS QUAE IN HIS PROCESSIBUS PARTEM HABENT.

1644. — I. **Actor** est quivis fidelis vel legitimus Christifidelium coetus qui petit ut causa apud tribunal competens instruatur et petitione admissa, sua cura et impensa causam promovet et ad exitum perducit (can. 2003, § 1 et 2).

Loci Ordinarius potest quoque *ex officio* causam beatificationis instruere (*ibid.*, § 3).

1645. — II. **Postulator.** 1° Idem est ac *actor* qui per se causam apud tribunal competens promovet ; at cum frequentissime actor per se agere nequit, plerumque postulator est persona quae constituitur per legitimum procurationis mandatum [1] actoris, ut instet apud judices ordinarios vel Apostolicos pro constructione processus, et in Urbe apud S. Rit. Congregationem pro eorumdem processuum examine et causae expeditione (can. 2004, § 1 et 2).

2° Postulator debet esse sacerdos, in Urbe fixam habere sedem (can. 2004, § 3). Singuli sint oportet pro singulis causis ; nec aliis quam ipsis competit jus substituendi sibi per legitimum mandatum *vice-postulatores* [2] (can. 2005).

3° « Ad postulatoris officium pertinet : a) agere causam apud judices competentes ; b) necessarios sumptus facere ; sed pecunia a fidelibus ad causae expensas collecta administrari debet ad normam instructionum Sedis Apostolicae [3] ; c) nomina testium et documenta tribunali exhibere ; d) conficere et exhibere promotori fidei articulos super quibus testes in processibus debeant interrogari » (can. 2007).

Ante omnia postulator quaerat necesse est omnes notitias de tota Servi Dei de quo agitur vita, virtutibus, miraculis [4] ut probabilis videatur bonus exitus causae, ut ex iis articulos conscribat [5], i. e. quaecumque de Servo Dei cognoverit per articulos distincta et testibus proponenda, utque nomina testium inducendorum cognoscat.

1646. — III. **Judices.**

---

1. Cf. can. 2006, 2008. Inveniuntur formulae in opere citato *Codex pro postulatoribus* : p. 4 pro postulatoribus generalibus qui ad omnes causas alicujus *Ordinis* vel Societatis religiosae deputantur ; p. 5 pro procuratoribus specialibus et pro vice-postulatoribus.
2. Ita pro conficiendis processibus extra Urbem.
3. Cf. *Codex pro postulatoribus*, p. 20.
4. *Ibid.*, p. 6.
5. *Ibid.*, p. 15 s.

1° Judices sunt in *processu ordinario,* Ordinarii locorum per se vel per delegatum suum. In *processu apostolico,* S. Congregatio decernit quinam ad munus judicis delegentur et quinam subdelegari possint.

In processibus ordinariis, Episcopus ipse per se *solus* judicare potest. At si judicem deputatum loco sui constituat, debet ei adjungere duos *judices adjunctos,* inter judices synodales selectos, qui collegialiter cum deputato semper agere debent.

2° Judicis est destinare dies, horas, loca ad habendas audientias, ad juramenta et examina excipienda ; interrogare testes de generalibus personae adjunctis ; procurare omni studio ut testes rite recteque testificentur tam super interrogatoriis quam super articulis ; testes ex officio vocare ; absoluto processu litteras scribere ad S. Rituum Congregationem, eam certiorem faciens de fide quae testibus sit habenda, etc. [1].

1647. — IV. **Cardinalis Relator** est unus e Patribus Cardinalibus S. Congregationi Rituum adscriptis, a Romano Pontifice designatus qui partem relatoris seu ponentis agens, ea omnia in plenaria seu ordinaria congregatione referat quae sive in favorem causae sive contra eam facere videntur (can. 2009).

1648. — V. **Promotor Fidei.** 1° Est sacerdos cujus munus est jus in processu tueri ; atque ideo in singulis processus partibus ad normam can. 1587 [2] citari debet, secus acta irrita sunt (can. 2010, § 1).

2° Fidei promotor apud S. C. Rituum dicitur *Promotor generalis fidei* cui assistit *Sub-promotor generalis fidei.* Ambo *a R. Pontifice* eliguntur (*ibid.,* § 2 ; 2011, § 1).

Promotor fidei apud Ordinariorum tribunal, si quidem agatur de processu apostolico, nominatur *a Promotore generali* et tunc nomen subpromotoris habet ; in processu informativo *ab Ordinario* nominatur ante constitutionem tribunalis [3] (can. 2011, § 2).

3° « Promotoris fidei est concinnare *interrogatoria* [4] sobria, mere historica, quae non eo spectent ut certam quandam responsionem ab interrogato eliciant, quaeque apta sint ad veritatem eruendam etiam super articulis a postulatore propositis, eaque judicibus exhibere sub secreti obligatione » (can. 2012, § 1).

« Est praeterea ejusdem promotoris instare ut *testes* ex officio citentur et opportunas promovere *exceptiones ;* sed judex potest testes, etiam

---

1. Cf. *ibid.,* p. 24 ss. — Judices omnesque qui intersunt processibus, qui ad chorum frequentandum adiguntur, tanquam choro adstantes habentur, cf. supra n. 775.
2. Supra, n. 1528.
3. Cf. can. 2043.
4. Cf. *Codex pro postulatoribus,* p. 30.

promotore fidei non instante aut renuente, ipso tamen monito, ex officio arcessere » (*ibid.*, § 2).

1649. — VI. Notarius.

1° « Processibus sive apostolicis sive ab Ordinario loci jure proprio instruendis assistere debet notarius seu actuarius [1] » (can. 2013, § 1).

2° « Religiosi fungi *valide* nequeunt munere notarii, nisi ex necessitate ; in causis autem propriae religionis semper excluduntur » (can. 2014).

3° « In processibus ab Ordinario loci instruendis extra Urbem, notarii munere fungi potest ipsemet Curiae notarius » (can. 2015).

TITULUS XXIII.

DE PROBATIONIBUS IN HIS PROCESSIBUS ADHIBENDIS.

1650. — I. De probationibus generatim.

1° « In his causis probationes debent esse *omnino plenae* [2] ; nec aliae admittantur, nisi quae *ex testibus* et *ex documentis* eruantur » (can. 2019).

2° Severior est disciplina in hac materia quam in aliis processibus, tum quoad *numerum* tum quoad *qualitatem* testium.

Ita a) Ad probandum nunquam Servo Dei cultum fuisse praestitum, *quatuor* saltem testes sunt necessarii ; b) Ad probandam famam virtutum, martyrii ac miraculorum requiruntur *decem,* quorum duo ex officio inducti ; c) Ad probandas virtutes et martyrium, requiruntur testes *de visu* et contestes seu ii, qui a testibus in testificatione fuerunt nominati, utpote de iis quae ipsi enarraverunt edocti sive de visu, sive de auditu ; d) In causis antiquis per viam non cultus procedentibus, in quibus deficiunt oculati testes vel ex auditu a videntibus, et in causis procedentibus per viam casus excepti, virtutes et martyrium probari poterunt per testes ex auditu atque ex publica fama, quae annulatam seu continuam traditionem ex auditu constituat, et per documenta coaeva vel monumenta uti authentica acceptata ; e) Miracula semper probanda sunt per testes de visu et contestes (can. 2020) ; f) Cultus immemorabilis probatur per authentica monumenta, quae sint centum annis antiquiora constitutione Urbani VIII a. 1634 promulgata vel illo saeculo durante sint edita, dummodo facta referant quae saltem centum ante annos contingerint una cum populi traditione nunquam interrupta (can. 2021) [3] ; g) Longissimi temporis cultus a Sede Apostolica permissus per documenta coaeva probatur (can. 2022).

---

1. Quoad ejus munus, cf. *Codex cit.*, p. 35 ss.
2. Cf. supra n. 1580.
3. Cf. *Codex cit.*, p. 213.

1651. — II. **De testibus.**

1° *Testes necessarii.* a) Omnes christifideles, excepto confessario [1], *tenentur,* licet non vocati, ea in Ecclesiae notitiam perferre, quae *contra* virtutem aut miracula aut martyrium Servi Dei facere ipsis videantur (can. 2023).

b) « Tanquam testes *vocandi* in primis sunt a promotore fidei, etsi a postulatore non inducti, ii omnes qui cum Servo Dei *familiaritatem* vel consuetudinem habuerunt » (can. 2024).

c) « Omnes de quibus in can. 2023, 2024, nisi jam tanquam testes se inductos sciverint, dare *litteras* debent ad proprium Ordinarium, quibus utrum consuetudinem cum Servo Dei habuerint, an aliquod factum peculiare aperiendum cognoscant et quodnam illud sit, breviter exponant. » « Illitterati rem parocho exponant, qui ad Ordinarium vel promotorem fidei eam referat » (can. 2025, § 1 et § 3) [2].

2° *Quinam ut testes admittuntur vel excluduntur.*

a) « *Admittuntur* ut testes consanguinei, affines, familiares, haeretici quoque et infideles » (can. 2027, § 1) [3].

« Ad probandam famam sanctitatis vel martyrii Servi Dei qui pertinuerit ad aliquam religionem, dimidia saltem pars testium debent esse extranei » (can. 2030).

b) *Admitti nequeunt :* α) confessarius, relate ad ea quae ex confessione vel ejus occasione noverit [4] ; β) qui ipsi causae collaborant sc. procurator, advocatus aut procurator in causa, judex (can. 2027, § 2).

3° *De modo ferendi testimonium.*

« Testes in sua testificatione propriae scientiae causam reddere debent circa ea quae asseverunt ; secus eorum testimonium nihili faciendum est » (can. 2029) [5].

Testes clarum et plenum dabunt responsum ad singula interrogatoria et ad singulos articulos, minutim narrando prouti noverunt, et ita plene ut ad responsum intelligendum, necesse non sit interrogatorium vel articulum ob oculos habere [6].

1652. — III. **De peritis.** Cum peritorum opera sit necessaria, periti sint saltem duo quorum alter alteri sit ignotus ; deputentur a tribunali Ordinarii, audito fidei promotore ; excludi debent qui in causa testis

1. Cf. can. 2027, § 2, n. 1.
2. De hujusmidi obligatione religiosorum, cf. can. 2025, § 2 ; 2026.
3. Admittuntur etiam excommunicati, cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 315. Cf. *Codex cit.*, p. 46.
4. Cf. can. 1757, § 3, n. 2.
5. Cf. *Codex cit.*, p. 47.
6. *Ibid.*, p. 49 ss.

munere functi sunt. Postulator certior ne fiat quinam periti fuerint designati. Periti seorsim singuli ad peritiam deveniant, nisi ex justa causa judex, assentiente promotore fidei, permittat ut ii simul peritiam instituant. Singuli relationem suae peritiae a se confectae scripto conficiant ; sed deinde seorsim interrogentur, etsi peritiam simul confecerint (can. 2031).

1653. — IV. **De documentis processui inserendis.**

1° *Testimonia extrajudicialia* scripto consignata non sunt documenta quae vim probativam habent, nec elogia funebria et necrologia illico post mortem Servi Dei exarata multoque minus testimonia virorum circa virtutes et opera Servi Dei non sponte, sed amicorum precibus, eo adhuc vivente, scripto tradita (can. 2033). Historiae non habent vim documentorum, nisi documentis innixae in processu exhibitis (can. 2035, § 1).

2° Documenta *integra* exhibenda sunt Tribunali, cum declaratione eorum originis et authenticitatis (can. 2032, § 1 ; 2034).

3° Ipsa documenta historica inserantur in processum, vel si quod e bibliotheca vel tabulario deduci nequeat, ejus exemplar scriptum vel photographice descriptum exhibeatur cum testificatione scripto reddita a notario tribunalis de ejus authenticitate. Si ne id quidem fieri possit, res deferatur ad Congregationem (can. 2036) [1].

TITULUS XXIV.

DE PROCESSU BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI PER VIAM NON CULTUS.

1654. — 1° **Divisio materiae.** Post canonem praeliminarem de juramentis praestandis (can. 2037), titulus dividitur in tria capita : a) de processibus a loci Ordinario jure proprio instruendis (can. 2038-2064) ; b) de causae introductione apud Sacram Congregationem (can. 2065-2086) ; c) de processibus apostolicis (can. 2087-2124).

Breviter de hac materia agemus.

2° **Juramenta praestanda.** Ut pro momento rei maxima cum securitate procedat, Ecclesia in causis beatificationis et canonizationis : a) *Personae quae in his processibus partem habent,* sc. judices, promotor fidei, notarius debent, initio uniuscujusque processus, secundum formulam a S. Congregatione praescriptam [2], jusjurandum praestare de munere fideliter adimplendo, de secreto servando usque ad processus publicationem, et de donis quibusvis non accipiendis ; b) *Ordinarius,* etsi partes judicis non agat, tenetur praestare jusjurandum de secreto servando ; c) *testes* jurare debent de secreto servando [3], de veritate dicenda antequam interrogentur, et de veritate dictorum post factam interrogationem ; periti, interpretes, revisores et scriba de munere bene adimplendo et de munere bene adimpleto, ante et post peractum officium ; cursor de officio fideliter adim-

1. Cf. formulas ap. *Codex cit.*, p. 71 s.
2. Circa omnia quae ex actis vel actibus processus cognoscuntur.
3. Cf. S. Rit. C., 26 aug. 1913, *AAS.*, t. IV, p. 436 s.

plendo ; c) Postulatores praestare debent juramentum *calumniae,* id est jurent se veritatem per totum processum dicturos nullaque fraude usuros (can. 2037).

CAPUT I.

DE PROCESSIBUS A LOCI ORDINARIO JURE PROPRIO INSTRUENDIS.

1655. — I. **Normae generales.** 1° *Objectum hujus processus.* Processus *ordinarii* triplex est objectum : a) Scripta Servi Dei perquirere ; b) processum informativum instruere super fama sanctitatis, virtutum in genere vel martyrii, causae martyrii et miraculorum ; c) processum instruere super non cultu (can. 2038, § 2). Si inde constet de puritate doctrinae in Servi Dei scriptis et de ejusdem fama sanctitatis, virtutum et miraculorum vel martyrii, patebit nullum adesse impedimentum peremptorium quominus causa apud S. Congregationem introducatur (*ibid.,* § 1).

2° *Ordinarius competens* est « Ordinarius loci in quo Servus Dei supremum diem obiit, aut miracula contigerunt » (can. 2039, § 1).

3° *Constitutio tribunalis.* « Tribunal constare debet *praeside* qui est ipsemet Ordinarius per se vel per sacerdotem ad hoc delegatum, et in hoc altero casu duobus aliis judicibus ab eodem Ordinario eligendis inter judices synodales » (can. 2040, § 1).

Adsint quoque fidei promotor et notarius ab Ordinario nominati (*ibid.,* § 2).

4° *Sessiones tribunalis* habeantur diurno, quoad fieri potest, tempore et in loco sacro [1]. Post unamquamque sessionem acta *causae* claudi et judicis signo obsignari debent, non aperienda nisi in sequenti sessione, postquam judex sigillum integrum et intactum recognoverit (can. 2041).

1658. — II. **Perquisitio scriptorum Servi Dei.**

1° « *Nomine scriptorum* veniunt non modo opera inedita Servi Dei, sed etiam quae jam typis fuerint impressa ; item conciones, epistolae, diaria, autobiographiae, quidquid denique vel ipse per se vel aliena manu exaraverit » (can. 2042).

2° Ordinarius per publicum edictum in singulis paroeciis, si fieri potest vulgandum, et si agatur de servo Dei ad religionem aliquam pertinenti, singulis ejusdem religionis domibus communicandum, scripta Servi Dei ab *omnibus* penes quos exstent ad tribunal deferri jubeat, urgendo strictam obligationem exemplaria autographa, aut saltem apographa authentica tradendi (can. 2043, 2045).

3° Haec perquisitio scriptorum facienda ad instantiam postulatoris et simul ab Ordinario ex officio facienda est ante signaturam commis-

1. Cf. *Codex cit.,* p. 25.

sionis, nisi agatur de causa alicujus Martyris ; tunc enim fieri potest etiam post signatam commissionem (can. 2048).

4° « Ordinarius statim ac expleverit perquisitionem scriptorum, ea Romam una cum *processiculo* mittat *diligentiarum,* idest cum juridica relatione diligentiarum quibus in perquirendis scriptis usus est » (can. 2061) [1].

1659. — III. **De processu informativo.**

1° Processus informativus per *Ordinarium* instruitur; inchoari debet *intra triginta annos* a morte Servi Dei [2], secus, ut ad ulteriora procedi possit, probari debet nullam in casu fraudem vel dolum aut culpabilem negligentiam adfuisse (can. 2049).

2° *Finis* hujus processus est ut probetur fama sanctitatis, miraculorum aut martyrii « *in genere,* spontanea, non arte aut diligentia humana procurata, orta ab honestis et gravibus personis, continua, in dies aucta, et vigens in praesenti apud majorem partem populi » (can. 2050, § 2).

Fama sanctitatis, de qua agitur « nihil aliud est quam existimatio, seu communis opinio de puritate et integritate vitae, et de virtutibus non utcumque, sed per continuatos actus, data occasione, exercitos supra communem operandi modum aliorum proborum virorum, necnon de miraculis eorum sc. Servorum Dei intercessione a Deo patratis ; ita ut concepta in uno vel pluribus locis erga eos devotione, a plerisque in suis necessitatibus invocentur, et plurium graviorum virorum judicio digni existimentur ut per Sedem Apostolicam referantur in album Sanctorum vel Beatorum » [3].

Etsi sufficiat ad causam introducendam ut constet de hac fama in genere, tamen curandum est postulatoribus et judicibus, processus apostolici securius et plenius instituendi causa, ut in *specie* probentur virtutes utque de miraculis *in specie* accipiantur probationes [4] ; ad quod attendendum est in redigendis articulis et interrogatoriis.

3° *Absolvitur* processus cum promotori fidei constiterit omnes fuisse examinatos quos opportebat (can. 2051) et postulator monitus nihil jam obtulerit intra tempus ipsi a tribunali praestitutum.

4° Actorum originalium seu archetypi fit *transumptum* manu transcribendum (can. 2054), cum archetypo authentice conferendum (can. 2055). Archetypum clausum et sigillis munitum in archivo Curiae asservandum est et nunquam aperiendum sine venia Sedis Apostolicae (can. 2056, § 1). Transumptum vero obsignatum sigillo Ordinarii per procuratorem ad S. Congregationem transmittatur (can. 2056, § 2 ; 2063) [5].

---

1. Cf. formulae actorum apud *Codex cit.*, p. 57 ss.
2. Imo quam primum inchoandus est, ne potiores testes e vita discedant antequam interrogentur.
3. BENED. XIV, *o. c.*, l. II, c. 39, n. 7.
4. *Codex cit.*, p. 65 s. Cf. *ibid.*, p. 67 de iis quae a postulatore et judice agenda sunt.
5. Cf. apud. *Cod. cit.*, p. 70-120 omnes formulas sessionum successivarum processus informativi.

1660. — IV. De processu super non cultu.

1° Quando sufficienter probata est, certis testimoniis in processu juridico consignatis, fama sanctitatis et miraculorum, ante causae introductionem sedulo inquirendum est a tribunale de *non cultu ;* sc. an observatum fuerit decretum Urbani VIII, statuentis ne in posterum de causa ulla beatificationis agi possit, nisi prius probatum esset nullum exhiberi cultum publicum [1] illi Servo Dei cujus causa esset pertractanda. Si vero Servus Dei alter ex iis sit cui, antequam Urbaniana Decreta prodierint, cultus exhibebatur, demonstrandum est cultum illum omnino fuisse amotum, et nullum nunc exhiberi [2].

2° Quatuor saltem testes in hoc processu sunt necessarii ac duo ex officio [3] (can. 2020, § 1 ; 2057). Tribunal adeat praeterea et diligenter inspiciat sepulcrum Servi Dei, cubiculum in quo habitavit vel obiit, et si qua sint alia loca ubi cultus signa adesse merito quis suspicari possit (can. 2058).

3° Processus *absolvitur* sententia tribunalis definientis utrum cultus Servo Dei fuerit praestitus necne (can. 2060).

4° Demum expleti processus acta per procuratorem ad S. Congregationem transmittuntur (can. 2064) [4].

CAPUT II.

DE CAUSAE INTRODUCTIONE APUD S. CONGREGATIONEM.

1661. — I. De revisione scriptorum.

1° Statim ac scripta Servi Dei Romam transmissa sunt, submittuntur duobus revisoribus laurea saltem in theologia, vel, si religiosi sint, alio titulo aequivalenti donatis et quorum alter alteri sit ignotus (can. 2065-2067). Horum sententiae si discrepent, tertius revisor designari debet (can. 2069).

2° *Finis* judicii est duplex : a) referre num in scriptis aliquid habeatur quod fidei vel moribus adversetur ; b) edocere generali quadam ratione quaenam indoles, quinam virtutum habitus vel defectus ex scriptis appareant propria fuisse Servi Dei (can. 2068, § 1).

3° Si in scriptis quid appareat fidei non omnino consonum aut quod in praesenti fidelium offensioni esse possit, S. Pontifex decidit num ad ulteriora procedi possit. Favorabile R. Pontificis judicium non secumfert approbationem scriptorum nec impedit quominus Promotor Generalis et consultores possint aut debeant ex scriptis objectiones movere (can. 2071, 2072) [5].

---

1. De signis cultus publici, cf. supra n. 1266.
2. Postea concessum est ut causae quidem introduci possint ; at, signata Commissione introductionis, nullum aliud judicium in causa a S. Congregatione proferatur, non prius expleto judicio *de non cultu*, cf. *Cod. cit.*, p. 120, 124 ; DE AZEVEDO, *o. c.*, l. II, c. 16.
3. *Codex cit.*, p. 124.
4. Cf. exemplaria actorum hujus processus ap. *Cod. cit.*, p. 122-134.
5. Cf. *Cod. cit.*, p. 136 s.

1662. — II. De discussione processus informativi.

1° Si, scriptis perpensis, decretum fuerit ad ulteriora procedi posse, fit discussio processus informativi ; Promotore fidei Generali objectiones suas proponente et advocato breviter et perspicue respondente (can. 2082) [1].

2° « Judicium circa valorem processus informativi ab Ordinario instructi, circa famam sanctitatis vel martyrii et circa absentiam cujuslibet obstaculi peremptorii profertur a Patribus Cardinalibus in comitiis ordinariis, Cardinali Ponente referente ac proponente dubium : *an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur* » (can. 2032). Si causam introducendam censuerint, respondent : *affirmative seu signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Si Sanctissimus commissionem signaverit, Secretarius S. Congregationis hac de re decretum conficiat et publici juris faciat (can. 2083).

3° « Edito decreto introductionis causae, Ordinarii nihil ultra circa eam agere possunt sine expressa licentia S. Congregationis » (can. 2084, § 1) [2].

4° « Servum Dei, cujus causa introducta tantum est, *venerabilis* titulo decorari prohibitum est ; et caveant postulatores ne occasione introductionis causae quidquam fiat in honorem Servi Dei, quod publicum cultum redoleat » (*ibid.*, § 2) [3].

1663. — III. De discussione processus super non cultu.

Signata commissione introductionis causae a Patribus Cardinalibus, discutiendum est dubium num confirmanda sit sententia de non cultu ab Ordinario lata. Si sententia Patrum cultum praestitum fuisse edixerit, eorumdem arbitrio, causa suspendatur quousque omnia signa vetiti cultus remota fuerint et haec obedientia ad certum tempus, ab ipsis Patribus statuendum, fuerit praestita (can. 2085) [4].

CAPUT III.

DE PROCESSIBUS APOSTOLICIS.

1664. — I. De processu apostolico instruendo.

1° Edito decreto de non cultu, impetrentur a Summo Pontifice *litterae remissiorales,* quas vocant, ad instruendum processum apostolicum tum in genere super fama sanctitatis, miraculorum aut martyrii [5], tum super virtutibus et miraculis in specie vel super martyrio ejusdemque causa (can. 2087).

2° *Delegantur* a R. Pontifice *quinque judices* in ecclesiastica dignitate, si fieri potest, constituti. *Praeses* tribunalis est ipse Ordinarius si inter

---

1. Cf. *Cod. cit.*, p. 137 ss.
2. Cf. *ibid.*, p. 141 ss., p. 143 ss. formulae litterarum postulatarium.
3. Cf. decr. 26 aug. 1913, *AAS.*, t. V, p. 436 ; S. C. Rit., 2 apr. 1926, n. 4184, quo missa de requie pro Servo Dei, cujus causa introducta est, prohibetur.
4. Cf. *Cod. cit.*, p. 148 ss.
5. Hic processus generalis omitti potest (can. 2087, § 2).

judices fuerit cooptatus [1], secus alius ab ipsa Congregatione designatus (can. 2088). Promotor generalis designat *duos sub-promotores* qui ejus nomine processui adsint (can. 2089), et ipsis mittit *interrogatoria* clausa, non aperienda nisi in actu examinis, super quibus testes sunt interrogandi [2] (can. 2090, 2091, § 2). Tribunal in ipsa prima sessione eligat *notarium, peritum* in processu super miraculis, *cursorem* (can. 2093, § 2). Satis est ad *validitatem* ut adsint *praeses cum duobus judicibus* vel, ipso annuente et absente, *tres alii judices,* itemque unus ex sub-promotoribus fidei, notarius vel ejus adjunctus (can. 2094).

3° Processus est absolvendus *intra biennium* a die aperitionis litterarum remissorialium (can. 2095). Antequam absolvatur, fiat a tribunali recognitio juridica exuviarum Servi Dei (can. 2096).

4° Processu absoluto omnia acta transmittantur ad S. Congregationem (can. 2097) et de *ejus validitate* penes ipsam fit *judicium* (can. 2098-2100) [3].

1665. — II. De judicio super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio ejusque causa.

1° Disceptatio virtutum in gradu heroico [4] exercitarum, quod est primum fundamentum sanctitatis, a S. Congregatione facienda est tribus distinctis congregationibus, quae vocantur antepraeparatoria, praeparatoria, generalis (can. 2102 s. ; 2105-2114). Nulla istarum congregationum fieri potest ante quinquaginta annos a morte Servi Dei (can. 2101) [5].

2° « In causis confessorum discuti debet dubium : *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur;* in causis vero martyrum : *an constet de martyrio ejusque causa* [6] *et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur* » (can. 2104).

3° Si R. Pontifex in congregatione generali vel, ut fit, paulo post, declaraverit constare de heroicitate virtutum vel de facto martyrii ejusque causa, mandat ut exaretur a Secretario *decretum,* quo authentice declaretur Servi Dei virtutes omnes in gradu heroico vel martyrium bene esse probata ; quod decretum publicetur tempore et modo a Sanctissimo praescribendis (can. 2114 ; 2115, § 1).

4° *Effectus* hujus decreti est : a) ut Servus Dei nuncupari possit *venerabilis ;* qui tamen titulus nullam publici cultus permissionem impor-

---

1. Solet processus demandari *Ordinario loci,* ubi Servus Dei supremum diem obiit.

2. Quoad numerum et qualitatem testium, cf. can. 2020.

3. Cf. *Codex cit.,* p. 154 ss., cum serie actorum.

4. Heroicitas est virtutum excellentia ab arduitate, ut plurimum orta. Virtus christiana, ut sit heroica, debet efficere, ut ille, qui ea praeditus est, expedite, prompte ac delectabiliter, supra communem modum ex fide supernaturali operetur.

5. Nisi R. Pontifex dispenset ; ita pro S. Theresia ab Infante Jesu, quae obiit. a. 1897, jam 1 junii 1920 habita est congregatio antepraeparatoria super virtutibus ejusdem Sanctae.

6. An nempe mortem violentam a persecutore, pro causa Religionis, pertulerint.

tat[1] (can. 2115, § 2) ; b) ut procedere liceat ad examen super miraculis[2].

1666. — III. De judicio super miraculis.

1° Praeter virtutum heroicitatem aut martyrium ad beatificationem Servi Dei requiruntur *miracula* ejus interventione patrata et quidem hisce in circumstantiis ut nulli alteri causae adscribi possint, quam verae sanctitati, a Deo his signis confirmatae. Si tamen evidenter constet de martyrio, aliquando S. Pontifex concedit dispensationem a miraculis in casu (can. 2116).

2° « Ad beatificationem Servorum Dei requiruntur *duo* tantum miracula, si testes oculati in utroque processu tum informativo tum apostolico probationem virtutum confecerint, vel si testes, in processu apostolico excussi, fuerint saltem ex auditu a videntibus ; *tria,* si testes fuerint oculati in processu informativo et de auditu auditus in processu apostolico ; *quatuor,* si in utroque processu de virtutibus constiterit per solos testes traditionis et per documenta » (can. 2117).

3° Objectum *dubii* est : *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Discutitur quoque in triplici Congregatione. Ad quaestionem solvendam periti in re medica et chirurgica celebriores *ex officio* inducendi sunt (can. 2118). Vota petitorum scripto consignanda rationibusque fulta duo haec contineantur sc. a) « Utrum, si de sanatione agatur, is qui eam consecutus dicitur, vere sanus haberi debeat » ; b) « Utrum factum, tanquam miraculum propositum, per naturae leges explicari possit necne » (can. 2119).

« Si in congregatione antepraeparatoria duo periti fuerint concordes in affirmando miraculo, tunc unus[3] tantum pro congregatione praeparatoria designetur peritus ; si unus tantum peritus pro miraculo steterit, tunc duo novi periti ex officio nominentur » (can. 2122, § 2). Quodsi vota peritorum in congregatione antepraeparatoria ambo fuerint negativa, ad ulteriora non procedatur (can. 2118, § 1).

4° « Post decretum approbationis miraculorum, nova fieri debet coram Summo Pontifice disceptatio super dubio : *an tuto procedi possit ad beatificationem Servi Dei* » (can. 2124, § 1). Dubium solvitur in congregatione generali. Audita consultorum et Patrum Cardinalium sententia, S. Pontifex generatim sententiam suam non statim aperit, sed post aliquod temporis spatium, Secretarium S. Congregationis ad se vocat, quem jubet decretum *de tuto* redigere et promulgare (can. 2124, § 2)[4].

5° Qua disceptione finita, nihil obstat quominus obtento Brevi Apostolico, procedatur ad *sollemnia beatificationis*[5]. In Brevi Apostolico statuitur dies qua celebrabitur sollemnitas quae ex decreto Alexandri VII fit primo in Ecclesia Vaticana, et veneratio erga Beatum, officium et Missa indulgetur aliaque constituuntur. Ex tunc permittitur ut in locis determinatis cultus publicus reddatur Beato, cum certis quibusdam restrictionibus[6].

1. Hoc unum licet et decet addere in missis collectam in gratiarum actionem.
2. Cf. *Cod. cit.*, p. 189 ss.
3. Alius a duobus primis.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 336.
5. Cf. *Codex cit.*, p. 295 ss.
6. Cf. ICARD, *o. c.*, t. II, n. 509 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l.* c.

TITULUS XXV.

DE PROCESSU BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI PER VIAM CULTUS SEU CASUS EXCEPTI.

1667. — 1° *Causae* quae procedunt per viam cultus immemorabilis[1] sunt illae Servorum Dei « qui post pontificatum Alexandri VII et ante tempus a constitutione Urbaniana[2] praefixum ex tolerantia cultum habuerunt » (can. 2215, § 1), i. e. ab anno 1181 ad annum 1534. Aliquoties tamen tempus illud non tam rigorose attenditur[3].

2° *Modus procedendi* decreto S. Rit. Congregationis 11 nov. 1912[4] et denuo per novi juris codicem determinatus, his actibus absolvitur :

a) Processus ordinarius, instruendus ab Ordinario loci ubi cultus praestatur vel documenta cultus reperiuntur, super fama sanctitatis[5] vel super martyrio et de cultu adhuc vigente, praevia inquisitione facta de scriptis Servi Dei (can. 2126, 2127) ;

b) Approbatio hujus processus a Congregatione et introductio causae (can. 2128) ;

c) Processus apostolicus plerumque in Curia dioecesana, ex potestate delegata, *super casu excepto* exclusive, sc. super initio cultus ejusque non interrupta continuatione (can. 2129, 2130) ;

d) Confirmatio sententiae judicis delegati in Congregatione ordinaria a R. Pontifice, ut probato casu excepto, ad ulteriora procedi possit (can. 2131, 2132) ;

e) Processus apostolicus plerumque in Curia dioecesana super virtutibus vel super martyrio ejusque causa (can. 2133) ;

f) Judicium de validitate hujus processus a Congregatione ;

g) Processus in triplici sessione S. Congregationis de cultu immemorabili et de heroicitate virtutum vel de martyrio ;

h) Si S. Pontifex decretum edi jubet de facto cultus immemorabilis et de heroicitate virtutum vel de martyrio et si cultum decreto speciali confirmaverit, Servus Dei est aequipollenter beatificatus et ipsi iidem concedi possunt actus publici cultus, quibus honorari consueverunt formaliter beatificati (can. 2134, 2135)[6].

Nota. Ordo praescriptus non semper servatur[7].

---

1. Cf. *Codex cit.*, p. 205.
2. Cf. textum ap. *Cod. cit.*, p. 259.
3. Cf. exempla ap. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 337.
4. *AAS.*, t. IV, p. 705 ss. ; cf. ejusd. Congregationis decretum, 28 apr. 1914, *ibid.*, t. VI, p. 235.
5. Cf. Decret. S. C. Rit., 26 aug. 1912, *AAS.*, t. IV, p. 105.
6. Ita fere VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 338. Cf. *Codex cit.*, p. 207 ss., cum serie actorum.
7. Cf. exemplum ap. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1211. Cf. causa confirmationis cultus praestiti Servae Dei Stillae, 12 jan. 1927, *AAS.*, t. XIX, p. 140 ss.

TITULUS XXVI.

DE BEATORUM CANONIZATIONE.

1668. — I. **Conditiones ad canonizationem requisitae.**

1° Nemo canonizatur, qui antea non fuit declaratus beatus formaliter aut aequipollenter (can. 2136, 2137) [1].

2° « Ad canonizationem Beatorum qui formaliter beatificati sunt, requiritur approbatio *duorum* miraculorum, quae supervenerint post formalem beatificationem. Ad canonizationem vero Beatorum qui aequipollenter fuerunt beatificati, requiritur approbatio *trium* miraculorum, quae post aequipollentem beatificationem patrata sunt » (can. 2138).

1669. — II. **Modus procedendi.**

1° Cum aliquod miraculum ad intercessionem alicujus Beati patratum fuerit, Sacra Congregatio ad instantiam postulatoris decretum edit, si id Sanctissimo placuerit, de resumenda causa (can. 2139, § 1).

2° Commissione reassumptionis causae signata, incipiunt processus apostolici de novis miraculis in curiis dioecesanis et eorum discussio apud S. Congregationem (can. 2139, § 2).

3° Adprobatis miraculis judicium *super tuto* habendum est, i. e., dubium in generali congregatione proponendum : *an stante (duorum vel trium) miraculorum adprobatione, tuto deveniri possit ad sollemnem canonizationem* (can. 2140).

4° Post decretum super tuto latum, Summus Pontifex causam omnium precibus commendat et plura consistoria habet : unum secretum, cui soli Cardinales assistunt ; aliud semipublicum, ad quod praeter Cardinales admittuntur Patriarchae et Episcopi ; alterum magis sollemne in quo dies ad canonizationem determinatur [2].

5° « Die praefixa, Summus Pontifex accedit cum magno apparatu ad sacram basilicam ; ibi post novas iteratasque expostulationes, multis persolutis orationibus, invocato Spiritu Sancto, demum auctoritate Dei omnipotentis, Apostolorum Petri et Pauli, et sua, decernit ac definit N... sanctum esse, Sanctorum catalogo adscribendum, et ab universali Ecclesia colendum. Expeditur postea constitutio, seu bulla pontificia, directa ad omnem Ecclesiam [3]. »

---

1. Antiquis temporibus processus canonizationis non necessario praesupposuit processum beatificationis, sic S. Thomas Aquinas fuit canonizatus, quin praecesserit processus beatificationis, ita PRUEMMER, *o. c.*, n. 555.
2. Cf. BENED. XIV, *o. c.*, lib. I, cap. 34.
3. *Ibid.*, cap. 36. Cf. *Cod. cit.*, p. 251 s.

PARS TERTIA.

DE MODO PROCEDENDI IN NONNULLIS EXPEDIENDIS NEGOTIIS VEL SANCTIONIBUS POENALIBUS APPLICANDIS.

Ordo dicendi. 1° Optime notant Vermeersch-Creusen[1] : « Ipse titulus hujus partis duplicem ejus materiam perspicue distinguit, *negotia* sc. expedienda seu actus rectae administrationis dioeceseos vel religionis, et *poenas* processu quodam, quem summarium vocare possumus, applicandas. Dum enim remotio et translatio parochorum etiam ex causis fiunt quae ab eorum culpa prorsus independentes esse possunt[2], privatio beneficii vel suspensio ex informata conscientia semper in viros gravis delicti reos feruntur. Sed in utroque casu, ob bonum animarum, omittitur series formarum juris sollemniorum, quibus servandis nimium tempus consumitur et alia interdum incommoda timenda sunt. »

2° Post canones introductorios (can. 2142-2146) toti parti communes, codex hanc materiam septem titulis complectitur nempe de modo procedendi a) in remotione parochorum inamovibilium (can. 2147-2156) ; b) in remotione parochorum amovibilium (can. 2157-2161) ; c) in translatione parochorum (can. 2162-2167) ; d) contra clericos non residentes (can. 2168-2175) ; e) contra clericos concubinarios (can. 2176-2181) ; f) contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem (can. 2182-2185) ; g) in suspensione ex informata conscientia infligenda (can. 2186-2194).

3° Pleraque quae in hac parte aguntur, jam superius explicata sunt, nempe de remotione parochorum inamovibilium et amovibilium (n. 863) ; de translatione parochorum (n. 862) ; de modo procedendi in clericos non residentes (n. 843). Restat ut paucis evolvantur canones introductorii, tit. XXXI de modo procedendi in clericos concubinarios, tit. XXXII, de modo procedendi contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem et tit. XXXIII, de modo procedendi ex informata conscientia.

NORMAE COMMUNES.

1670. — I. De authenticitate actorum procuranda.

1° « In processibus de quibus infra, adhibeatur semper *notarius*, qui

---

1. *O. c.*, n. 341.
2. Cf. n. 862, 863.

scripto consignet acta quae ab omnibus subscribi debent et in archivo servari » (can. 2142).

Hujusmodi acta sunt : citatio, invitatio ad renuntiandum beneficio, testimonia, etc.

2° « Quoties *monitiones* praescribuntur, hae fieri debent vel oretenus coram cancellario aliove officiali curiae aut duobus testibus vel per epistolas ad normam can. 1719 [1]. Peractae monitionis ejusque tenoris documentum authenticum [2] in actis servetur. Qui impedit quominus monitio ad se perveniat, habeatur pro monito » (can. 2143).

1671. — II. **De secreto servando.**

1° « Examinatores et consultores ac notarius debent, interposito ab initio processus jurejurando, servare secretum circa omnia quae ratione muneris noverint ac praesertim circa documenta occulta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum ac motiva » (can. 2144, § 1) [3].

2° « Si huic praecepto minime paruerint, non solum a munere amoveri *debent*, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario, servatis servandis, plecti *poterunt* ; ac praeterea damna, si qua inde secuta sint, sarcire tenentur » (*ibid.*, § 2).

Ita cavet Ecclesia tum securitati et libertati eorum quae his in negotiis et causis partem habent, tum praesertim famae praeventi.

1672. — III. **Forma processus.**

In iis processibus *summarie* procedendum est (can. 2145, § 1) i. e., *extrajudicialiter* tum in investigatione et verificatione facti facienda, tum in applicatione sanctionis, servatis tamen quae necessaria sunt aut prosunt veritati detegendae servatisque etiam quae ad defensionem praeventi requiruntur.

Ita quoad *testes :* alii ex *officio* sunt audiendi si judicio Ordinarii necessarii sunt ad facti verificationem ; alii audiri *possunt,* si a parte ad defensionem inducuntur ; alii *arcendi* sunt, quoties Ordinarius, auditis parochis consultoribus seu examinatoribus, existimaverit partes eos inducere ad moras nectendas (can. 2145, § 1).

« Testes et periti, nisi jurati, ne admittantur » (*ibid.*, § 2).

1673. — IV. **De recursu ad S. Sedem.**

---

1. Nempe via postali ita ut sint litterae commendatae, data syngrapha transmissionis.

2. Sive notarius, sive cancellarius referat in acta textum monitionis, sive Episcopus scriptis exaratum exhibeat textum monitionis et subscriptionem exigat illius cui monitio facta est. Ita medium praesto erit aptum legitimae probationi de facta monitione in casu contumaciae.

3. Cf. formula ap. *AAS.*, t. XII, p. 142.

1° « A *definitivo* decreto unicum datur juris remedium, id est *recursus* ad Sedem Apostolicam » (can. 2146, § 1). Appellatio enim non datur, cum agatur de modo procedendi extrajudiciali.

2° « Quo in casu ad Sanctam Sedem omnia acta processus transmittenda sunt » (*ibid.*, § 2), nimirum documenta peractae investigationis, factae monitionis, invitationis ad renuntiandum, comminationis poenae, praeterea vota consultorum, decreta lata, etc. [1].

3° Etsi recursus sit in *devolutivo* tantum, tamen « pendente recursu, Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii *stabiliter* conferre *valide* nequit. »

TITULUS XXVII-XXX

(remissive).

TITULUS XXXI.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA CLERICOS CONCUBINARIOS.

1674. — I. **Clerici concubinarii.** 1° Alii vere tales *sunt* nempe qui cum eadem muliere carnale commercium habitualiter habent.

2° Alii ut tales *praesumuntur* nempe : a) qui suspectam mulierem secum retinent vel quoquo modo frequentant ; b) qui retinent vel frequentant mulierem alioquin non suspectam, sed contra prohibitionem ab Ordinario latam, ratione periculi scandali vel incontinentiae (can. 2176, coll. can. 133) [2].

Procedendi modus, de quo agunt can. 2176 ss., respiciunt praesumptum concubinatum, etsi eadem procedura ex can. 2359, § 1 etiam observanda sit erga clericos in sacris [3] stricto sensu concubinarios, in quos Ordinarius graviores poenas infligere potest, v. gr., suspensionem a divinis, imo eos justa poena afficere, etiam absque praevia monitione, si scandalum certo datum fuerit [4].

1675. — II. **Modus procedendi** triplicem actum comprehendit sc., monitionem, applicationem poenarum in contumacem et, si casus ferat, examen defensionis clerici.

1° *Monitio canonica* est ab Ordinario facienda cum praecepto mulie-

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 346.
2. Cf. supra, n. 364.
3. Quoad clericos minores, cf. can. 2358 ; vide etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 367.
4. Can. 2222, § 1.

rem dimittendi aut ab eadem frequentanda abstinendi cum comminatione poenarum can. 2359, § 1 statutarum, nempe suspensionis a divinis, privationis fructuum officii, beneficii, dignitatis (can. 2176).

Ad hoc praeceptum intimandum Ordinarius ne deveniat, nisi, inquisitione facta, certus sit clericum reum esse veri aut saltem praesumpti concubinatus [1].

2° Si clericus *contumax* sit, si nempe « *neque praecepto pareat, neque respondeat,* Ordinarius, postquam sibi constiterit id clericum praestare potuisse : a) eum suspendat a divinis ; b) parochum praeterea statim paroecia privet ; c) clericum vero qui aliud beneficium sine animarum cura habet, si, exacto bimestri tempore a suspensione, sese non emendaverit, privet dimidia parte fructuum beneficii ; post alios tres menses, omnibus beneficii fructibus ; post alios tres menses, ipsomet beneficio » (can. 2177).

Nota. Clericus praecepto obediens justa poena cogi potest ad reparandum scandalum transgressione legis datum [2].

3° « Si clericus *non obediat,* sed *causas excusationis adducat :* a) Ordinarius debet super eisdem audire duos examinatores » (can. 2178) ; b) « Si, auditis examinatoribus, Ordinarius existimaverit allatas causas non esse legitimas, id clerico quamprimum significet eique det formale praeceptum ut intra breve tempus a se definiendum pareat » (can. 2179) ; c) Parochus *amovibilis*, si huic praecepto non obedierit, statim est suspensione a divinis et privatione paroeciae coercendus (can. 2180) ; d) si vero agatur de clerico qui beneficium *inamovibile* habet, novas deductiones allegare potest, quas Ordinarius cum duobus examinatoribus perpendere debet (can. 2180). Si ne eae quidem judicentur legitimae, Ordinarius clerico *rursus* praecipiat ut intra congruum tempus mandato obtemperet ; quo tempore inutiliter transacto, statim applicet poenas quas supra de parocho amovibili memoravimus (can. 2181) [3].

---

1. Cf. can. 2306 ss. « Nihil tamen prohibet quin monitione *paterna* clericum de dicteriis certiorem faciat, vel eum etiam innocentem ad vitandum scandalum, conversationem abrumpere vel minuere jubeat » VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

2. Cf. can. 2222, § 1.

3. Cf. S. Rot. Rom,, causa, 11 maii 1909, ap. *Le can. contemp.,* 1915, t. XXXVIII, p. 252 ss. ; causa, 17 jul. 1917, ap. *S. Rot. Rom. decisiones,* t. IX, p. 155 ss.

TITULUS XXXII.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA PAROCHUM IN ADIMPLENDIS PAROECIALIBUS OFFICIIS NEGLIGENTEM.

1676. — I. **Delicta punienda.** In can. 2182 enumerantur *taxative* et non exemplative officia paroecialia quorum gravis negligentia locum dat procedurae de qua in praesenti titulo.

1° Sunt nempe : celebratio divinorum officiorum, administratio sacramentorum, cura animarum praesertim pauperum, cura in catholica puerorum institutione (can. 467, § 1) ; cura aegrotorum praesertim moribundorum (can. 468, § 1) ; cura munditiei et sanctitatis domus Dei (can. 1178) ; praeparatio puerorum ad sacramenta recipienda et catechetica institutio ipsorum et adultorum (can. 1330-1332) ; concio diebus dominicis et festis de praecepto habenda (can. 1344).

2° *Gravitas* negligentiae in hisce obeundis officiis aestimatur a theologis ex gravi incommodo quod inde patiuntur fideles.

1677. — II. **Procedura** varios admittit gradus : monitio, correptio et punitio, privatio fructuum, privatio paroeciae.

1° Episcopus parochum graviter negligentem canonice [1] « *moneat,* in memoriam ejus revocans et strictam obligationem qua ejus conscientiam oneratur et poenas in haec delicta jure statutas » (can. 2182). Ad hanc monitionem Episcopus ne deveniat nisi postquam gravia in promptu sint suspicia culpabilitatis praeventi.

3° « Si parochus sese non emendaverit, Episcopus eum *corripiat* et aliqua congrua poena pro gravitate culpae *puniat,* postquam, auditis duobus examinatoribus et facta parocho sese defendendi facultate, *probatum* judicaverit praedicta paroecialia officia *etiam atque etiam* per *notabile tempus in re gravis momenti* praetermissa aut violata fuisse et eorundem omissiones aut violationes nulla justa causa excusari » (can. 2183).

Ad correptionem et punitionem requiritur proin ut negligentia in re gravi v. g., in institutione catholica puerorum, in catechetica eorumdem institutione, in cura moribundorum, non semel aut iterum sed saepius commissa fuerit et *per notabile tempus* duraverit [2].

3° « Si et correptio et punitio in irritum cesserint, Ordinarius, probata, ad normam can. 2183, *perseverante* ac *culpabili* officiorum paroecialium

1. Cf. can. 2143, § 1.

2. Cf. supra n. 854 ; 857. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 370 s. Notabile tempus brevius erit pro negligentia in officiis singulis dominicis et festis de praecepto obeundis, longius si agatur de officiis raro recurrentibus.

omissione vel violatione in re gravi, parochum *amovibilem* sua paroecia statim privare potest ; parochum vero *inamovibilem* beneficii fructibus, pauperibus ab Ordinario distribuendis pro gravitate culpae in totum vel ex parte privet » (can. 2184).

4° « Mala voluntate persistente ac probata, ut supra, Ordinarius etiam parochum inamovibilem e sua paroecia removeat » (can. 2185).

TITULUS XXXIII.

DE MODO PROCEDENDI IN SUSPENSIONE EX INFORMATA CONSCIENTIA INFLIGENDA.

Fontes. Conc. Trid., Sess. XIV, c. 1 de ref. ; declar. S. Congr. Epp. et Reg., 21 dec. 1883, ap. GENNARI, *Sulla privazione del beneficio ecclesiastico,* p. 133, Romae, 1905 ; Instructio S. C. de P. F., 20 oct. 1884[1] ; multae causae S. C. C., ap. RICHTER, *o. c.,* p. 87 ; causa in una S. Severini, 4 apr.-9 sept. 1778, *Thesaurus resol.,* t. XLVII, p. 84, 198, 211 ; causa Lucionen., 8 apr. 1848, *ibid.,* t. CVIII, p. 135, *ASS.,* t. XIV, p. 299 ss. ; causa S. Agathae Gothorum, 26 feb. 1853, *Thes.,* t. CXII, p. 46 ; causa Bosnien. et Sirmien., 20 dec. 1873, *ASS.,* t. VII, p. 569 ss. ; causa Patavina, 11 sept. 1880, *Thes.,* t. CXXXIX, p. 587, *ASS.,* t. XIV, p. 292 ; causa 27 feb. 1875, *AAS.,* t. VIII, p. 547 s. ; causa S. C. Ep. et Reg., 24 aug. 1894, *ASS.,* t. XXVIII, p. 430, etc.

Auctores. Citati apud SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 764, nota (8) ; ARNDT, *Die Suspension ex informata conscientia,* ap. *Arch. f. kath. Kr.,* 1895, t. LXXIII, p. 141 ss. et ap. *Pastor Bonus,* 1904-1905, t. XVI, p. 481 ss., 529 ss. ; *Coll. Brug.,* t. XI, p. 40 ss. ; GENNARI, *o. c.,* p. 127 ss. ; LEGA, *De judiciis ecclesiasticis,* lib. II, vol. IV, p. 436 ss.; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 326 ; HEINER, *Der kirchl. Strafprocess.,* p. 96, Köln, 1912 ; CLAEYS-BOUUAERT, *De canonica cleri saecularis obedientia,* p. 137 ss. ; BOURRET, *Des sentences ecclésiastiques, dites* « de conscience informée », Montpellier, 1909 ; WERNZ, *o. c.,* t. V, lib. II, p. 102 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 372 ss. ; *L'ami du clergé,* 1923, t. XL, p. 369 ss. ; PERATHONER, *Die Sentenz ex informata conscientia,* ap. *Th. Prakt. Quartal-Schrift,* t. LXXII, p. 812 ss., S. ALONSO, *La suspensión ex informata conscientia,* ap. *Cien. thom.,* 1925, t. XXXII, p. 110 ss.

1678. — I. **Origo hujus remedii** a Concilio Tridentino repetitur. Ante Concilium Tridentinum, ex capitibus 4 et 5 *de temporibus ordinationum*[2], clerici saeculares, juxta principium « Ecclesiae datum est tantum de manifestis judicare », non poterant repelli a susceptione superiorum ordinum, nec suspendi ab acceptis, nisi *ex causa manifesta et probata in foro externo*[3]. Clerici vero regulares, juxta principium « honestius et tutius est subjectis impendere obedientiam debitam praepositis », prohiberi poterant ab ordinibus susceptis, propter commissa *secreta* quae noverat superior.

---

1. Cf. *ASS.,* t. XIX, p. 561 ss. ; *Nouv. rev. théol.,* t. XVIII, p. 469. Cf. *Collat. Brugen.,* t. XI, p. 41.
2. C. 4 et 5, X, I, 11.
3. Excipiebantur quaedam crimina, puta homicidii.

Huic antiquae disciplinae, ad coercendos clericos criminosos, ingens sane a Concilio Tridentino facta est mutatio. Propter necessitatem ampliandi potestatem Praelatorum, exceptio lata pro regularibus ad omnes saeculares clericos est extensa, firmis tamen remanentibus aliis juris dispositionibus circa modum procedendi ordinarium in negotiis criminalibus[1]. « Quum honestius ac tutius sit subjecto, ait Trid., *Sess.* XIV, c. I *De ref.*, debitam praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem ; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus ; aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus ; nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, dignitates, sive honores, restitutio suffragetur ». Jus Tridentinum[2] interpretatae sunt S. Congregatio Concilii et praesertim S. Congregatio de Prop. Fide, instructione cit., 20 oct. 1884, quam paucis mutatis codex reassumpsit.

1679. — II. Notio et indoles hujus remedii.

Suspensio ex informata conscientia est remedium repressivum, extraordinarium et extrajudiciale, quo Ordinarius subditum ob delictum grave et occultum suspendit ab officio sive ex parte sive etiam in totum (can. 2186, § 1).

Hic modus procedendi habet indolem remedii repressivi *extraordinarii,* proinde strictissimae interpretationis. Nam mens Tridentina fuit concedere Episcopo, deficientibus remediis ordinariis, aptum remedium extraordinarium ad coercenda delicta occulta clericorum. Quod plane confirmat Codex statuendo : « Extraordinarium hoc remedium adhibere non licet, si Ordinarius potest sine gravi incommodo[3] ad normam juris in subditum procedere » (can. 2186, § 2).

Vocatur *extraordinarium* quia est extrajudiciale, hoc sensu, quod « ad ferendam hanc suspensionem neque formae judiciales neque canonicae monitiones requiruntur ; sed satis est si Ordinarius, servato praescripto canonum qui sequuntur, simplici decreto declaret se suspensionem indicere » (can. 2187), iis tamen rationibus motus, quae, tametsi non judiciales, tamen certitudinem moralem de culpabilitate praeventi gignunt tum apud conscientiam superioris rite informati, tum apud Curiam Romanam, si postea recursus instituetur[4].

1. Cf. *Coll. Brug., l. c.,* p. 44 s.
2. Pius VI hoc decretum Tridentinum contra impugnationes synodi Pistoriensis sollemni sententia defendit. Cf. Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, n. 49, 50. Honestas et necessitas hujus remedii demonstrantur a WERNZ, *o. c.,* p. 107 s. ; CLAEYS-BOUUAERT, *o. c.,* p. 139 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 373.
3. Cf. can. 2191, § 3, n. 3°.
4. Cf. postea n. 1685.

1680. — III. **Auctoritas cui competit potestas procedendi ex informata conscientia.**

Haec potestas competit nimirum *Ordinario,* i. e. a) Episcopo relate ad subditos suos sive clericos suae dioecesi incardinatos aut in ea saltem quasi-domicilium habentes, sive religiosos non exemptos ; b) Praelato Regulari relate ad suos subditos in iis in quibus suae jurisdictioni subduntur. Utrum vero Vicario Generali competat, merito dubitatur ; nam regula est eum sine speciali mandato poenam ob delictum infligere non posse [1].

1681. — IV. **Modus procedendi.**

1° « Hujusmodi decretum detur *in scriptis,* nisi adjuncta aliud exigant [2], designato die et mense et anno » (can. 2188) ; idque autem fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ejus mandato [3].

2° In eo decreto « *expresse* dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia, seu ex causis ipsi Ordinario notis » (*ibid.,* 1°) [4].

3° « Indicetur tempus durationis poenae [5]. Abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda in perpetuum » (*ibid.,* 2°). Quodsi ob graviores causas, Ordinarius censuerit eam imponere, non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur ut temporanea, ideoque cessabit cum jurisdictione Ordinarii censuram infligentis [6].

Suspensio inflicta in tempus determinatum vel ad beneplacitum Ordinarii est *poena vindicativa.* « Potest vero infligi etiam tanquam *censura,* seu poena medicinalis ad emendationem rei, dummodo in hoc casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogetur » (can. 2168, 2°), eo fine ut possit absolutionem mereri. Violatio suspensionis latae per modum poenae vindicativae aut censurae inducit irregularitatem (can. 985, 7°).

4° « Clare indicentur actus qui prohibentur, si suspensio non in totum, sed ex parte infligatur » (can. 2188, 3°) [7].

5° « Si clericus suspensus sit ab officio in quo alius in ejus locum

---

1. Cf. can. 2220, § 2. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 109.
2. « Si constat clericum usurum esse documento in grave detrimentum Ecclesiae, Ordinarii, fidelium. » VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 375.
3. Cf. art. 3 Instruct. S. C. de P. F. a. 1884.
4. Secus saltem non sustineretur decretum in casu recursus, cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 375.
5. Cf. HEINER, *o. c.,* p. 100 s. ; PÉRIES, *La procédure canonique moderne,* p. 185 ss. ; SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 764 ; GENNARI, *o. c.,* p. 135 ss. ; WERNZ, *o. c.,* p. 117 s.
6. Cf. art. 5 instruct. cit.
7. Cf. can. 2279.

substituendus est, ut, ex. gr., oeconomus in cura animarum [1], qui substituitur mercedem ex fructibus beneficii percipiat secundum prudens Ordinarii judicium determinandam. Clericus suspensus, qui se gravatum senserit, potest *imminutionem pensionis* petere ab immediato Superiore qui in via judiciaria esset judex appellationis » (can. 2189). Ille superior erit v. gr., Metropolita relate ad Episcopum suffraganeum.

1682. — V. **Natura delicti puniendi.**

Haec sententia legitime ferri potest ob crimen *certum, grave, occultum* et si publicum *quod in judicium deduci nequit.* Dicitur :

a) *Certum.* Etenim, etiam vi naturalis justitiae, « Ordinarius qui fert suspensionem ex informata conscientia, debet ex peractis investigationibus tales collegisse probationes, quae eum *certum* reddant clericum delictum revera perpetrasse et quidem adeo grave ut ejusmodi poena coercendus sit » (can. 2190). Disputatur num *certa* probatio quae *soli* Praelato rem evinceret, sufficiat ad hujusmodi suspensionem ferendam. Videtur affirmandum si Ordinarius referat de rebus ex officio gestis [2] ; secus allegatio unius plenam fidem non facit nec admittenda videtur in re tam gravi ut sufficiens probatio quae certitudinem moralem patrati delicti penes Sedem Apostolicam, in casu recursus gigneret [3].

b) *Grave* et quidem gravius pro suspensione totali quam pro partiali suspensione. Non sufficit ut *peccatum* grave sit, sed etiam qua *externum* (delictum) ea gravitate debet notari ut hac poena, quae raro sine infamia perferetur, dignum habeatur (can. 2190) [4]. Hujusmodi gravitatis delicta sunt : gravis negligentia in functionibus parochialibus, turpe commercium cum mulieribus, auctoritatis Episcopi gravis contemptus, etc.

c) *Occultum* (can. 2191, § 1). Illud dicitur crimen occultum, quod non est publicum, seu quod non jam divulgatum est neque talibus contigit seu versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri [5].

« Ob *notorium* [6] delictum suspensio ex informata conscientia *nunquam* ferri potest » (can. 2191, § 2).

d) *Aut publicum quod in judicium deduci nequit,* ex impossibilitate absoluta vel morali procedendi judicialiter. Jam vero ipse Codex deter-

1. Cf. supra, n. 870.
2. Cf. can. 1791, § 1.
3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 106 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 377.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 378.
5. Can. 2197, 1° et 4°.
6. Sive sit notorium notorietate juris sive notorium notorietate facti, cf. can. 2197, 2° et 3°. In casu delicti notorii nunquam deerunt Ordinario remedia juris ordinaria.

minat *taxative* adjuncta in quibus ob dictam impossibilitatem, delictum publicum suspensione ex informata conscientia plecti potest : « occurrat *necesse est* aliquod ex adjunctis quae sequuntur [1] : a) « Si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint ut de eo testimonium in judicio ferant, neque aliis probationibus delictum judiciali processu evinci possit ; b) Si ipsemet clericus minis aut aliis mediis impediat ne processus judiciarius instruatur aut inceptus perficiatur ; c) Si processui judiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta oriantur ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo » (can. 2191, § 3) [2].

Verum « suspensio ex informata conscientia valet si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum » (can. 2192) ; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

1683. — VI. **Poenae quae hoc modo procedendi infligi possunt.** Duplex a Tridentino indicabatur : a) prohibitio ascendendi ad superiores ordines ; b) et suspensio ab exercitio ordinis, officii, jurisdictionis. Jure codicis unica poena ex informata conscientia infligi potest nempe suspensio totalis aut partialis. Cum strictissime haec codicis dispositio interpretanda sit, nullae aliae poenae hac via imponi possunt, nec exercitia spiritualia, nec excommunicatio, nec privatio beneficii.

1684. — VII. **Manifestatio delicti.** Ordinarius stricte non tenetur hujusmodi suspensionis causam seu delictum clerico patefacere, sed quia plus valet benignitas quam austeritas et magis faveat Ecclesia poenis medicinalibus quam vindicativis, « prudenti arbitrio Ordinarii relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere, et, si delictum clerico patefacere censuerit, poena, ex paternis quae interposuerit monitis, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccati eliminandam inserviat » (can. 2193) [2].

1685. — VIII. **De remediis.** Utrum et quale adversus hujusmodi sententiam reo remedium praesto sit ? Constat nullam ei patere viam *appellationis* sive suspensivae, sive devolutivae, nequidem ad Sedem Apostolicam, cum decretum extrajudicialiter latum sit.

Attamen, si reipsa sententia corrigi possit et debeat quia, v. gr., delictum reapse non commissum fuit, vel deest proportio inter delictum et poenam, non ideo desperata est causa clerici ; adest ei remedium

---

1. Cf. causae cit. a codice in notis ad can. 2191.
2. Cf. exemplum ap. CAVAGNIS, *Instit. jur. publ.*, ed. 3, vol. II, lib. III, p. 166.

itidem extraordinarium : *recursus* nempe ad S. Pontificem [1], cum solo effectu devolutivo. In hoc casu, « Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod extraordinaria hac poena puniri queat » (can. 2194).

4. Ad S. Congr. Concilii, si agitur de clerico saeculari ; ad S. Congregationem de Religiosis, si suspensus est religiosus.

LIBER QUINTUS

DE DELICTIS ET POENIS.

Connexio et ordo materiae. Expositis in libro II et III legibus ecclesiasticis de personis et rebus, additis in libro IV normis judiciorum tum civilium tum criminalium, codex in libro V agit de delictis quae sunt objectum judiciorum criminalium et de poenis quae delictis applicantur, complectens in toto ordine materiae quidquid ad potestatem Ecclesiae legiferam, judiciariam et coercitivam pertinet. Liber V in tres partes dividitur : 1° de delictis in genere (tit. I-III) ; 2° de poenis in genere (tit. IV-X) ; 3° de applicatione poenarum singulis delictis (tit. XI-XIX).

PARS PRIMA

DE DELICTIS.

Auctores. THESAURUS-GIRALDI, *De poenis ecclesiasticis*, Romae, 1760 ; DEVOTI, *o. c.*, t. II, p. 230 ; ICARD, *o. c.*, t. III, p. 144 ss. ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 802 ; FEYE, *Tract. autogr. de delictis ;* MUENCHEN, *Das kanonische Gerichtsverfahren*, t. II ; LEGA, *o. c.*, Lib. II, vol. III, 2ª ed., Romae, 1910 (citatur 1ª ed.) ; HOLLWECK, *Die kirchliche Strafgesetze*, Mainz, 1899 ; WERNZ, *Jus Decretalium*, t. VI, Jus poenale Eccles. catholicae, Prati, 1913 ; PERATHONER, *Kirchliches Gerichtswesen und Kirchliches Strafrecht nach dem neuen Kodex j. c.*, 1919 ; EICHMANN, *Das Strafrecht des Codex j. c.*, Paderborn, 1920 ; SOLE, *De delictis et poenis*, Romae, 1920 ; SALUCCI, *Il diritto penale secondo il codice di diritto canonico.* Vol. I, Subiaco, 1926 ; BLAT, *o. c.*, L. V, *De delictis et poenis*, Romae, 1925 ; COCCHI, *o. c.*, L. V. *De delictis et poenis*, Romae, 1925 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. III, n. 382 ss. ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1239 ss.

Ratio ordinis. Delicta seu crimina (quae voces in codice promiscue usurpantur) sunt objectum judiciorum criminalium ; ideo post tractatum de judiciis naturaliter ducimur ad agendum de delictis, quatenus foro Ecclesiae externo subjiciuntur.

In praesenti itaque sectione cum codice disserimus de delictis in genere. In tribus titulis Codex tractat de natura delicti ejusque divisione (can. 2195-2198) ; de imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de juridicis delicti effectibus (can. 2199-2211) ; tandem de delicti conatu (can. 2212-2213).

TITULUS I.

DE NATURA DELICTI EJUSQUE DIVISIONE.

1686. — I. **Natura delicti** [1]. Delictum in ordine ad forum externum a jure consideratum, intelligitur *externa* et *moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata* (can. 2195, § 1).

Dicitur :

1° *Externa ;* in judiciis enim inquiritur tantum de externis seu externo signo manifestatis : cogitationis vel desiderii poenam nemo cogitur in foro externo sustinere ; unde axioma : *De internis non judicat Ecclesia* [2].

2° *Moraliter imputabilis* seu dolosa ; nam omne delictum est peccatum quod a voluntate deliberata procedit sive sit voluntarium in se, sive saltem voluntarium in causa [3]. Ideo qui doli non sunt capaces, delictorum sunt insontes : qui vero non sunt plene sui compotes, mitius sunt tractandi ; ideo etiam admittuntur in jure causae aggravantes aut minuentes imputabilitatem delicti.

3° *Legis violatio,* seu transgressio legis etiam divinae, sed praesertim humanae, per actionem vel omissionem. Lex humana ecclesiastica sumi debet in sensu lato, prout comprehendit praeceptum, ad quod etiam reducitur monitio canonica in forma juridica facta [4] ; ait enim codex « Nisi ex adjunctis aliud appareat, quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus *praecepti* cui poenalis sanctio adnexa sit » (can. 2195, § 2). Cum ex doctrina certum sit neminem posse poenas ecclesiasticas ferre qui jurisdictione careat, agitur hic de *praecepto* ex potestate jurisdictionis lato [5].

4° *Cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata.* Hic affirmatur sine restrictione necessitas *legis poenalis* ad constituendum delictum. Simplex violatio legis aut praecepti delictum non facit sed oportet ut legislator humanus, lege sua aut praecepto, aut praevia monitione cano-

1. Cf. VIDAL, *Notio delicti in jure codicis,* ap. *Jus Pontificium,* 1922, t. II, p. 99 ss. ; GARCIA, *Ideas de S. Tomas de Aquino acerca del delito y de la pena,* in *Ciudad de Dios,* 1925, p. 457 ss. ; S. D'ANGELO, *Nozione del delitto nel Codice di diritto canonico,* ap. *Ephem. theol. Lovanien.,* 1926, t. III, p. 210 ss. (bibliogr., p. 211, nota). Cf. etiam *Collat. Brugen.,* t. XI, p. 314 ss. ; LEGA, *o. c.,* ed. 1, p. 21 ss. ; WERNZ, *o. c.,* p. 13.

2. Cf. de potestate Ecclesiae relate ad actus internos, MAROTO, *Inst. jur. can.,* t. I, n. 185 ss. ; CLAEYS-BOUUAERT, *De legibus,* n. 67 ss., Gandavi, 1924 ; VAN-DEN BERGHE, *De legibus,* n. 59 ss. ; SOLE, *o. c.,* n. 4 s.

3. In primo casu habetur *delictum,* in secundo *quasi-delictum.*

4. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 16 s.

5. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 383.

nica, peccato externo et ordinis socialis laesivo adnexuerit poenam, sive latae sive ferendae sententiae, sive specialem sive arbitrariam, sc. cujus taxatio arbitrio judicis relinquitur determinanda [1].

Ad delictum constituendum non sufficit quodcumque peccatum externum etiam grave, sed requiritur ut *juxta prudentem competentis legislatoris aestimationem* peccatum sit ordinis societatis ecclesiasticae perturbativum seu *damnum sociale* afferat [2], cum justitia criminalis, ut in ultimo fundamento, nitatur in tuitione et quasi defensione ordinis publice constituti. Hac ratione differt praeprimis delictum a peccato et delictum ecclesiasticum a crimine civili. Cum vero illa ratio perturbationis ordinis socialis pendeat ab adjunctis temporum, locorum, rerum et personarum, potest fieri quod, mutatis adjunctis, mutetur etiam ratio criminis. Caeteroquin, sicuti graviter aut leviter perturbari potest ordo socialis, ita dari possunt graviora vel leviora delicta, quibus proportionari debent poenae graviores vel leviores [3].

Proin triplex elementum constituit delictum : elementum subjectivum seu *dolus,* elementum objectivum seu *damnum,* et elementum juridicum seu *lex poenalis.*

Corollarium. Triplici capite differt peccatum a delicto :

a) Peccatum potest esse internum, delictum debet exterius sese prodere.

b) Peccatum est quaevis malitiosa juris violatio, delictum illa est dolosa legis violatio quae redundat in damnum societatis.

c) Peccatum divinae ultioni reservatur ; delictum legibus poenalibus humanis coercetur.

1687. — **II. De divisione delicti.**

Delicta dividuntur ratione objecti, gravitatis, notitiae fori et exsecutionis.

1688. — A. Delicta alia ab alis distinguuntur imprimis **ratione objecti :** « Qualitas delicti desumenda ex objecto legis, » (can. 2196). Objectum legis sunt variae res seu bona pro quibus tutandis leges constitutae sunt. Prout ergo hujusmodi bona diversae sunt speciei, ita etiam

---

1. Cf. can. 2217, § 1. — WERNZ, *o. c.*, p. 15 ss., ubi disserit de formula *nullum crimen sine lege poenali.* Cf. HOLLWECK, *o. c.*, p. 66, nota 2 ; D'ANGELO, *art. cit.*, ap. *Ephem. theol. Lovanien.*, p. 211 ubi recte admittit sine ulla restrictione necessitatem legis poenalis ad constituendum delictum.

2. Etsi illud elementum *damni socialis* directe non exprimatur in notione poenae qualis enuntiatur a codice, *indirecte* tamen comprehenditur, cum sit ratio fundamentalis legis poenalis ipsiusque potestatis coercitivae.

3. Cf. *Coll. Brug., l. c.*, p. 315 s. ; BENED. XIV, *De synod.*, l. x, c. 3, n. 1, 2. Non tantum delicta consummata, sed et attentata legitime poenis compescuntur. Cf. can. 2212 ss., de conatu delicti ; LEGA, *o. c.*, p. 25 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 41.

leges poenales et delicta in diversas species distinguuntur. Hinc in parte 3ª hujus libri habentur delicta contra fidem, religionem, vitam, libertatem, etc. [1].

1689. — B. **Ratione gravitatis.**

Gravitas delicti « dimetienda est non solum ex diversa gravitate legis laesae, sed etiam ex majore minoreve imputabilitate aut damno illato » (can. 2196) [2].

Gravitas legis laesae apparet signanter ex gravitate poenae a lege statutae v. gr., abusus sacrilegus sacrarum Specierum, quae plectitur excommunicatione specialissimo modo S. A. reservata.

1690. — C. **Ratione notitiae,** delicta dividuntur in *publica, notoria* et *occulta* [3].

1° « Est *publicum* si jam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, § 1).

Publicum hic sumitur sensu proprio et specifico prout opponitur ad materialiter et formaliter occultum [4]. Norma ad dignoscendum utrum delictum sit proprie publicum est ejus *divulgatio* aut *divulgationis periculum,* seu ejus notitia hic et nunc penes communitatem oppidi, viciniae, collegii habita aut proxime habenda. Quae res facti est, aestimationi viri prudentis relinquenda, qui adjuncta facti, numerum et praesertim indolem et qualitatem personarum pensabit [5].

2° *Notorium.* Ad notorietatem delicti in genere requiritur ut illud in facto vel in jure ita certum sit ut nulla amplius discussione egeat et nulla omnino possit tergiversatione celari [6]. Notandum venit factum debere esse notorium qua *criminosum,* ita ut de imputabilitate delicti nullum dubium moveri possit.

Delictum notorium est aut *notorietate juris* aut *notorietate facti.*

a) *Notorium est notorietate juris,* « post sententiam judicis competentis quae in rem judicatam transierit [7] aut post confessionem delinquentis in judicio factam ad normam can. 1750 » (can. 2197, 2°), sc.

---

1. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 8. Cf. etiam *Theol. Mechl., De peccatis,* n. 121 ss. ; GURY, *Theol. moral.,* t. I, n. 143 ss. ; BOUQUILLON, *Theol. mor. fundam.,* edit. 2ª, n. 387 ss. ; ed. 3ª, n. 393 ss.
2. Cf. can. 2218 ; S. C. de Relig., 16 maii 1911, n. 9, *AAS.,* t. III, p. 236.
3. Cf. hac de re, WERNZ, *o. c.,* p. 20 ss. ; FEYE, *De Matrimonio,* ed. 4, n° 85 ss.; ejusd. auct., *De judiciis,* p. 77 ss. ; *Coll. Brugen.,* t. XI, p. 44 ; SOLE, *o. c.,* n. 9 ss.
4. Delictum materialiter publicum, potest esse formaliter occultum. Publicum est proprio sensu, si nec materialiter nec formaliter sit occultum.
5. Cf. *Il Monit. eccles.,* 1924, 4 ser., t. VI, p. 276 ss. de sensu terminorum « delicta publica » in can. 1933.
6. Cf. COCCHI, *o. c.,* p. 8
7. Cf. supra, n. 1597.

« in scriptis aut oretenus... coram judice, sive sponte sive judice interrogante peractam »[1].

b) *Notorium est notorietate facti,* « si publice notum sit *et* in talibus adjunctis commissum ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit. » Nititur ergo haec notorietas ipsa evidentia delicti.

Plus est proin quam publicum etiam formaliter, quod plures gradus certitudinis admittit antequam evidenter constet de imputabilitate delicti commissi.

Tale notorium est triplex : α) facti permanentis, seu quod se exhibet notorie et continuo oculis hominum, ita ut ab omnibus possit videri ; β) facti transeuntis, seu quod in conspectu populi est commissum, sed nec continuatur nec iteratur ; γ) facti interpolati, seu quod publice fit et saepius iteratur, sed non continuo.

Ut crimen dici possit notorium notorietate facti, attendi tria debent :

Qualitas loci ; requiritur ut sit commissum in loco publico. Commissum itaque in domo privata et inhabitantibus solis notum, dici notorium nequit. Insuper consideranda est ipsa qualitas loci publici ; nam juxta ejus diversitatem major aut minor notorietas requiritur ; differunt enim certe vicinia, parochia, civitas, praesertim si de arduis omnino criminibus agatur.

Qualitas temporis ; v. gr., si nocte fuisset commissum, non posset regulariter dici notorium ; nisi tamen multi fuissent praesentes delicto, et ab his notitia pervenisset ad majorem partem communitatis.

Multitudo adstantium ; sed quot requirantur, non convenit inter auctores[2]. Juxta communiorem doctrinam relinquitur id prudenti judicis arbitrio, propter regulam ex qua, quod non statuitur in jure, arbitrio judicis censetur commissum. Judex autem circumstantias actus et temporis considerabit, maxime vero loci.

3° *Occultum* delictum est quod non est publicum, et est occultum *materialiter,* si lateat delictum ipsum, et occultum *formaliter* si lateat ejusdem imputabilitas (can. 2197, 3°).

1691. — D. **Ratione fori** dividuntur delicta in *mere ecclesiastica, mere civilia,* et *mixta.*

1° *Ecclesiastica* sunt, quae unice laedunt Ecclesiae legem (can. 2198). Hujusmodi sunt apostasia, haeresis, schisma, simonia, profanatio sacramentorum, fractio sigilli sacramentalis, aliaque praeterea, quae, sive a clericis, sive a laicis, patrata fuerint « natura sua sola ecclesiastica

1. Supra, n. 1581.

2. Cf. FAGNANUS, *o. c.,* in cap. 7. De cohabit. cleric. et mulierum, n. 77 ss. ; MUENCHEN, *o.* et *l. c.,* p. 109 s. ; *Theol. Mechlinien.,* De Matrim., n. 98.

potestas prosequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum judicaverit, auxilio brachii saecularis (can. 2198)[1].

2° *Civilia* sunt, quae unice laedunt legem societatis civilis et ideo jure proprio punit civilis auctoritas (can. 2198) ; talia sunt falsum, ebrietas, negatio servitii militaris, etc. Horum coercitio pertinet ad civilem rempublicam.

Excipitur tamen a) casus quo reus horum delictorum sit clericus [2] ; b) casus quo in delicto civili adsit peccatum, nam ratione peccati in delicta civilia etiam competens est Ecclesia quoad culpae definitionem et ecclesiasticarum poenarum irrogationem [3].

3° *Mixta* denique sunt, quae simul utriusque societatis legem laedit et ab utraque puniri possunt (can. 2198) [4]. Huc spectant v. gr., homicidium, abortus, duellium, delicta venerea, crimen usurarum, et similia, quae nostris legibus civilibus et jure canonico puniuntur. Attamen suadet can. 1933, § 3 ut « regulariter ne procedant (judices ecclesiastici) cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit [5]. »

1692. — V. **Ratione exsecutionis** dividuntur in delicta *consummata* seu vere et efficaciter commissa et in delicta *attentata* cum conatus delicti tantummodo committitur.

TITULUS II.

DE IMPUTABILITATE DELICTI ET DE CAUSIS ILLAM AGGRAVANTIBUS VEL MINUENTIBUS ET DE JURIDICIS DELICTI EFFECTIBUS.

1693. — I. **Fundamentum imputabilitatis.** Imputabilitas est proprietas actus moralis qua agenti tanquam ejus libero auctori adscribitur [6]. Jam vero :

1° « Imputabilitas delicti pendet ex *dolo* delinquentis vel ex ejusdem *culpa* in ignorantia legis violatae aut in omissione debitae diligentiae ; quare omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem » (can. 2199).

1. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 12.
2. Cf. can. 120.
3. Cf. supra, n. 231, 1509.
4. Cf. DEVOTI, *o. c.*, p. 232 ; WERNZ, o. c., p. 20.
5. Cf. supra, n. 231.
6. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 387.

Auctor delicti tantummodo potest esse homo [1], doli et culpae capax.

Utrum *personae morales* sint in foro ecclesiastico subjecta capacia delictorum in controversia est [2]. Quaestio *theoretice* spectata connectitur cum quaestione de subjecto jurium et obligationum in persona morali [3]. Practice jus ecclesiasticum continet leges poenales quarum subjectum passivum sunt personae morales collegiales ut tales, in quarum legum transgressione consistit delictum [4]. Quodsi jus prohibeat can. 2255, § 2 plectere excommunicatione personam moralem ut talem, non negat corporationibus capacitatem delinquendi et poenas stricte dictas subeundi seu potius eam implicite agnoscit [5]. Quoad personas *morales non collegiales,* v. gr., Seminarium aut beneficium, dicendum quod neque actus neque delicti capaces sint. Si poenae, v. gr., interdictum locale, territorii finibus definiuntur, revera physicas tantum personas afficiunt ; imo tanquam formales poenae eos tantum attingunt qui patrati, non impediti vel non reparati delicti rei fuerunt [6].

2° Imputabilitas delicti supponit proinde *dolum* aut *culpam.*

a) « *Dolus* heic est *deliberata voluntas violandi legem,* eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis [7] et ex parte voluntatis defectus libertatis [8] » (can. 2200, § 1). At, « posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur » (*ibid.*, § 2).

b) *Culpa* consistit in ignorantia voluntaria legis violatae aut in voluntaria omissione debitae diligentiae in aestimandis effectibus facile secuturis ex aliquo facto. Culpa eo distinguitur a dolo, quod non includat deliberatam voluntatem violandi legem, sed proveniat vel ex culpabili ignorantia legis, et tunc violatio legis, quamquam non voluntaria in se, est voluntaria in causa ; vel ex *inconsulta* actione aut omissione, ex qua ortus est eventus criminosus (i. e. nocumentum injustum) qui ab agente *potuit* vel *debuit* praevideri.

Fundamentum imputabilitatis delicti seu potius *quasi-delicti* ex culpa negligentiae, in eo est positum quod licet lex *directe* obliget ad evitandam *voluntariam* ipsius transgressionem, *indirecte* etiam obligat ad adhibendam diligentiam ne ex nostra actione, licet ex se non prohibita,

---

1. Cf. de poenis in mortuos, animalia, WERNZ, *o. c.*, p. 24, nota (4°) ; *Dict. apolog. de la foi cath.*, v° excommunication d'animaux ; *Rev. du clergé fr.*, t. LXXIX, 1914, p. 24 ss.
2. Cf. WERNZ, *o.* et *l. c.* ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 387 ; COCCHI, *o. c.*, p. 16 ; SOLE, *o. c.*, p. 142 s.
3. Cf. supra n. 324. Cf. etiam MAROTO, *o. c.*, p. 536 ss.
4. Cf. can. 2255, § 2 ; 2274 ; 2285 ; 2391.
5. Vide WERNZ, *o. c.*, p. 26 s.
6. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 387.
7. Nempe ignorantia, error, inadvertentia.
8. Vis, metus, passio.

idem nocumentum sive in aliam personam sive in bonum publicum redundet, quod ex voluntaria legis transgressione oriretur [1].

1694. — II. De causis in delicti imputabilitatem influentibus.

Inter has causas aliae dolum aut culpam et consequenter imputabilitatem et delictum *tollunt ;* aliae *minuunt* imputabilitatem et aliae eam *aggravant.* Circa eas sequentes statuuntur normae, juxta quas judex applicare tenetur poenas quae infliguntur *per sententiam condemnatoriam.*

1695. — A. Causae tollentes delicti imputabilitatem.

1° Carentia usus rationis.

a) « Delicti sunt incapaces qui *actu carent ratione* » (can. 2201, § 1). Hujusmodi sunt infantes [2], dormientes, perpetuo amentes, violenti febri correpti.

b) « *Habitualiter amentes,* licet quandoque lucida intervalla habeant, vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, delicti tamen incapaces praesumuntur » (*ibid.,* § 2). Illa praesumptio juris tantum est. In criminalibus nonnisi difficulter haec probatio contraria admittitur ; facilius vero, maxime favore amentis, in civilibus [3]. Si dubitetur de amentia aut dementia, quaestio a judice ex adjunctis definienda est, adhibitis viris peritis ad normas can. 1792, 1804 [4].

c) « Violata... autem lege, in *ebrietate involuntaria,* imputabilitas exsulat omnino, si *ebrietas usum rationis adimat ex toto* [5]... Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationibus [6] » (*ibid.,* § 3).

3° Si **ignorantia** fuerit *inculpabilis,* violatio legis nullatenus imputatur (can. 2202, § 1) [7]. Quod etiam valet de *inadvertentia* et de *errore* (*ibid.,* § 3), et merito quidem nam idem effectus est in casu quoad deliberationem voluntatis, sive quis nullam notitiam habeat de re, quod est ignorare ; sive, etsi non ignoret, tamen in praesens non animadvertat, quod est inadvertere ; sive falsam notitiam de re habeat, quod est errare [8].

---

1. Cf. SOLE, *o. c.,* p. 14 ; WERNZ, *o. c.,* p. 32 ss., de *quasi-delicto* ecclesiastico. Cf. HEIMBERGER, *Die Schuld im Strafrecht des C. j. c.* (Extr. des Festschrifts G. Aschaffenburg), Heidelberg, 1926. Cf. etiam SALUCCI, *o. c.,* p. 14.
2. Cf. can. 88, § 3 quo censentur pueri ante septennium non sui compotes. — « Infantes incapaces doli habentur et proinde poenae, etsi habeant usum rationis » MAROTO, *o. c.,* p. 494. Cf. etiam can. 2204.
3. Cf. MAROTO, *o. c.,* p. 498 s.
4. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 24 ; cf. *ibid.,* nota 2 quaedam de modernis theoriis circa amentiam aut dementiam. Vide etiam WERNZ, *o. c.,* p. 26, nota (52) ; SALUCCI, *o. c.,* p. 16 s.
5. Cf. SALUCCI, *o. c.,* p. 17 s.
6. Quas patiuntur v. gr. noctambuli, hypnotizati.
7. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 30 ss.
8. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 28.

Ignorantia inculpabilis seu invincibilis physice aut moraliter, sive versatur circa *factum* aut circa *jus*, cum excludat dolum et culpam, excusat in foro externo a poena [1] *dummodo probetur*, nisi praesumatur a jure. Jam vero ex can. 16, § 2 : « Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium non praesumitur ; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur [2]. » Attamen « ignorantia *solius poenae* imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantulum minuit » (can. 2202, § 2). Ratio primi asserti est quia cognitio gravis legis prohibentis, implicite cognitionem poenae subaudit [3] ; ratio secundi asserti est, quia quo minus aut magis perspecta habetur cognitio poenae, eo minor aut major est perversitas voluntatis et dolus.

Postea dicetur ad can. 2229 [4] an et a quibus poenis latae sententiae incurrendis excuset ignorantia tum in foro interno, tum in foro externo.

3° « **Casus fortuitus** qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, a qualibet imputabilitate eximit » (can. 2203, § 2). Hoc in casu exulat omnis dolus et culpa.

4° « **Vis physica** quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit » (can. 2205, § 1) [5].

5° « **Metus** quoque gravis, etiam relative tantum [6], **necessitas** [7], imo et **grave nocumentum,** plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt » (*ibid.*, § 2).

Dicitur illas causas tollere *plerumque* delictum, si agatur *de legibus mere ecclesiasticis,* nam illae leges quae vim obligandi unice a jure ecclesiastico mutuant debent esse humanae fragilitati accommodatas ; id autem non esset, si obligarent cum periculo gravis damni [8]. Sed a servandis praeceptis juris naturalis aut divini, nulla metus, nullumque incommodum aut detrimentum excusare potest. Ideo dicitur « Si vero

1. Non ab irregularitatibus, cf. can. 988.
2. Cf. MAROTO, *o. c.*, p. 243 ; SOLE, *o. c.*, n. 28 s.
3. Tamen, uti notat COCCHI, *o. c.*, p. 18 ignorantia poenae redundare potest in ignorantiam legis, si quis ex ignorantia poenae falso putat legem graviter non obligare. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 32.
4. Infra, n. 1715 ss.
5. Cf. can. 103, § 1. Vide etiam BRETON, *La notion de violence en tant que vice de consentement,* Paris, 1925.
6. Cf. Can. 103, § 2, supra n. 330 ; CLAEYS-BOUUAERT, *De metus influxu quoad valorem actuum et quoad delicta et poenas secundum cod. jur. can.*, ap. *Jus Pontif.*, 1926, t. VI, p. 105 ss. ; 138 ss. ; CRNICA, *De metu gravi ut causa eximente a poenis l. s., ibid.*, t. V, p. 9.
7. Agitur de necessitate extrema aut extremae aequiparata conservandi propriam vitam. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 60 s.
8. SOLE, *o. c.*, n. 34. Dicitur *plerumque*, quia propter rationem boni communis, potest aliquando Superior urgere legem suam licet cum gravi incommodo sit conjuncta.

actus sit intrinsece malus (v. gr. perjurium), aut vergeret in contemptum fidei (v. gr., negare christianam religionem) vel ecclesiasticae auctoritatis (v. gr. inire matrimonium coram ministro acatholico) vel in animarum damnum (v. gr. legem divinam-humanam residentiae non servare tempore pestis), causae de quibus in § 2 delicti imputabilitatem minuunt quidem, sed non auferunt » (can. 2205, § 3).

6° Ad causam necessitatis accedit causa legitimae **tutelae** seu propriae defensionis contra injustum agressorem ; haec enim delictum omnino aufert si servetur moderamen, seu si defensionis modus proportionatus est necessitati defensionis (*ibid.*, § 4). Quae excusatio sese extendit etiam ad defensionem libertatis contra injuste volentem redigere in servirtutem et ad defensionem bonorum mixtam cum periculo vitae [1].

7° **Passio** omnino tollit imputabilitatem « si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat » (can. 2206). Agitur praesertim de passione irae aut justi doloris orti ex gravi et justa causa [2]. Hic impetus passionis impediens usum rationis in foro externo probandus est.

1696. — B. **Causae minuentes imputabilitatem.**

1° **Ebrietas.** « Delictum in ebrietate *voluntaria* commissum aliqua imputabilitate non vacat, sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita sit ; idem dicatur de similibus mentis perturbationibus » (can. 2201, § 3).

2° « **Debilitas mentis** delicti imputabilitatem minuit » (*ibid.*, § 4).

3° **Ignorantia** culpabilis legis vel facti minuit imputabilitatem plus minusve pro ignorantiae ipsius majori aut minori culpabilitate [3] ; item ignorantia solius poenae minuit aliquantum delictum. Quod etiam valet de inadvertentia et errore (can. 2202).

4° **Omissio debitae diligentiae,** unde oritur quasi-delictum seu culposa et damnosa violatio legis, in foro externo imputabilitatem minuit pro modo a judice ex adjunctis determinando (can. 2203, §1). Judex attendendo ad subjectum obligationis, ad rationem majoris vel minoris damni sive privati sive publici ex negligentia orti, et ad ipsam prohibitionem aut praescriptionem quae forsan expresse facta est ad finem evitandi eventus noxii et criminosi ex culpa negligentiae facile secuturi [4], determinabit adesse levem aut gravem aut dolo proximam omis-

---

1. Cf. exempl. c. .3, X, V, 39. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 31.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 50 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 29.
3. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 29.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 34.

sionem debitae diligentiae. De qua extrema diligentiae omissione statuit codex : « quod si (quis) rem praeviderit, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo » (can. 2203) [1].

5° « **Minor aetas,** nisi aliud constet, minuit imputabilitatem eoque magis quo ad infantiam propius accedit » (can. 2204) [2] ; ita aetas impubes, etsi per se imputabilitatem non excludit, ut circumstantiam minuentem a judice prudenti arbitrio in singulis casibus erit aestimanda.

6° **Metus gravis, necessitas, grave incommodum** « si actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum... delicti imputabilitatem minuunt » (can. 2205, § 3).

7° Idem dicendum est de **causa legitimae tutelae,** si debitum non servetur moderamen, sicut etiam de causa provocationis quae ansam dedit propriae tutelae (*ibid.*, § 4).

8° **Passio** antecedens, quo magis usum rationis perturbat eo plus imputabilitatem minuit (can. 2206). Passio antecedens ea est quae *ante actum* in anima sponte oritur, per oppositionem ei quae ex ipsa actione, vel deliberate ante eam excitatur [3].

1697. — C. **Causae quae imputabilitatem augent :**

1° **Passio** deliberate excitata vel nutrita (can. 2206).

2° **Major dignitas** personae quae delictum committit, aut quae delicto offenditur (can. 2207, § 1) ; ita propter idem delictum v. gr., blasphemiae, gravioribus poenis punitur clericus quam laicus, nam in illius crimine major est perversitas, majusque scandalum ; item quo major est dignitas personae offensae eo major est dolus et majus damnum sociale.

3° **Abusus auctoritatis vel officii** ad delictum patrandum (can. 2207, § 2), ne quod ad bonum publicum et in utilitatem animarum institutum est, vergat in detrimentum societatis et fidelium.

4° **Reincidentia in eodem aut in diverso delicto.**

a) « Recidivus sensu juris est qui *post condemnationem* rursus committit delictum ejusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adjunctis ut ejusdem *pertinacia* in mala voluntate prudenter conjici potest » (can. 2208, § 1). Si in jure canonico, sicuti in jure civili, mitius, per correptionem judicialem [4] aut per condemnationem conditio-

1. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 20 s.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 27 ss. ; SALUCCI, *o. c.*, p. 24 ss. ; SOLE, *o. c.*, n. 31. Quoad applicationem poenarum, cf. can. 2230.
3. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 390.
4. Cf. can. 1947-1953.

natam [1] in primis trangressionibus procedat Ecclesia, a contrario jus canonicum semper specialem rationem habuit conditionis *recidivi* ad novorum delictorum imputabilitatem, tenens reincidentiam post condemnationem aut incursam poenam latae sententiae, ut causam delictum aggravantem, et prodentem, attentis adjunctis, pertinaciam in mala voluntate, praesertim si de reincidentia agatur in delictis ejusdem generis [2].

b) Nihilominus reincidentia etiam in delictis diversi generis non negligitur,cum inde reus ex communiter contingentibus revelet majorem contemptum auctoritatis et majorem malitiam. Ideo disponitur : « Qui pluries deliquerit etiam in diverso genere, suam auget culpabilitatem » (can. 2208, § 2).

1698. — III. **De complicitate seu de concursu plurium in eodem delicto** [3].

1° **Notiones.** a) Idem delictum a pluribus personis in illud concurrentibus sive ut coauctoribus sive ut cooperatoribus patrari potest. Hujusmodi personarum concursus primo considerari potest in his delictis quae *suapte natura* complicem postulant, ut duellum, adulterium. Hae personae sunt formaliter et materialiter pleno sensu auctores communes delicti. Potest praeterea concursus ille considerari in aliis delictis ad quae patranda alius cooperatio non requiritur sed *re* ex plurium concursu ortum ducunt.

b) Jam vero concursus in hoc ultimo casu potest esse α) *physicus* seu materialis aut *moralis,* prout concurrentes in consummationem unius ejusdemque delicti vere manus apponant seu operam dent, vel prout influant in delinquentis voluntatem, mandato, consilio, consensu ; β) *positivus* aut *negativus,* prout concurrentes actionem physicam aut moralem ponant ad delictum patrandum, vel cum juridice teneantur impedire non impediant, omittendo actionem impedientem vel physicam vel moralem [4].

c) Cum delictum perficiatur *dolo* seu cum proposito delinquendi et *facto* seu propositi delicti exsecutione, hinc ut delictum imputari possit unicuique ex concurrentibus in eo, requiritur in singulis eorum voluntas delinquendi et participatio aliqua in delicti exsecutionem ; praeterea ut verus sit eorum concursus seu cooperatio, oportet intercedat inter dolum et factum externum vinculum causalitatis saltem moralis [5]. Ideo ut plures

1. Cf. can. 2288. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 49.
2. Cf. can. 2408 ; 2414 ; 2182 ss. ; 2311.
3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 52 ss. ; SALUCCI, *o. c.*, p. 35 ss.
4. COCCHI, *o. c.*, p. 24 s. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 53 s.
5. Cf. SOLE, *o. c.*, p 33.

delinquentes sint *vere cooperatores* aut *concurrentes* dici possint in ordine ad imputabilitatem criminalem requiritur α) aliquis actus *externus*, qui sit β) *voluntarius* ac praeterea γ) *delictuosus* quo sc. quis in delictum ut tale, non mere materialiter cooperetur, δ) *efficax* ita ut sine illa participatione delictum vel patrari non potuisset, vel difficilius ; ε) *positivus* aut saltem *negativus* in casu quo adsit juridica obligatio delictum impediendi [1].

Ergo concursus mere materialis sine proposito delinquendi seu sine dolo non sufficit ; nec concursus *mere formalis*, cum propositum delinquendi, etiam exterius manifestatum, sine externa actione vinculo causalitatis saltem moralis ad delictum exsequendum ordinata, non possit esse ratio cur delictum ab alio patratum alicui imputetur. Quare etiam delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquenti exhibitus favor et alii actus *post* delicti exsecutionem sequentes, *nova delicta constituunt tantum* cum a lege specialiter recensentur ; at non possunt puniri titulo concursus aut cooperationis, quae ne quidem concipi possunt in actione delictum subsequente, nisi ponantur ex conventione aut promissione ante delictum facta.

d) Codex distinguendo concurrentes seu conreos in *principales* et *accessorios* [2], vocat *principales* tum qui in delicto exsequendo *physice* concurrunt ex communi delinquentium consilio, tum illi qui in propositum delinquendi directe influunt ad modum *causae moralis*, mandando vel jubendo ; tum omnes illi qui ad delicti consummationem ita moraliter aut physice concurrunt ut sine opera eorum crimen patratum non fuisset; vocat vero conreos *accessorios* qui cooperatione sua positiva vel negativa efficiunt ut crimen facilius et efficacius perpetretur. A concurrentibus secernit qui crimen jam perfectum sive moraliter sive physice tuentur.

2° **Normae quoad cooperationis imputabilitatem.**

a) *Cooperatores principales* α) « Qui communi delinquendi consilio *physice* concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adjuncta alicujus culpabilitatem augeant vel minuant » (can. 2209, § 1), etenim delictum in casu non provenit nisi ex omnium concurrente intentione et actione, ideoque unicuique ut coauctori est imputabile, etsi circumstantiae personales (aetatis, sexus, auctoritatis, instigationis, etc.) aggravantes aut minuentes pro singulis sint considerandae [3] ;

β) « In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquaeque

1. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 25 ; WERNZ, *o. c.*, p. 52 s., 57.
2. Cf. LEGA, *o. c.*, n. 40 ; WERNZ, *o. c.*, p. 56 s.
3. Cf. exemplum in can. 2331, § 2

pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adjunctis aliud appareat » (*ibid.*, § 2) [1].

γ) « Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hoc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine opera eorum commissum non fuisset » (*ibid.*, § 3).

Mandatum hic stricto sensu intelligendum est, et est proprie *pactum sceleris* constans ex propositione delicti in favorem mandantis patrandi et ex acceptatione mandatarii [2]. Inter alios qui in consummationem delicti concurrunt moraliter aut physice veniunt : jubentes, provocantes seu instigantes, consilium dantes, auxilium materiale aut morale praestantes, media praebendo, obstacula renovendo [3]. Hujusmodi correi dummodo eorum cooperatio adeo sit efficax ut sine ipsa delictum patratum non fuisset, contrahunt merito eamdem imputabilitatem quam ipse delicti exsecutor, cum haberi debent ut vera causa delicti commissi [4]. Attamen pro unoquoque delinquentium circumstantiae personales majoris aut minoris imputabilitatis attendendae sunt.

Correi principales obligatione tenentur *in solidum* expensas judiciales et damna resarciendi (can. 2211) ; si cum impuberibus in delictum concurrerint, ipsi quidem poenam a lege statutam incurrunt (can. 2230) ; licet unus tantum in lege poenali nominetur, tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena (can. 2231) [5].

b) *Cooperatores accessorii* α) Si cooperatorum concursus « facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorumdem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert » (can. 2209, § 4). Ratio ex praecedentibus patet ; β) « Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum » (*ibid.*, § 6). Agitur hic de illis qui obligatione juridica assumpto officio tenentur ad delictum impediendum. Quo in casu potius quis punitur ob delictum omissionis contra legem talem obligationem imponentem, quam ob concursum in alterius delictum ; v. gr., si quis praepositus custodiae archivi,

---

1. Cf. exempla in can. 2351 ; 2371 ; 2388 ; 2392.
2. Forsan mandato aequiparanda est jussio cum promissione aut acceptatione alterius. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 61 s.
3. Exempla in can. 2338, § 3 ; 2342, n. 1, 2 ; 2346 ; 2347; 2350, § 1; 2351, § 2 ; 2362 ; 2394, n. 3.
4. Distinctio quam olim statuerunt quidam auctores inter poenas ferendae sententiae et poenas latae sententiae non attenditur a codice. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 58 ss.
5. Cf. can. 2350, § 1.

sive ex *negligentia* (delictum culposum) sive ex conniventia *dolose* sinit subtrahi documenta [1].

c) *Imputabilitas actuum delictum subsequentium.* « Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum jam plene absolutum subsequentes, *nova delicta* constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur ; sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem » (*ibid.*, § 7). Ratio hujus praescripti in promptu est, cum fautores delinquentium veri cooperatores non sint, quia actus eorum nullum influxum in delicti exsecutionem habere potuerunt, nisi de his, ante delictum conventum fuerint ; nova proin constituunt delicta, si de ipsis expresse lex poenam statuat [2].

d) *Retractatio influxus.* Cooperator sive principalis sive accessorius « qui suum influxum in delictum patrandum *opportuna* [3] retractatione abduxerit *plene*, ab omni imputabilitate liberatur [4], etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit ; si *non abduxerit plene*, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem » (*ibid.*, § 5).

1699. — IV. **Effectus juridici delicti.**

1° Ex delicto oritur *actio poenalis* ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam [5]. Haec actio reservatur promotori justitiae et procedit ad normam can. 1933 ss. (can. 2210, § 1, 1°) ; Praeterea si cui delictum damnum intulerit, oritur *actio civilis* ad reparanda damna. Haec actio explicatur ad normam can. 1552 ss. (*ibid.*, 2°). « Idem judex in criminali judicio potest *ad instantiam partis laesae* civilem actionem ad examen revocare et definire » (*ibid.*, § 2).

3° Omnes conrei seu in delictum concurrentes *principales* « obligatione tenentur *in solidum* expensas et damna resarciendi quae ex delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a judice pro rata damnati » (can. 2211). Qui enim totius damni coauctor aut cooperator est, ipse solus ad totum damnum resarciendum jure merito tenetur, si alii in delicto complices solvendo impares sunt.

---

1. Ita WERNZ, *o. c.*, p. 53 s. Cf. tamen can. 2351, § 1 de duellum non prohibentibus.
2. Cf. can. 2338, § 2, § 3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 63 s., ubi notatim sermo est de favore aut ratihabitione criminis tractum successivum habentis seu permanentis, qui actus merito aequiparantur cooperationi.
3. Nempe tempore utili suam revocationem exsecutori certiorem facere tenetur.
4. Nisi forsan poenae latae fuerunt in mandatum ipsum, quasi in delictum sui generis, cf. CAPPELLO, *De censuris*, ed. alt., n. 26.
5. V. gr., reparatio scandali, retractatio haeresis.

TITULUS III.

DE CONATU DELICTI.

Hucusque de delicto *perfecto* locuti sumus, at non solum crimen perfectum seu consummatum imputatur ad poenam, sed etiam crimen imperfectum ubi violatio legis non absolvitur, etsi reus cum intentione delinquendi quosdam saltem actus posuerit qui natura sua proximam vel remotam ad delicti consummationem relationem habeant ; aliis verbis delicti conatus et delictum frustratum in jure canonico imputantur ad poenam [1].

1700. — I. **Notiones.** 1° *Delicti conatus.* « Quicumque actus posuerit vel praetermiserit qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, vel quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel inaptitudinem mediorum perficere non potuit, *delicti conatum* committit » (can. 2212, § 1).

Ad conatum delicti, qui merito dicitur delictum *imperfectum* requiritur ergo actus qui natura sua importat externum initium exsecutionis, quod ad effectum completum non fuit perductum eo quod qui illud posuerit propria voluntate a delicto incoepto destiterit, aut quia media adhibita, sive sint instrumenta sive socii, insufficienta aut inapta fuerint.

2° *Delictum frustratum.* « Cum omnes actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, si ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sint, delicti conatus dicitur proprio nomine delictum *frustratum* » (2212, § 2). Hoc in casu conatus est perfectus cum omnes actus exsecutivi ex parte agentis requisiti sint positi ita ut *subjective* delictum consummatum dici possit [2] ; at delictum non perficitur propter causam independentem ab ipsa voluntate delinquentis, v. gr., naturali pluvia ignem exstinguente, ictus evasione ab homine impetito, propinato remedio contra procuratum abortum [3].

3° « Conatui delicti accedit actio illius qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed inefficaciter » (*ibid.*, § 3).

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 41 ss. ; SOLE, *o. c.*, p. 38 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 395 ss. ; D'ANNIBALE, *Sum. th. mor.*, t. I, n. 298, not. 25 rem clarissime proponit exemplo : Ita si Titius necem Osio minatur (en pravi consilii significatio) ; serius arma emit, Osium quaerit ut exsequatur pravum consilium (en delicti praeparatio) ; resciens Osium domi solum esse, domum noctu perfringit (conatus remotus) ; inventum in terram dejicit, ensem stringit ipsum confossurus (conatus proximi) ; Osius deflexit atque ictus in cassum recidit (conatus frustratus) ; mox iterum ferit et *occidit* (en delictum simpliciter consummatum). Cf. etiam WERNZ, *o. c.*, p. 52 s.

2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 42 s.

3. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 41 ; alia exempla ap. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 396.

4° « Si conatus delicti peculiari poena in lege mulctetur, verum constituit delictum » (*ibid.*, § 4). Exempli gratia citatur conatus duelli (can. 2351, § 1) [1].

1701. — II. **Imputabilitas conatus delicti.**

1° « Delicti conatus suam habet imputabilitatem, eo majorem, quo magis ad consummationem accedit, quamquam minorem prae delicto consummato, salvo praescripto § 3 » (can. 2213, § 1), juxta quod, qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, ab omni imputabilitate liberatur, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit. Imputabilitas poenalis [2] habetur in conatu delicti cum in eo adsunt omnia elementa subjectiva et objectiva delicti : nempe dolus et damnum quod ex externa et dolosa violatione legis poenalis consistit in perturbatione ordinis socialis.

2° « Delictum frustratum magis culpabile est, quam simplex delicti conatus » (*ibid.*, § 2). Minori tamen poena est puniendum quam delictum consummatum cum per crimen frustratum minus perturbetur ordo socialis.

3° « Delictum frustratum aut conatus delicti, nisi tanquam distincta delicta lege plectantur, possunt congrua poena pro gravitate puniri » (can. 2235) [3].

---

1. Merito notant VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 397. « Si actus non perficitur quia irritus ab Ecclesia declaratur, ipsa hujus actus attentatio non est conatus delicti sed delictum. Haec enim attentatio lege poenali prohibetur et qua talis consummata est » ; v. gr., attentatio matrimonii a clerico in sacris constituto aut a religioso (can. 2389) ; absolutio complicis in peccato turpi (can. 2367).

2. Imputabilitas *moralis* conatus delicti interdum eadem est ac ipsius delicti.

3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 397. Vide etiam WERNZ, *o. c.*, p. 43 ss. ; de poenis latae sententiae ob conatum delicti, cf. can. 2242, § 1.

PARS SECUNDA

DE POENIS.

Fontes. Decret. Greg. IX, l. V, tit. 37, 38, 39 ; Lib. sext., l. V, tit. 9-11 ; Clem., l. V, tit. 8-10 ; Extrav. Joan. XXII, tit. 12 s. ; Extrav. com., l. V, tit. 8-10.
Cod. can. 2214-2414.

Auctores. THESAURUS-GIRALDI, *De poenis ecclesiasticis*, Romae, 1760 ; DEVOTI, *o. c.*, t. II, p. 374 ; KOBER, *Der Kirchenbann nach den Grundsätzen des kanonischen Rechtes*, Tübingen, 1857 ; *ejusd. auct., Die Suspension der Kirchendiener*, Tübingen, 1862 ; FEYE, *Tract. autogr. de poenis ;* STREMLER, *Traité des peines ecclésiastiques*, Paris, 1861 ; MUENCHEN, *Das kanon. Gerichtsverfahren und Strafrecht*[2], t. II. *Das kanon. Strafrecht*, Köln, 1874 ; D'ANNIBALE, *Commentarius Reatinus in C. « Apostolicae Sedis »*, Reatis, 1874 ; GODSCHALK, *Constitutio « Apostolicae Sedis »*, Gestel, 1874 ; PIAT, *Commentarius in C. « Apostolicae Sedis »*, Tornaci, 1881 ; PENNACCHI, *Commentaria in C. « Apostolicae Sedis »*, Romae, 1884 ; HILARIUS A SEXTEN, *Tractatus de censuris ecclesiasticis cum appendice de irregularitate*, Moguntiae, 1898 ; HOLLWECK, *Die kirchl. Strafgesetze*, Mainz, 1899 ; LEGA, *Praelectiones de judiciis ecclesiasticis*, l. II, vol. III, p. 80 ss., Romae, 1900 ; KAHN, *Etude sur le délit et la peine en droit canonique*, Paris, 1902 ; KOECK, *Die kirchliche Zensuren latae sententiae*, Graz, 1902 ; GOYHENÈCHE, *Nouveau commentaire pratique des censures lat. sententiae*, etc., Paris, 1907 ; *Diction. de théol. cath.*, v° censure ; OJETTI, *Synopsis*, v° censura ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 776 ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 335 ss. ; WERNZ, *o. c.*, t. VI, *Jus poenale ecclesiae catholicae*, Prati, 1913 ; ARNDT, *Die Zensuren latae sententiae nach neuestem Recht*, Innsbruck, 1918 ; CRNICA, *Modificationes in tractatu de censuris*, St. Maurice-en-Valois, 1919 ; CHELODI, *Jus poenale et ordo procedendi in judiciis criminalibus*, Tridenti, 1920 ; CERATO, *Censurae vigentes ipso facto*, ed. 2, Patavii 1921 ; LEECH, *A comparative Study of the Constitution « Apostolicae Sedis » and the « Codex j. c. »*, Washington, 1922 ; MURPHY, *Delinquencies and penalties in the administration of the Sacraments*, Washington, 1923 ; RUIBAL, *Derecho penal de la Iglesia catolica segun el Codico canonico vigente*, 2 vol., Santiago de Compostella, 1925 ; PISTOCCHI, *I canoni penali del Codice ecclesiastico esposti e commentati*, Turino, 1925 ; CIPOLLINI, *De censuris l. s., juxta codicem j. c.*, Turino, 1925 ; CAPPELLO, *De censuris*, ed. 2, Taurinorum Augustae, 1925 ; SALUCCI, *Il diritto penale secondo il codice di diritto canonico*. T. I, Subiaco, 1926 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *De censuris*, ed. 16-17, Innsbruck, 1926. Vide etiam supra p. 113.

Sub respectu historico, cf. DEVOTI, *o. c.*, p. 211 ss. ; KOBER, *o. c. ;* SAEGMUELLER, *l. c.*, § 175, coll. § 169 ; FRIEDBERG *, *Kirchenrecht*[6], p. 286 ss.; WERNZ, *o. c.*, passim; HINSCHIUS *, *Kr.*, t. IV, p. 691 ss.; t. V, p. 1 ss.; EICHMANN, *Acht und Bann im Reichsrecht des Mittelalters*, Paderborn, 1909 ; KREHBIEL, *The interdict, its history and its operation*, Washington, 1909 ; KANTOROWICZ, *Albertus Gandinus und das Strafrecht der Scholastik*. 1 Bd. Die Praxis, Berlin, 1912 ; VERNAY, *Le « Liber de excommunicatione » du cardinal Bérenger*

Frédol, précédé d'une introduction historique sur l'excommunication et l'interdit en droit canonique à la fin du XIII^e siècle, Paris, 1912 ; O'DONNELL, *Reservation in the Early Church,* in *The Journal of theol. Studies,* 1914, p. 111 ss. ; ANKER, *Bann und Interdikt im 14 u. 15 Jahrh. als Voraussetzung der Reformation,* Tübingen, 1919; HEIS, *Das Strafrecht des deutschen Mittelalters.* T. I, Leipzig, 1920 ; MUEHLEBACH, *Die Infamie in der Dekretalengesetzgebung,* Paderborn, 1923 ; MEISSNER, *Zur Geschichte der Degradation,* in *Zeitsch. d. Savigny-Stift,* XLIV Bd., Kan. Abt., XIII, 1924, p. 427 ss. ; GILLMANN, *Zur Gratians und der Glossatoren, insbesondere des Johannes Teutonikus Lehre über die Bedeutung der « causa justa » für die Wirksamkeit der Exkommunikation,* in *Arch. f. K. Kr.,* 1924, t. CIV, p. 5 ss. ; MOREL, *L'excommunication et le pouvoir civil en France, du droit canonique classique au commencement du XV^e siècle,* Paris, 1926.

Ordo Codicis. Postquam in parte I libri V, in genere actum est de delictis quae sunt objecta judiciorum criminalium, valde logice agitur in parte secunda de poenis quae crimina sequuntur. Illa pars constat duplici sectione : prima, de poenis in genere (tit. IV-tit. VII, can. 2215-2240), praecedente canone introductorio de jure ecclesiae coactivo et de usu et fine potestatis coercitivae (can. 2214) ; secunda, de poenis in specie (tit. VIII-tit. X, can. 2241-2313). Quae normae applicandae erunt interpretationi canonum tertiae Partis, de poenis in singula delicta (tit. XI-tit. XVIII, can. 2314-2414).

SECTIO I.

DE POENIS IN GENERE.

INTRODUCTIO.

§ 1. DE POTESTATE ECCLESIAE COACTIVA.

1702. — I. **Jus Ecclesiae.** « Nativum et proprium Ecclesiae jus est, independens a qualibet humana auctoritate coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus, tum etiam temporalibus » (can. 2214, § 1).

Potestatem coercendi legum violatores et criminum reos Ecclesiae competere, ut jus sibi a divino fundatore collatum, consequens naturam sibi propriam societatis juridice perfectae et independentis a qualibet alia societate, *probatur :*

1° *Ex S. Scriptura.* a) Ex textu Matth., XVIII, 15 supra allegato[1]. b) Ex epistolis S. Pauli[2]. Potestatem coactivam sibi divinitus collatam fuisse, S. Paulus saepius denuntiat. Namque II Cor., XIII, 10, *Ideo,* inquit,

1. N. 1508.
2. Cf. STRAUB, *o. c.,* p. 7 s. ; SALUCCI, *o. c.,* p. 57 s.

haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi. Ibid., X, 6, profitetur se habere *in promptu ulcisci omnem inobedientiam ;* hocque, ut ait, V, 8, ex *potestate, quam dedit nobis Dominus.* II Thess., III, 14 : *Si quis,* ait, *non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo.* Et 1 Cor., IV, 21 : *In virga veniam ad vos ?* Dein eam factis ostendit : in Hymenaeum et Alexandrum [1], itemque in Corinthium incestuosum animadvertit, quem postea, cum resipuisset, poena solvit atque Ecclesiae communioni restituit.

2° *Ex ecclesiae praxi.* Notum est ex documentis Traditionis Christianae, et allegatis ex Corpore juris canonici quaenam Ecclesiae semper praxis fuerit in infligendis poenis spiritualibus et temporalibus. Jam vero impossibile est Ecclesiam universalem, seu supremam auctoritatem errasse sibi vindicando jus quo carebat [2].

3° *Ex S. Sedis condemnationibus et declarationibus.* Certum omnino est propositionem, qua Ecclesiae denegatur potestas coercitiva, fuisse pluries damnatam ut haereticam. Sic in const. *Licet juxta doctrinam* Joannis XXII, an. 1327, contra Marsilium Patavinum et Joan. Jandunum [3] ; in brevi *Ad assiduas Benedict.* XIV ; in bulla *Auctorem fidei* contra Syn. Pistoriensem, 28 aug. 1794 [4]. Recentius in brevi dogmatico *Ad apostolicae,* 22 aug. 1851, quo Pius IX damnavit opera Joannis Nuytz, inter reprobatas propositiones recensetur illa, qua asseritur *Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere, neque potestatem temporalem ullam directam vel indirectam* [5]. Hanc potestatem Ecclesiae recenter proclamavit [6] Leo XIII : « Revera Jesus-Christus apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, judicandi puniendique potestate [7]. »

4° *A ratione.* Nam sine jure coercendi nihil efficax est potestas condendi leges et judicandi quae, uti supra demonstravimus Ecclesiae competit ut societati juridice perfectae et independenti. Quid enim prodesset jubere vel vetare, si ii, qui legibus parere detrectant, coerceri et puniri non possent ? Quid juvat judicia exercere, si sententiam exsequi non possis ?

Sic generatim vindicata Ecclesiae potestate coercitiva, speciatim jam discutiendum venit, *an Ecclesia habeat potestatem infligendi censuras latae sententiae et poenas corporales.*

1703. — II. Potestas ecclesiae ferendi censuras latae sententiae.

---

1. I ad Timoth., I, 18-20.
2. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 179 ss. ; SOLE, *o. c.*, n. 64.
3. Cf. DENZIGER-BANNWART, 427.
4. Cf. DENZIGER-BANNWART, n. 1367, 1368.
5. Hanc propositionem refert Syllabus, n° XXIV.
6. Cf. testimonia circa Ecclesiae hac de re doctrinam ap. STRAUB, *o. c.*, p. 8 s.; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 176 ss.
7. Encycl. *Immortale Dei.* Cf. ejusd. Pontificis encycl. *de unitate Ecclesiae,* 29 jun. 1896. « Ligandi solvendique translata locutio, jus ferendarum legum, item judicandi vindicandique designat potestatem ». Cf. etiam WERNZ, *o. c.*, p. 85 s.

Censura latae sententiae est illa, qua « *homo, per solam legis transgressionem, nulla praevia monitione, ejusdem legis ministerio statim perstringitur* [1], »

1° Ejusmodi censuras, praecipue vero excommunicationes latae sententiae, *improbarunt* [2] Godscalcus Rosemundus, Van Espen, Pistorienses et alii ; vel a) quia non praecedit canonica monitio, et consequenter non constat de rei contumacia ; vel b) quia non praecedit examen personale, quod de jure naturali et divino ad poenas infligendas requiritur ; vel c) quia primis decem Ecclesiae saeculis ignotae, recenter adinventae fuerunt [3].

2° Verum a) quid censuris latae sententiae deest quod *jure naturali* requiritur ad censuram incurrendam ? Prorsus nihil : adest *delictum,* et quidem ex gravioribus, ut supponitur ; nam nonnisi pro istis feruntur. Adest *admonitio ;* nam admonitionis loco est ipsa promulgatio legis, aliquid fieri praecipientis vel prohibentis, sub poena censurae. Adest consequenter et *contumacia ;* habetur enim in facto transgressae legis contemptus superioris ecclesiastici sub poena censurae monentis vel praecipientis. Quod vero ad *examen personale* spectat, quo reo locus defensionis concedatur ; illud, ut patet, *in foro interno* seu coram Deo, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, locum frustra haberet. *In foro* autem *externo* requiritur plerumque sententia declaratoria ; non quidem ut censura infligatur, sed ut crimen, non notorium, commissum declaretur ; nam nullus in foro externo est reputandus censura innodatus, nisi legitime probetur reus [4].

3° Neque *legi divinae* opponuntur. In primis nullus S. Scripturae textus iis contradicit. Dein dum Christus Dominus Ecclesiae suae fundamenta jecit, voluit quidem ut in ea esset potestas censuras infligendi ; sed modum eam exercendi Ecclesiae determinationi reliquit.

4° Haec autem jam *prioribus saeculis* quorumdam atrociorum criminum reos, facto ipso, seu sola criminis perpetratione, perpetuo a sacramentis arcebat [5].

1704. — III. **Potestas ecclesiae infligendi poenas corporales et temporales.**

1° *Status quaestionis.* a) Catholici omnes agnoscunt Ecclesiae jus poenas spirituales infligendi ; verum inter eos quaestio movetur, utrum etiam possit

---

1. Cf. BENEDICTUS XIV, *De Syn.,* l. X, c. 1, n° 5.
2. Cf. DEVOTI, *o. c.,* l. IV, tit. 18, § 8, p. 391 ss. ; BENEDICTUS XIV, *o.* et *l. c.,* n° 5 ss. ; FEYE, *o c.,* p. 350 s.
3. Ita HINSCHIUS, *Kirchenr.,* t. IV, p. 761, 841 ; t. V, p. 130 s., qui contendit ante saec. VIII in usu non fuisse in Ecclesia censuras latae sententiae.
4. Cf. infra, n. 1712.
5. Cf. BENEDICTUS XIV, *l. c.,* n° 6 ss. ; DEVOTI, *l. c. ;* FEYE, *l. c.,* p. 351; HOLLWECK, *Die kirchlichen Strafgesetze,* p. 87, note 2. Mainz, 1899 ; AICHNER, *o. c.,* p. 775, nota 1ª ; KOBER, *Der Kirchenbann,* p. 55 ss. Tübingen, 1857, etc. — Cf. Bulla Pii VI, *Auctorem fidei,* prop. 47.

proprio jure poenis corporalibus, sive temporalibus, in reos animadvertere [1] ?

b) *Praenotandum* est : α) varias esse afflictionum temporalium species: sunt enim quae partem constituunt poenitentiae, in primis poenitentiae publicae [2] ; quae annexae sunt censuris, ut est laesio famae ; quae sunt effectus privationis officiorum vel beneficiorum ; tandem *quae directe corpus vel bona fortunae afficiunt ;* quae np. per se infliguntur, et quae consistunt in privatione jurium temporalium quae quis ex titulo profano habet : hae proprie poenae corporales et temporales vocantur, et circa has versatur praesens controversia. β) Non agi *de poena sanguinis* [3], id est, mutilationis et mortis ; nam Ecclesia [4], teste traditione et praxi, semper habuit tamquam contrarium indoli mansuetudinis sibi a Christo inditae, ut ipsa sententiam mortis vel mutilationis pronuntiaret, aut exsequeretur. Quare clericus, si flagitium morte dignum patraverit, debet a judice ecclesiastico degradari, et postea tradi brachio saeculari, addita prece, ut, si fieri possit, sanguis non fundatur, juxta adagium in jure receptum : *Ecclesia abhorret a sanguine* [5].

---

1. Haec controversia nuper iterum agitari coepit. Opinioni neganti competere jure divino Ecclesiae poenas temporales adhaeserunt VACANDARD, *Etudes de critique et d'histoire religieuse,* 2e série, VI. *La nature du pouvoir coercitif de l'Eglise,* p. 217-247 ; Append. IV. *Le pouvoir coercitif de l'Eglise* (Extr.. d'un art. de P. Choupin) p. 279 ss. ; V. *Le catholique et la question du pouv. coercit. de l'Eglise* (Extr. d'un art. de M. Moulard, in *Rev. prat. d'apologét.,* 1908, t. VI, p. 721 ss.), p. 299 ss., Paris, 1910 ; MOULARD, *o. c. ;* et IMBART DE LA TOUR (cf. Y DE LA BRIÈRE, *L'emploi de la force au service de la vraie religion.* Sur une lettre de M. Imbart de la Tour, in *Etudes,* 1911, t. CXXIX, p. 111 ss.). Opinioni affirmanti calculum adjecerunt : L. CHOUPIN, *Le pouvoir coercitif de l'Eglise,* in *Nouv. rev. théol.,* 1908, t. XL, p. 209 ss. ; ejusd. auct., *L'Eglise et le droit du glaive,* in *Nouv. rev. théol.,* 1910, t. XLII, p. 71 ss. ; A. VERMEERSCH, *La tolérance,* p. 65 ss., Louvain, 1912 ; *Collat. Namurcen.* 1912-1913, t. XII, p. 30 ss. Cf. in hanc quaestionem FEYE, *o. c.,* p. 356 ; STRAUB., *o. c.,* p. 9 ; SALUCCI, *o. c.,* p. 59 ss.

2. DEVOTI, *o. c.,* l. IV, tit. 1, § 8 ss., p. 224 ; CAVAGNIS, *o. c.,* p. 174.

3. Est quaestio libera, et potius theoretica quam practica. Alii *probabiliter* affirmant Ecclesiae competere jus gladii, *regulariter* ope brachii saecularis exercendum ; inter quos citantur BELLARMINUS, SUAREZ, TARQUINI, MAZELLA, LÉPICIER, BILLOT (*De Ecclesia,* t. II, p. 158-167) ; STRAUB, *o. c.,* p. 18. (Cf. VERMEERSCH, *o. c.,* p. 69 ss.) ; alii probabilius negant (cf. VERMEERSCH, *o. c.,* p. 73 ss.) : citantur CAVAGNIS, MOULART, BARGILLIAT, HOLLWECK, SAEGMUELLER, LAURENTIUS, VERMEERSCH, etc. Nituntur hi praesertim traditione et praxi Ecclesiae, hujusque societatis indoli mansueta, quam habet ex positiva fundatoris sui voluntate. Deficit eorum argumentatio, quando adversariis objicientibus extremam Ecclesiae necessitatem cui exercitio juris gladii unice obveniri possit, respondent « providebit Deus ». Cf. VERMEERSCH, *o. c.,* p. 81 ss. Omnes conveniunt asserendo Ecclesiam nunquam usam fuisse jure gladii. Concludit recte CAVAGNIS, *o. c.,* p. 200 : « Caeterum haec facta (non-usus gladii) illud saltem ostendunt, si neque retroactis saeculis Ecclesia putavit exercere posse utiliter jus gladii, si illo praedita esset, multo minus verisimile est id verificari posse aut nostris, aut proxime futuris temporibus, ideoque esset jus theoreticum, quod hactenus nunquam factum esset actuale, nec facile fieret in futurum ». Cf. etiam BIEDERLACK, *Instit. jur. eccl. de fundamentali Ecclesiae constitutione,* p. 59 s. ; *Collat. Namurcen.,* 1912-1913, t. XII, p. 30 ss. ; COCCHI, *o. c.,* p. 39 s.

4. « Sancta Ecclesia non habet gladium nisi spiritualem ; non occidit sed vivificat » c. 6. C. XXIII, q. 2. Cf. c. 9, X, III, 50 ; c. 27, X, V, 40.

5. Cf. VERMEERSCH, p. 163 ss.

2° His positis, contra nonnullos respondetur : *Ecclesia jure suo infligere potest mitiores poenas, licet temporales et corporis afflictivas,* ita ut ex lege vel ex sententia judicis vera obligatio ad luendas poenas pro reo oriatur, isque verus poenarum debitor fiat.

Quod demonstratur. a) *Ex antiquissimo earum usu,* qui exhibet vetustam doctrinam SS. Patrum, Scriptorum Ecclesiasticorum, Pontificum quoque et Conciliorum [1].

b) *Ex Concilio Tridentino,* ubi judicibus ecclesiasticis potestatem poenas corporales infligendi agnovit confirmavitque [2] ; et, cum immanem insaniam duelli cohibere conatum est decreto, quo statuit, duellantes mulctandos esse proscriptione omnium bonorum suorum [3].

c) *A ratione.* Fatentibus adversariis, jus est Ecclesiae imponendi afflictiones corporales per modum poenitentiae ; quare idem non posset per modum poenae ? Deinde poenae temporales ad finem spiritualem multum conferre possunt et homines carnales, plus quam poenae spirituales, movere solent, timore et dolore malorum sensibilium eos ad resipiscentiam provocando [4].

Jure merito igitur Pius IX, in Encycl. *Quanta cura,* 8 Dec. 1864, graviter reprehendit eos quos minime pudet affirmare *Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi.* Idemque Pontifex in Syllabo, prop. 24, rejecit sententiam : *Ecclesia vis inferendae potestatem non habet* [5].

3° *Objectiones.* 1° Ecclesia est societas spiritualis, tales autem poenae sunt temporales ; proinde eas Ecclesia infligere nequit.

Respondetur cum Palmieri : « Turpis aequivocatio hic latet. Ecclesia enim spiritualis societas est et dicitur ratione *finis,* non ratione elementorum quibus constituitur et mediorum quibus utitur ; unde ex eo sequitur quod finis poenae debet esse spiritualis, non quod ipsa poena debeat esse aliquid spirituale. Cum ergo Ecclesia societas sit hominum visibiliter ideoque sensibiliter et corporaliter adunatorum, media sensibilia et corporalia quibus unitas et pax promovetur, quibus inordinationes et dissidia removentur, sunt secundum indolem ejus et idcirco etiam poenae possunt esse quoque corporales [6]. »

Obj. 2° Potestas illa coactiva odiosa est, et aliena ab indole pacifica Ecclesiae.

Respondet Perrone [7], objectionem non afficere, nisi *modum* hujus potes-

1. Cf. DEVOTI, *o. c.*, p. 224 ss., p. 378 ss. ; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 179 ; STRAUB, *o. c.*, p. 10 ss.; 15 ss.
2. Sess. XXXV, c. 3, de ref.
3. *Ibid.*, c. 19.
4. STRAUB, *o. c.*, p. 9 ss. ; BIEDERLACK, *o. c.*, p. 56 ss.
5. Cf. CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales,* etc., p. 214 ss. et alios ejusd. auct. articulos cit., ubi refutat opinionem a VACANDARD propugnatam contendentem *ex doctrina Ecclesiae* posse ipsius potestatem coactivam restringi ad solas poenas spirituales. Cf. etiam VERMEERSCH, *o. c.*, p. 66 s. ubi interpretationem personalem proponit potestatis Ecclesiae circa poenas temporales. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 86, nota (35).
6. *De Romano Pontifice* p. 135 ; BIEDERLACK, *o. c.*, p. 57 ; CAVAGNIS, *o. c.*, p. 182.
7. *Praelect. theol. de Eccl.*, n° 213.

tatis exercendae ; « modus porro, ait, permisceri nullatenus debet cum jure de quo disserimus. Hic autem *modus* potest accommodari locorum, temporum ac personarum adjunctis, prout semper factum ab Ecclesia est. Interdum sufficit sanctio spiritualis, interdum vero etiam corporali opus est ; cum autem pro fine emendatio delinquentis habeatur, patet eam non repugnare Ecclesiae indoli. Certe S. Petrus Ananiam et Saphiram, S. Paulus incestuosum Corinthium, Hymenaeum et Alexandrum non solis poenis spiritualibus mulctarunt[1]. » Ceteroquin Ecclesia illas poenas adhibendo intendit salutem hominum et bonum societatis, non autem prosequitur vindictam proprie dictam et expiationem criminis ; ideo delicta punit quantum necesse est ad reum emendandum et ad caeteros deterrendos ab ejus imitatione[2].

Nota. Quaestionem quod attinet *quomodo* possit Ecclesia hujusmodi poenarum *exigere solutionem,* utrum immediate seu per suos proprios ministros an vero mediate seu per principes saeculares, cf. Palmieri[3], ubi perlucide probatur *saltem* hoc altero modo esse in potestate Ecclesiae vim externam adhibere. Ulterius progrediuntur alii. Propugnant Ecclesiam per semetipsam quoque cogere posse reos ad poenas temporales subeundas ; eorumque sententia nobis videtur ex usu Ecclesiae omnino confirmari[4].

§ 2. DE EXERCITIO ET FINE POTESTATIS COACTIVAE.

1705. — I. Circa **exercitium** potestatis coactivae in Ecclesia, codex excribit can. 2214, § 2 pulcherrimum monitum Conc. Trid., sess. XIII, c. 1, de ref., unde patet indoli Ecclesiae respondere ut[5] :

1° Ordinarii fideles deterreant a delictis magis paternis hortationibus quam poenis :

« Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. »

2° In casu delicti fideles magis arguant et increpent bonitate quam auctoritate.

« Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit ; illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent in

---

1. Cf. *Conc. Trid.* Sess. XIII, c. 1, de ref. Quoad alias objectiones, cf. BIEDERLACK, *o. c.*, p. 58 s. ; STRAUB, *o. c.*, p. 17 ss.
2. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, p. 183 ss.
3. *L. c.*, p. 137 ss.
4. Cf. TAPARELLI, *Essai théorique de droit naturel,* n° 1486, t. III, p. 200 s., Tournai 1857 ; LIBERATORE, *Inst. philosophicae,* t. III, p. 124, coll. p. 348, Romae, 1866.
5. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 40 s..

omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas. »

3° In casu delicti virgam exigentis ita cum lenitate severitas est adhibenda ut poenae applicatio vergat in disciplinae seu ordinis socialis conservationem, in emendationem rei, et in fidelium exemplar per reparationem scandali.

« Sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris et necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur. »

1706. — II. **Fundamentum et finis juris poenalis.** Inde patet etiam quinam sit fundamentum et finis juris poenalis [1].

1° *Fundamentum* est jus tuendi ordinem socialem ; ejus autem exercitium legitimum fit ex verificata necessitate poenae pro ejusdem ordinis tuitione.

2° Finis *intrinsecus* et *ultimus* poenarum est *conservatio ordinis socialis ejusque restauratio.* « Quae redintegratio ordinis per delictum voluntarie laesi, seu, ut dicit S. Thomas (I. II, q. 87 a. 1), reactio quaedam ordinis contra deordinationem, est finis poenae intrinsecus, ac proinde essentialis, quem ex natura rei in infligendis poenis intendere debet potestas publica, ad quam pertinet justitia criminalis seu potestas punitiva [2]. »

At ut ille finis *ultimus* poenarum attingatur, nequaquam a legislatore poenae *proxime* et *immediate* ad unicum finem sunt dirigendae. Quare Ecclesia in poenis determinandis, proxime intendit primum, pro sua charitate et suo fine curandi salutem animarum, ut *ad emendationem reus adducatur ;* deinde, *ut caeteri exemplo poenae a sceleribus patrandis deterreantur,* non omissa tamen intentione prosequendi, etiam pro certis poenis ut finem proximum et praecipuum, reparationem ordinis

---

1. Cf. CAVAGNIS, *o. c.*, t. I, p. 72; DEVOTI, *o. c.*, p. 211 ; WERNZ, *o. c.*, p. 79 ss.; CATHREIN, *Begriff und Zweck der Strafe,* in *Stim. aus Maria-Laach,* 1904, t. LXVII, p. 23 ss., coll. t. LXVI, p. 508; NOVAL, *De ratione corrigendi et puniendi, sive in judicio sive extra jure codicis j. c.,* in *Jus Pontif.,* 1923, t. III, p. 34 ss., 147 ss., 204 ss.; MEILE, *Der kanonische Strafzweck,* in *Festgabe U. Lampert,* p. 71 ss., Freib.-i-S., 1925 (finis operis est vindicta ; finis operantis, medicina ; finis principalis, servatio ordinis publici). Cf. etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 401 ; VAN HOVE, *Leges quae ordini publico consulunt,* in *Ephem. theol. Lovanien.,* t. I, 1924, p. 163 ss.

2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 80 s.

laesi [1]. Civilis potestas in irrogandis poenis proxime et praecipue prosequitur publicam ultionem, secundario tantum emendationem rei, cum bonum singulorum non sibi proponat ut proprium et directum finem [2].

TITULUS IV.

DE POENARUM NOTIONE, SPECIEBUS, INTERPRETATIONE ATQUE APPLICATIONE.

1707. — I. **Notio poenae.** « Poena ecclesiastica est *privatio alicujus boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta* » (can. 2215).

Dicitur : a) *privatio alicujus* boni [3] sive *materialis* ut sunt libertas, bona fortunae, sive *spiritualis* ut sunt sacramenta, participatio sacrificii, officia, beneficia, indulgentiae. Ea bona et jura intelliguntur quae aut a natura dantur aut a Christo vel ab Ecclesia instituuntur et quae auferendi jus habet Ecclesia aut hujus dispositioni concredita sunt. Quae ab Ecclesia nullo modo communicantur aut attingi possunt, uti sunt gratia, merita, caracter sacramentalis, ab ea neque auferri possunt [4]. Animadvertendum est non omnem privationem boni poenam esse, sed illam tantum quae saltem in delicti punitionem infligitur. Quare poenae non sunt : coactio ad actum ponendum, reparatio damni illati, impensae judiciales etc. [5] ; b) *ad delinquentis correctionem et delicti punitionem.* His verbis denotatur finis poenarum ecclesiasticarum, nempe *emendatio delinquentis,* hunc finem habent censurae seu poenae medicinales et remedia poenalia et poenitentiae, aut *delicti punitio* seu reparatio ordinis socialis laesi, ad hunc finem ordinantur praesertim poenae vindicativae [6] ; c) *a legitima auctoritate inflicta ;* his verbis indicatur auctor poenarum, sc. Superior ecclesiasticus qui pollet potestate poenas decernendi.

1708. — II. **Poenarum species.** Poenae ecclesiasticae multipliciter dividi possunt :

1° **Ratione objecti** distinguuntur in *temporales* et *spirituales.*

a) *Temporales* bona corporalia aut temporalia respiciunt. Has ab

---

1. Quod intelligitur pro utraque societate civili et ecclesiastica *relative* sc. quatenus ad bonum publicum requiratur.
2. Cf. CAVAGNIS, *l. c.*, p. 81 ; VAN HOVE, *l. c.*, p. 164 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 67.
3. Definiebatur poena in genere a WERNZ, *o. c.*, p. 79 s. : malum quoddam *passionis* (sensus) aut *privationis* (damni) propter delictum a legitima auctoritate etiam invitis ad conservandum ordinem socialem juste inflictum. Definitio codicis aptatur potius poenae ecclesiasticae cui convenit ut sit malum non passionis sed tantummodo privationis. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1368.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 403.
5. *Ibid.*
6. Cf. supra, n. 1706.

antiquissimis temporibus Ecclesiam adhibuisse constat, sunt v. gr., mulcta pecuniaria, detrusio in monasterium, jejunium, confiscatio bonorum [1].

b) *Spirituales* vero ad affligendum animum praecipue tendunt aut spirituale praeprimis objectum habent. Illae sunt, quae privant participatione sacrorum, videlicet sacramentis, sacrificiis, potestate et officiis sacris : de quibus ex professo agemus.

2° **Ratione finis proximi,** dividuntur in *poenas medicinales* seu *censuras, poenas vindicativas,* et *remedia poenalia et poenitentias* (can. 2216).

a) Medicinales sunt, quae quamdam rationem medicinae habent et praesertim ad rei emendationem adhibentur. Hae proprio nomine censurae vocantur. Quandoque tamen censura fertur per modum poenae vindicativae : hujus tunc naturam induit [2].

b) Vindicativae dicuntur, quae ad castigationem rei et ad disciplinae publicae satisfactionem potissime inferuntur.

Dicitur *potissime ;* quia Ecclesia in his infligendis non sola ducitur vindicta, sed simul spe reum corrigendi.

c) In bonum fidelium, remedia poenalia ad vitandum delictum, poenitentiae ad poenam effugiendam aut eam absolutione vel dispensatione tollendam adhibentur.

3° **Ratione determinationis in jure,** in *determinatas,* si in ipsa lege vel praecepto taxative statutae sint, et in *indeterminatas,* si prudenti arbitrio judicis vel Superioris relictae sint sive praeceptivis sive facultativis verbis (can. 2217, § 1, 1°). Sic poenae sunt determinatae si in lege dicatur : excommunicetur, punitur excommunicatione, maneat suspensus, etc. ; sunt indeterminatae si dicatur in jure : puniatur, congruis poenis mulcetur, aut puniri potest, praeter alias poenas quae ab Ordinario infligi poterunt, etc. [3]. Omnes poenae *latae sententiae* necessario sunt determinatae [4].

4° **Ratione modi quo incurruntur,** poenae sunt vel *latae* vel *ferendae sententiae* (can. 2217, § 1, 2°). Poena *latae sententiae* est, « si poena determinata ita sit addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto commissi delicti » vel praecepti transgressione, absque sententia condemnatoria. Attamen cum de ipso facto debeat constare, ordinarie autem requiritur pro foro externo sententia criminis declaratoria [5].

---

1. Cf. supra, n. 1704.
2. Cf. infra, n. 1731.
3. Cf. COCCHI, *o. c.,* p. 46.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 404 ; SIMENON, *Le droit pénal ecclésiastique,* in *Rev. eccl. de Liége,* 1921- 1922, p. 3 ss de instituta comparatione inter jus poenale ecclesiasticum et civile circa potestatem judicis.
5. Cf. infra, n. 1712 et 1723, ad can. 2232.

Est autem poena *sententiae ferendae,* (quae etiam *comminatoria* dicitur), « si a judice vel Superiore infligi debeat » *(ibid.)*. Hujusmodi poena proin non contrahitur statim a delicto commisso, sed accedente judicis sententia condemnatoria. Quare hujusmodi poena proin potius minitare quam affligere transgressorem dicenda est.

Qualis autem sit poena, an scilicet latae, an vero ferendae sententiae, pendet a voluntate infligentis, adeoque ex verbis debet dignosci. Hinc legislator in can. 2218 hoc statuit principium : « Poena intelligitur semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur eam esse *latae sententiae* vel *ipso facto* aut *ipso jure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur. » Ratio hujus principii — poenas intelligi semper ferendae sententiae nisi expresse contrarium dicatur — in aperto posita est. Etenim *ordinarie* poena infligitur ministerio judicis, *extraordinarie* autem ministerio legis [1]. Quod si fiat, clare dicendum est. Codex autem quaedam verba ad exemplum, non taxative affert quibus poenam l. s. esse dilucide dignoscitur. Quare :

a) *Latae sententiae* sunt poenae, α) si verba, quibus exprimuntur, excludant alterius cujuscumque actionem seu ministerium, v. gr., si dicatur poenam esse *latae sententiae ; ipso facto, ipso jure, eo ipso contrahi ;* β) si verba sint temporis praeteriti, aut praesentis ; sic si dicatur: *excommunicatus est ; volumus, sciat, noverit esse excommunicatum ; excommunicamus ; habeatur tanquam excommunicatus* [2] *; maneat suspensus* [3].

b) Contra, poenam *ferendae sententiae* designant α) verba de futuro : *excommunicabitur, erit excommunicatus ;* β) verba comminatoria, vel operam et ministerium judicis postulantia ; v. gr., si dicatur : *sub poena,* vel *sub interminatione excommunicationis, excommunicetur, suspendatur, excommunicationis sententia duximus innodandum, excommunicationem se noverit incursurum, ab ingressu ecclesiae interdicatur, debet excommunicari.*

c) Dubium est, quando formula denotat subjunctivum, quin certo appareat an referatur ad actionem judicis, v. gr., si dicatur : *excommunicationi subjaceat ; in excommunicationem incidat ; locum suum amittat.* Videtur tamen his formulis regulariter exprimi poena ferendae sen-

---

1. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 71.
2. Cf. can. 2353.
3. Formula *manet excommunicatio* futurum tempus indicare potest, ideo in rigore non clare poenam l. s. significat; attamen si uti in can. 2393, illa excommunicatio declaratur reservata, tunc intelligenda est poena l. s., quia « ab omni usu forensi alienum est ut Superiori judici reservetur absolutio censurae quae a judice infligitur » VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 408.

tentiae, nisi contextus [1], adjuncta, interpretatio communis, aut sensus subsequentibus constitutionibus firmatus aliud postulent.

5° **Ratione modi quo poenae statuuntur,** aliae dicuntur *a jure* latae, aliae vero *ab homine.*

a) Dicitur *a jure* « si poena determinata [2] in ipsa lege statuatur, sive latae sententiae sit sive ferendae » (can. 2217, § 1, 3°). Lex qua poena determinata statuitur intelligitur sive communis, sive particularis.

b) *Ab homine* dicitur « si feratur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam condemnatoriam [3], etsi in jure statuta ; quare poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est *a jure tantum,* postea *a jure* simul et *ab homine,* sed consideratur tanquam *ab homine* » *(ibid.).*

De facto, ut poena *a jure* habetur omnis poena latae sententiae in jure taxative statuta sive accedat sententia declaratoria sive non. *Ab homine* vero est poena latae sententiae adnexa praecepto particulari ; poena ferendae sententiae in jure statuta et per sententiam condamnatoriam judicis applicata, necnon omnis poena indeterminata irrogata per sententiam judicis vel superioris [4].

Poenae ab homine solent ferri in singulos, aliquando tamen, sed raro, in omnes subditos feruntur per praeceptum generale. Disputari potest num poenae per praeceptum generale latae dicendae sint a jure aut ab homine, cum nomine juris per se et magis proprie intelligatur jus stabile per legem universalem aut particularem constitutum. Codex definiendo poenam ab homine eam esse quae irrogatur per modum praecepti particularis innuere videtur poenam latam per praeceptum generale esse a jure statutam. Quod omnino certum est si agatur de reservatione *censurarum.* Etenim dicitur can. 2245, § 2 censuram *ab homine* esse reservatam nulla facta distinctione, et § 4 censuram latae sententiae non esse reservatam nisi a lege vel *praecepto* id expresse dicatur [5].

---

1. V. gr., adjuncta reservatio. Cf. tamen VERMEERSCH-CREUSEN, *l. c.,* de verbo *subjaceat.*
2. Cf. can. 2217, § 1, 1°.
3. Sententia declaratoria delicti non infligitur poena, sed juridice tantum manifestatur delictum ob quod censura incurritur ipso jure.
4. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.,* n. 1254.
5. Cf. de hac controversia WERNZ, *o. c.,* p. 152 et p. 180; LEGA, *o. c.,* p. 142 ss., 181 s. Cf. etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 408. Cf. infra n. 1736. — Quoad discrimina quae assignantur inter poenas a jure et poenas ab homine latas, cf. WERNZ, *o. c.,* p. 152, nota 15, col. t. I, p. 155 ; LEGA, *o. c.,* p. 96, n. 64 et p. 142, n. 91 ss. Qui auctores merito rejiciunt sententiam quae tenet absolute et generaliter poenas ab homine in vim verae potestatis juridictionis latas, resolvi aut suspendi, resoluto aut suspenso, quacumque de ratione, jure ferentis.

Haec distinctio maxime importat in materia absolutionis censurarum [1].

1709. — III. **Applicatio poenarum** [2]. 1° « In poenis decernendis servetur *aequa proportio cum delicto* [3], habita ratione imputabilitatis, scandali [4] et damni ; quare attendi debent non modo objectum et gravitas legis, sed etiam aetas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis delinquentis, dignitas personae quae delicto offenditur, aut quae delictum committit, locus et tempus quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti penituerit ejusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, aliaque similia » (can. 2218, § 1).

2° « Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur » (*ibid.*, § 2) [5].

3° « Mutua injuria compensatur, nisi una pars propter majorem injuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, deminuta, si casus ferat, poena » (*ibid.*, § 3).

Illa mutuae injuriae compensatio locum tantum habere potest quando actio criminalis institui potest, non ex officio, sed tantum praevia denuntiatione partis laesae [6].

1710. — IV. **Interpretatio poenarum** [7]. 1° « In poenis benignior est interpretatio facienda » (can. 2219, § 1). Hujus principii ex antiquissimis regulis juris tum romani tum ecclesiastici desumpti [8] et interpretationi tum judiciali tum doctrinali applicandi, multae sunt deductiones, nempe : a) in dubio sive juris sive facti reo favendum est ; b) verba legis quae poenam statuunt aut delictum definiunt sunt stricte interpretanda [9] ; c) « Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior [10], salvo tamen praescripto can. 2231 » (can. 2219, § 3). Juxta can. 2231 complices principaliores de quibus in can. 2209, § 1-3, tenentur eadem poena ac perpetrans delictum, etsi is unus in lege nominatur, nisi lex aliud expresse caverit.

---

1. Cf. can. 2253.
2. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 74 ss.
3. Cf. can. 2223, § 3 ; 2329, 2346, etc.
4. Cf. can. 2222, § 1.
5. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 73.
6. *Ibid.*, n. 74.
7. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 83 ss.
8. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 50 ; reg. jur.. 49 in VI.
9. Cf. can. 19, cf. supra n. 273 ; SOLE, *o. c.*, n. 75 ss.
10. Cf. can. 20. Cf. supra, n. 272.

2° « Si dubitetur utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit justa, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo » (can. 2219, § 2). Ratio hujus regulae est quia ordo socialis postulat ut judicibus et legitimis Superioribus pareatur et obsequium praestetur, unde axioma *praesumptio stat pro Superiore* et quia nemini licet in propria causa sibi jus dicere [1]. Fallit vero regula in casu appellationis in suspensivo, quae datur non a censuris judicialiter inflictis, sed a poenis vindicativis, nisi aliud expresse a jure caveatur (can. 2243, § 1 ; 2287).

TITULUS V.

DE SUPERIORE POTESTATEM COACTIVAM HABENTE.

1711. — I. Quinam possunt poenas statuere et imponere.

1° « Qui pollent *potestate leges ferendi vel praecepta imponendi,* possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere » (can. 2220, § 1) [2]. Poenas enim condere huic soli competit qui jurisdictione in foro externo pollens leges ferre aut praecepta imponere potest.

Quare poenas ferre possunt R. Pontifex et Concilium Oecumenicum pro tota Ecclesia ; Congregationes Romanae pro ambitu suae competentiae ; Ordinarii locorum pro suis subditis, dempto Vicario Generali absque mandato speciali, Concilia Plenaria et Provincialia pro relativo territorio ; Superiores majores [3] religionis clericalis exemptae ad normam constitutionum.

2° Qui gaudent *judiciali tantum potestate* « possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam juris applicare » *(ibid.)* Judicis est enim dicere jus, non ipsum condere.

Tamen decreta potest imponere eademque vi juris poenis sancire [4], jurisdictionali enim instructus est potestate ut *ad normam canonum* hujusmodi praecepta edat et sanctionibus muniat.

---

1. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 80.

2. Cf. NOVAL, *De ratione corrigendi et puniendi sive in judicio sive extra jure C. I. C.* ap. *Jus Pontificium,* 1923, t. III, p. 34 ss., 147 ss., 204 ss.

3. De hac potestate superiorum localium disputatur, cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 411 ; COCCHI, *o. c.*, p. 56 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 102, nota. Cf. NOVAL, *art. cit.*, 1923, t. III, p. 206 ss., de superioribus qui valent poenas extra judicium imponere et de poenis quas hoc modo imponere possunt.

4. Cf. can. 1640, § 2; 1845, § 1; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 216. Vide etiam SALUCCI, *o. c.*, p. 97.

3° « *Vicarius Generalis* sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas » (*ibid.*, § 2) [1].

4° « Legislativam habentes potestatem, possunt intra limites suae jurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam ob peculiaria rerum adjuncta, legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare » (can. 2221).

Dicitur a) *intra limites suae jurisdictionis,* ita si censura Sedi Apostolicae reservata sit, nequit Ordinarius aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre [2] ; b) *ob peculiaria rerum adjuncta,* quatenus illa nova sanctio poenalis aut exsistentis poenae aggravatio, opportuna vel necessaria videatur ad deterrendos fideles a gravioribus delictis [3].

5° « Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua justa poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat ; secus reus puniri nequit, nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit » (can. 2222, § 1).

Generatim poena irrogari nequit nisi fuerit a jure statuta, et si lex nullam sanctionem appositam habet, reus puniri nequit nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae, ne deficiat contemptus legis penes transgressorem ; attamen hic potestas fit legislatori vel cui jus est praeceptum jurisdictionale proponendi, in casu scandali aut transgressionis specialis gravitatis, reum puniendi absque praevia comminatione, licet lex nullam sanctionem appositam habeat [4].

---

1. Cf. can. 1573, § 1, supra n. 1519.
2. Juxta can. 2247, § 1.
3. Cf. can. 897, 898 de reservatione peccatorum.
4. Cf. can. 1956 ; tit. XXXIII de modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda. Vide etiam NOVAL, *art. c.*, 1923, t. III, p. 36 s. — Quomodo conciliandus sit can. 2195 cum can. 2222, § 1, examinat solide et erudite D'ANGELO, *Nozione del delitto nel codice di diritto canonico*, ap. *Ephem. theol. Lovanien.*, 1926, t. III, p. 210 ss. Merito rejicit sententiam a SOLE et SALUCCI propugnatam, juxta quam praescriptio can. 2222, § 1 esset exceptio principio « nullum crimen sine lege poenali » ; ut insufficientem habet opinionem VIDAL qui contendit in can. 2222, § 1, elementum legale non deesse cum lex communis illo canone contenta auctoritatem tribuat puniendi ideoque vera sit lex poenalis comminans sanctionem indeterminatam, arbitrio superioris determinandam. Ipse tenens absolutam necessitatem elementi legalis ad habendum delictum, censet haberi in can. 2222, § 1 casum retroactivitatis legis vel praecepti poenalis, qui hanc poenalem induit naturam per sanctionem quae a Superiore applicatur et retroagit ad praeteritam legis transgressionem. In hunc sensum vide etiam MAROTO, *o. c.*, t. I, p. 186.

6° « Pariter idem legitimus Superior, licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum *jus,* sed etiam *officium* habet non promovendi clericum de cujus idoneitate non constat [1], et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam juris [2], amovendi ; quae omnia in casu non habent rationem poenae » (*ibid.,* § 2).

Quod ea quae in hac praescriptione statuta sunt, non habeant *rationem poenae,* patet exinde quia decernuntur non in vindictam criminis, quod forte haud commissum est, vel, si commissum, jam poena eximatur ob praescriptionem, nec ad frangendam contumaciam delinquentis, sed ut provideatur honori sacri ministerii quod exigit ministros de cujus canonicà idoneitate certe constat, ad scandalum evitandum, ad consulendum saluti animarum [3]. Ideo violatio hujusmodi administrativae prohibitionis ab exercitio sacri ministerii non secum fert irregularitatem; nec ab his dispositionibus datur appellatio sed recursus tantummodo. Attamen hujus praescripti applicatio postulat seriam probabilitatem delicti a clerico promovendo aut jam promoto admissi, ne *illicita* evadat [4].

1712. — II. **Normae sequendae a judice vel Superiore in poenarum applicatione.**

1° *Aggravatio poenae determinatae.* « In poenis applicandis judex nequit poenam determinatam augere, nisi extraordinaria adjuncta aggravantia id exigant [5] » (can. 2223, § 1).

2° *Applicatio poenae ferendae sententiae* a) « Si lex in statuenda poena ferendae sententiae *facultativis verbis* utatur [6], committitur prudentiae et conscientiae judicis eam infligere, vel, si poena fuerit determinata, temperare » (*ibid.,* § 2) ; b) « Si vero lex utatur *verbis praeceptivis* [7], ordinarie poena infligenda est ; sed conscientiae et prudentiae judicis vel Superioris committitur : α) poenae applicationem ad tempus magis opportunum *differre,* si ex praepropera rei punitione majora mala eventura praevideantur » (*ibid.,* § 3, 1°) ; β) « a poena infligenda *abstinere,* si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctori-

1. Cf. can. 973, § 3 ; Trid., sess. XIV, c. 1 de ref.
2. Cf. can. 192 ; 2147, § 1 et § 2, 3°.
3. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 91.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 412.
5. Cf. can. 2218, § 1.
6. V. gr., potest puniri, cf. can. 2235, 2360, § 2, etc.
7. V. gr., priventur, puniantur, suspendatur, cf. can. 2315, 2321, etc.

tate civili sancitis [1] » (*ibid.*, 2°) γ) « poenam determinatam *temperare* vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam injungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed judex vel Superior opportunam praeterea ducat mitiorem aliquam punitionem » (*ibid.*, 3°).

3° *Declaratio poenae latae sententiae.* « Poenam *latae sententiae* declarare generatim committitur prudentiae Superioris ; sed sive ad instantiam partis cujus interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet » (*ibid.*, § 4).

Etsi poena latae sententiae ipso facto delinquentem criminis conscium in utroque foro teneat [2], tamen ministerium judicis in pluribus casibus requiritur ut per sententiam criminis declaratoriam auctoritative et in facie Ecclesie declaretur reum poenam etiam inflictam incurrisse. Necessitatis hujus interventus duplex assignari potest ratio [3]. Nam imprimis in certis poenis obligatio aliis imponitur erga reum aut saltem reus privatur certis juribus, quae ad alios dicunt respectum [4] ; quae obligatio erga reum urgeri non potest, nisi de poena incursa certo et respectu societatis constet ; quod extra casum delicti notorii, nonnisi per judicis sententiam haberi potest. Cui rationi alia accedit ex parte ipsius delinquentis desumpta, quia in hypothesi delicti occulti, obligatio se subjiciendi poenae latae sententiae sine interventu judicis saepe haberet adjunctam obligationem sese prodendi et diffamandi, quae supra humanam conditionem foret [5]. Pariter gravissima et acerba nimis esset illa obligatio, qua quis in seipsum poenam exsequi per propriam actionem teneretur, sicque idem esset reus et suimetipsius vindex. Ideo in foro ecclesiastico, plures sunt poenae latae sententiae quae sine interventu judicis plenam exsecutionem non haberent, uti sunt generatim poenae quae privant aliquo jure quaesito, a quibus servandis delinquens excusatur ante sententiam declaratoriam.

Ideo disponitur in can. 2223, § 4 declarationem poenae latae sententiae remitti prudentiae superioris, quia agitur de re gravissima in qua omni adhibita cautela procedendum est ut delinquens coram societate non habeatur gravioribus poenis mulctatus antequam publice constet de

---

1. Cf. can. 1933, § 3.
2. Cf. can. 2232.
3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 71 ss.
4. V. gr., obligatio excludendi a certis actibus aut locis excommunicatos, interdictos, et in beneficiato privatio jurium jurisdictionis vel administrationis.
5. Cf. can. 2232.

patrato crimine [1]. Dari tamen haec sententia *debet* ad instantiam partis cujus interest [2]; aut id exigente ratione boni communis dioecesis, paroeciae aut communitatis [3].

4° *Cumulus poenarum* [4].

a) Principium est ex Decretalibus mutuatum [5] « ordinarie tot poenae quot delicta » (can. 2224, § 1), sive agatur de delictis diversas leges violantibus, sive de iteratis delictis *non incontinenti* sed *ex intervallo* adversus eamdem legem commissis. Dicitur *non incontinenti* quia secus actus criminosi incontinenti, eodem aestu passionis et proposito repetiti [6], quasi materialiter in unum coalescunt delictum et una tantum poena feriuntur. Dicitur praeterea *ex intervallo*, quia si ageretur de delicto continuo tractum successivum habente uti est concubinatus, unum delictum censetur, una poena licet graviori compescendum.

b) « Si tamen propter numerum delictorum, nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti judicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum » (can. 2224, § 2).

c) « Si poena constituta sit tum in conatum delicti tum in delictum consummatum, hoc admisso, infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta » (*ibid.*, § 3). Etenim consummato delicto, conatus censetur praeambulum seu medium ad delictum consummandum, et in unum coalescens.

5° *Forma servanda in imponendis poenis.* « Si poena declaretur vel infligatur *per sententiam judicialem,* serventur canonum praescripta circa sententiae judicialis pronuntiationem [7]; si vero poena latae vel ferendae sententiae inflicta sit per modum praecepti particularis [8], scripto aut coram duobus testibus ordinarie declaretur vel irrogetur, indicatis poenae causis, salvo praescripto can. 2193 [9] » (can. 2225).

---

1. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 129.
2. Cf. can. 1608.
3. Cf. can. 1618.
4. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 117 ss.; HONIG, *Studien zur juristischen und natürlichen Handlungseinheit,* München, 1925.
5. Cf. c. 1, X, V, 37.
6. Idem dicendum si agatur de factis criminosis quae adhibentur quasi actus exsecutivi unius criminis et eodem impetu ac proposito ponuntur. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 97 et 99.
7. Ad normam can. 1868-1877. Cf. *art. cit.* P. NOVAL, p. 204 ss.
8. In priori casu agebatur de poenis a jure, hic de poenis ab homine latis.
9. Circa suspensionem ex informata conscientia, cf. supra n. 1684. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 63.

TITULUS VI.

DE SUBJECTO COACTIVAE POTESTATI OBNOXIO.

1713. — I. Quis et quo modo poenae ecclesiasticae subjiciatur.

1° *Principium* est « Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur » (can. 2226, § 1). Hinc a). *Legibus universalis* ecclesiae tenentur omnes fideles ritus latini post septennium pro quibus latae sunt, et proin etiam obnoxii sunt legi poenali his legibus adnexae, salva tamen exceptione aut exemptione a lège, consuetudine, privilegio aut indulto concessa [1].

b) « Legibus conditis *pro peculiari territorio* ii subjiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi domicilium habent et simul actu commorantur » (can. 13, § 2) ; ergo et poenis quibus hae leges sanciuntur [2] ;

c) *Peregrini* [3] non ligantur lege poenali territorii in quo subditi non sunt, nec territorii proprii a quo absunt etiam si discesserint eo animo ut se obligationi legis subtraherent ; et hoc, licet tum in proprio territorio, tum in eo in quo versantur vigeant eaedem leges poenales. Quod etiam affirmandum est si in aliquo territorio lex divina aut ecclesiastica universalis particulari poena sanciatur, quia haec lex poenalis particularis novum jus particulare condit. Tamen *ligantur* peregrini α) lege poenali loci in quo degunt, quae ordini publico consulit [4] aut cujus transgressio scandalum forte moveat aut specialis sit gravitatis. His in casibus fiunt subditi ratione delicti et a judice domicilii aut loci patrati delicti poenis coerceri possunt ; β) lege poenali proprii territorii a quo physice absunt, quoad transgressionem legis quae in suo territorio nocet, ut defectus residentiae ; quo casu fictione juris censentur praesentes ; γ) poena in proprio territorio vigente, si delicto in sua dioecesi patrato, peregre absint ; tunc judex loci jus habet illos citandi ad comparandum, et sententiam in eos ferendi [5].

d) *Vagi*, cum omnibus legibus tum generalibus tum particularibus loci in quo versantur ligentur, etiam relativis poenis obstringuntur.

---

1. Cf. can. 1 ; 13, § 1.
2. Cf. VINDEX, *Domicilium et quasi-domicilium*, in *Jus Pontif.*, 1926, t. VI, p. 34 ss., p. 112 ss., 154 ss.
3. Cf. VAN HOVE, *art. c.* ap. *Eph. theol. Lovanien.*, t. I, p. 165 ss. ; VINDEX, *l. c.*, p. 155 s.
4. Cf. VAN HOVE, *art. c.*, p. 155. Cf. VINDEX, *art. c.*, p. 155.
5. Cf. can. 1566, § 2, cf. supra n. 1513.

e) *Religiosi* exempti puniri possunt a loci Ordinario in omnibus in quibus eidem subduntur, salvo tamen contrario privilegio.

f) *Praeceptum particulare* seu singulis datum, personas sequitur quocumque ierint et ubique urget ; ideo contra ipsum delinquentes poenam adnexam ubique etiam incurrunt, servato canone 24.

2° *Circa modum quo subditus legi poenali subjiciatur* valent sequentes normae :

a) « Licet lex poenalis posterior abroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, jam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior » (can. 2226, § 2), etsi per se lex nova esset applicanda a judice, sed durius videtur applicare reo poenam severiorem quam in committendo delicto praevidere non poterat [1].

b) « Quod si lex posterior tollat legem vel poenam tantum [2], haec statim cessat, nisi agatur de censuris » (*ibid.*, § 3). Censura jam contracta, etiam cessante lege, integra manet, cum sola absolutione tolli possit [3].

c) « Poena reum *ubique terrarum* tenet, etiam resoluto jure Superioris, nisi aliud expresse caveatur » (*ibid.*, § 4). Et ratio est quia etiam si agatur de poenis a jure particulari statutis, tamen effectus poenarum profluunt ex ipso jure communi quod ubique viget, independenter ab eo qui ipsos tulit [4]. Quae regula evidens est si agatur de poenis in jure communi statutis, aut irrogatis a Suprema Potestate aut per praeceptum singulare aut per sententiam illatis.

Poena urget, etiam resoluto quovis modo jure Superioris, *nisi aliud expresse caveatur*, ita, v. gr., si poenam *ad suum beneplacitum* inflixerit Ordinarius, poena cessaret, cessante hujus jure ; ita etiam praeceptum poenale cessat resoluto jure praecipientis, si per legitimum documentum aut coram duobus testibus impositum non fuerit [5].

3° *Sunt qui a legibus poenalibus eximuntur :*

a) « Poena nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari potest in eos de quibus can. 1557, § 1 » (can. 2227, § 1). Sunt videlicet qui supremum tenent populorum principatum [6] ; Patres Cardinales ; Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares. Causae harum personarum ratione dignitatis soli R. Pontifici reservatae sunt.

b) « Nisi expresse nominantur S. R. E. *Cardinales* sub lege poenali

---

1. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 418. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 108.
2. Relinquens nempe praeceptum.
3. Cf. can. 2248, § 1. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 130.
4. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 110.
5. Cf. can. 24. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 132, nota.
6. Hi tamen subduntur poenis *latae sententiae* a jure communi latis.

non comprehenduntur, nec *Episcopi* sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti[1] » (*ibid.*, § 2).

1714. — II. **De causa poenarum.** Ut poena canonice infligi possit, praeter judicem competentem et subjectum capax, requiritur *justa causa*, nempe peccatum, idque grave ad poenam gravem, leve vero ad levem, externum et consummatum.

Dicitur a) *peccatum ;* poena enim infligi non debet nisi propter culpam seu peccatum, idque proprium.

Additur *grave ad poenam gravem, leve vero ad levem ;* quia rationis et aequitatis principia suadent, poenam esse commensurandam culpae et pro culpae modo imponendam ; aliis verbis, poena debet esse proportionata culpae ut sit justa[2]. Quoties igitur gravitas delicto deficit, gravis poena non incurritur. Gravitas tamen delicti saepe pendet ex adjunctis locorum, temporum, personarum[3].

Hinc si accidat peccatum de se grave esse veniale propter parvitatem materiae, vel indeliberationem actus, poena gravis non incurritur.

Ad incurrendam poenam jure communis, regulariter requiritur delictum *grave*, quia pleraeque poenae sacris canonibus constitutae, sunt graves. Majorem autem culpae gravitatem exigunt illae, quae sunt graviores, v. g., censurae praesertim latae sententiae ; qua de re praeclarus est locus Benedicti XIV, *De Syn.*, l. X, cap. 1, n. 2 ss.[4].

b) *Externum ;* et quidem, si de gravi poena agatur, oportet ut peccatum mortale internum se ut grave externe manifestet, seu ut culpa gravis opere externo sese prodat. Actus mere internus non sufficit, stante praesenti Ecclesiae disciplina : Ecclesia enim non judicat de internis.

c) *Consummatum ;* id est « perfectum in suo genere secundum proprietatem verborum legis » (can. 2228) : leges enim poenales sunt stricte interpretandae.

« Huc pertinet regula, ait Ballerini apud Gury[5], ad censuram seu poenam incurrendam requiri, *ut completus sit ille effectus, quem legislator intendit sub censura* (seu poena) *prohibere.* » Proinde si verba, diligenter inspecta, significent prohiberi *ultimum* effectum, v. gr., homicidium, censura non incurritur nisi effectu illo ultimo secuto, scilicet morte; ita si poena sit lata contra procurantes *abortum*, cum abortus secundum proprietatem verbi sit ejectio foetus immaturi, ea poena non incurritur

---

1. Expresse nominantur Cardinales in can. 2332, 2397 et praeterea in C. *Vacante Sede ;* Episcopi vero in can. 2370, 2373.
2. Cf. c. 5, in VI, V, 9 ; can. 2218, § 1 et 2.
3. Cf. Bened. XIV, *De Syn.*, l. X, c. 3, n. 1 s.
4. Cf. *Collect. C. de P. F.*, n. 1035.
5. *O. c.*, n. 935.

per craniotomiam. Quando vero sub censura prohibetur principaliter *conatus delicti,* tunc consummato conatu, statim incurritur censura etiam effectu non secuto [1]. Quando ipsa lex ponat poenam facienti seu attentanti actum nullum [2], tunc poena incurritur per actum jure nullum, etsi de se actus perfectus intelligitur qui factus fuerit jure validus.

1715. — III. **De causis a poena latae sententiae excusantibus.**

Supra [3] loquendo de causis tollentibus, minuentibus, augentibus imputabilitatem delicti, vidimus juxta quasnam normas judex applicare teneatur poenas quae infliguntur *per sententiam judicialem.* Hic legislator definit regulas prae oculis habendas quando agitur de causis in imputabilitatem influentibus, quae aliquem a poenae *latae sententiae* incursione excusant. Quae normae sequuntur principium generale : *id quod excusat a gravi culpa, a poena quoque l. s. excusat* [4].

1716. — 1° **Norma generalis omni imminutioni imputabilitatis.**

« Si lex habeat verba : *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* [5], aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis eximit a poena latae sententiae » (can. 2229, § 2). Supponit enim talis lex contemptum quemdam quae, imminuta imputabilitate, non adest [6].

1717. — 2° **Ignorantia** [7].

Praenotandum. Hic plures ignorantiae distinctiones sunt attendendae.

a) Ignorantia potest esse *juris* vel *facti.* Ignorantia *juris* habetur, quando aut ignoratur generatim lex seu praeceptum, aut nescitur num casus quispiam generali aliqua lege comprehendatur. Ad ignorantiam juris reducitur etiam ignorantia *poenae,* quando nempe ignoratur poena in legis transgressores lata. Ignorantia *facti* habetur, quando versatur circa factum seu circumstantiam legis applicationem determinantem.

b) Ignorantia est vel *invincibilis* vel *vincibilis. Invincibilis* dicitur quae morali diligentia vinci nequit, sive quia de indagando non subit cogitatio, sive quia, licet adhibita diligentia morali et negotio accommodata, veritas non detegitur. Haec ignorantia dicitur *involuntaria,* quatenus

1. Cf. 2235. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 112 s.
2. Cf. can. 2347, 2388, etc. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 113.
3. N. 1694 ss.
4. COCCHI, *o. c.,* p. 73.
5. Cf. can. 2317, 2326, 2331, 2338, 2350, 2361, 2374 etc. Cf. SALUCCI, *o. c.,* p. 141 ss.
6. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 421. Una excipitur ignorantia *affectata.*
7. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 48 ss. ; J. MONTES, *La ignorantia en el derecho penal* in *Ciudad de Dios,* 1927, vol. I, p. 353 ss. ; vol. II, p. 43-60.

ignoranti non potest imputari. *Vincibilis* vero dicenda est quae morali diligentia disjici potest, sed non disjicitur ob negligentiam ignorantis in quaerenda et investiganda veritate. Haec ignorantia dicitur *voluntaria,* quatenus provenit ex ignorantis negligentia ; et erit *culpabilis* si sit eorum quae quis scire tenetur. Prout autem ista negligentia fuerit *levis,* vel *gravis,* vel *summa,* ignorantia respective vocatur *stricte vincibilis,* vel *moraliter vincibilis,* vel *crassa* seu *supina*[1]. Insuper voluntaria esse potest ignorantia non solum *in sua causa* sed etiam *in se,* ita ut sit directe volita et *affectata*[2].

His praemissis,

a) *Invincibilis* ignorantia *obligationis,* quae nempe versatur vel circa *legem,* vel circa *factum,* sicut a culpa, ita etiam, in foro saltem interno, a poena excusat ; poena enim non debetur nisi ratione culpae commissae, et quod « culpa caret, in damnum venire non debet[3]. » Idem dicendum de ignorantia *invincibili solius poenae,* cum ut quis delictum committat scire debeat se non solum agere contra legem, sed contra talem legem cui sanctio canonica sit addita.

b) *Vincibilis* ignorantia generatim non excusat a poena delicto proportionata : nempe α) A nullis l. s. poenis ignorantia *affectata* sive legis sive solius poenae excusat » (can. 2229, § 1). Ignorantia enim affectata aequiparatur dolo ; imo aliquando graviorem dolum supponit[4] ; β) *Quaevis ignorantia vincibilis* eximit a poenis l. s., si, uti diximus, lex habeat verba : *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose,* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem seu plenissimum dolum exigunt (*ibid.,* § 2) ; secus γ) « *Ignorantia* legis aut solius poenae, si fuerit *crassa* vel *supina,* a nulla poena l. s. excusat (*ibid.,* § 3, 1°) ; δ) Ignorantia *moraliter vincibilis* seu ex gravi negligentia orta, obligationis aut poenae « excusat a medicinalibus non autem a vindicativis l. s. poenis » *(ibid.,)* ; ad has incurrendas non requiritur, sicut pro censuris, contumacia, cum illae feriuntur in punitionem delicti ; ε) Ignorantia *stricte vincibilis,* seu ex negligentia levi orta, excusat a poena gravi.

---

1. Ignorantia circa ea quae quis *ex officio* scire tenetur, plerumque erit crassa. Olim multi auctores omnem ignorantiam graviter culpabilem vocabant crassam ac supinam ; alii autem pro crassa vel supina eam tantum habebant, quae ex negligentia cum excessu gravi oriebatur ; id quod nunc cum codice can. 2229, § 3 admittendum est.

2. Cf. VAN DEN BERGHE, *De leg.,* n. 137, p. 123 ; BOUQUILLON, *Theol. mor. fundam,* ed. 2, n. 151 ; ed. 3, n. 164 ; *Theol. Mechlin.,* De act. humanis, n. 17 ; De legibus, n. 69.

3. C. 2, X, 1, 2.

4. WERNZ, *o. c.,* p. 166, nota (72); CAPPELLO, *o. c.,* n. 50 et 53.

Nota. 1° In casibus in quibus *reus* ob ignorantiam excusatur a censuris l. s., « id tamen non impedit quominus, si res ferat, congrua alia poena aut poenitentia affici queat » (*ibid.*, § 4).

2° Oblivio, inadvertentia, inconsideratio, error excusant a poenis l. s., sicut ignorantia, cui in jure aequiparantur (can. 2202, § 3).

3° Ex dictis colligitur censuras, a rudioribus praesertim, rarissime incurri [1].

c) Ignorantia non poenae sed *ejus reservationis* ita ut absolutio non a quocumque confessario sed ab Episcopo aut a Romano Pontifice tantum concedi possit, non efficit ut absolutio illius poenae non sit reservata. Nam ratio cur ignorantia excuset, est, quia Ecclesia ignorantes non vult subjicere poenae *extraordinariae ;* at reservatio, si quando censura contracta est, non est quidquam extraordinarium quod censurae adjiciatur, sed potius id, quod eam naturaliter consequitur, nisi legislator ex benignitate favorem facilioris absolutionis obtinendae constituerit ; imo nec veteri jure, nec jure codicis rationem poenae habet [2].

d) Hucusque dicta valent *pro foro interno,* pro quo culpa, non juridica, sed theologica seu peccatum consideratur, et ad quod nonnullae poenae ecclesiasticae, v. gr., latae sententiae, immediate absque interventu judicis pertingunt. Ast *pro foro externo,* alias necessario regulas sequi debent, qui externum regimen habent. In hoc, ipso exigente recto ordine, juridica potissime culpa consideranda est, cum interna in foro externo lateant. Culpa autem juridica est omissio diligentiae requisitae, quam jura imputant, sive ea sit formale peccatum, sive non.

Idcirco in foro externo requiritur *probatio ignorantiae ;* jam vero « Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut factum proprium aut circa factum alienum notorium non praesumitur [3] ; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur (can. 16, § 2). In foro igitur externo unice quaeritur utrum adsit necne factum lege prohibitum ; et judex ecclesiasticus ex facti tantum circumstantiis admittit ignorantiam. Ad regulas autem pro foro interno positas tunc tantum recurret, quando ex ipsis facti circumstantiis probatur culpae theologicae absentia vel tanta levitas, ut irrationabiliter lex crude applicaretur [4]. « Fieri igitur potest ut quis invincibiliter ignorans aliquam

1. Cf. DE SMET, *Tract. de cas. reservatis,* p. 25, de publicationibus Bullae *In Coena Domini* olim fieri solitis.

2. Ita HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 27, cum opinione communi ; contra BERARDI, *Praxis Confessar.*[2], p. 357, Faventiae, 1891. Cf. etiam DE SMET, *o. c.,* p. 23; WERNZ, *o. c.,* p. 93 s. ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 72 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *De censuris,* ed. 18, n. 24, Oeniponte, 1926.

3. Nisi exceptio fiat a jure, v. gr. pro habitualiter amentibus.

4. Cf. VAN DEN BERGHE, *o. c.,* p. 126, n. 140 ; *Collat. Brugen.,* t. XII, p. 719 ss.; WERNZ, *o. c.,* p. 30 s.

legem a judice nihilominus legitime condemnetur, quia np. ignorantiae probatio deficit : tunc autem, licet exterius parere teneatur, tamen in conscientia non tenetur exsequi poenam, potestque illam omittere, modo caveat scandalum [1]. »

De obligatione monendi illos qui, ob ignorantiam, a censura excusantur, quam secus incurrissent, vide *Instruct. S. Officii,* 1 februarii 1871 [2].

1718. — 3° Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis.

a) Excusant a poenis l. s., si lex expressis verbis plenissimum dolum exigat (can. 2229, § 2).

b) Secus, non excusant, si « nonobstante imputabilitatis diminutione, actio est adhuc graviter culpabilis » (*ibid.*, § 3, 2°) [4].

1719. — 4° Metus [4].

a) Metus gravis, cadens in constantem virum, puta mortis, infamiae vel alterius notabilis jacturae [5], regulariter a *poena* l. s. excusat, sive delictum solo jure ecclesiastico sive etiam jure divino sit prohibitum. Nam leges humanae sub tanto incommodo obligare non solent ; praeterea qui gravi metu inductus, in legem naturalem et divinam committit, etsi a culpa non excusatur, tamen poenam ab Ecclesia alias statutam non incurrit, quia sic delinquens haberi nequit pro contumace et ecclesiasticae potestatis contemptore, cum naturae potius infirmitate quam obstinatae voluntatis malitia peccet [6].

Dicitur *regulariter ;* nam « metus gravis, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis l. s. nullatenus excusat » (can. 2229, § 3, 3°). Exemplum habes in eo qui metu gravis mali duellum acceptat [7].

E contrario, quodcumque crimen in quaestione est, si dicitur « qui *sponte* id fecerit », vel similia verba adhibeantur, quivis metus inducens a poena l. s. excusat (can. 2229, § 2) [8].

---

1. Van den Berghe, *o. c.*, p. 127, n. 140. Cf. Santi-Leitner, *o. c.*, p. 194.
2. *Nouv. rev. théol.*, t. VII, p. 27 ss. ; *Coll. de Prop. Fide* [3], n. 1364.
3. Cf. Cappello, *o. c.*, n. 63 s. Cf. supra, n. 1695 s.
4. Cf. Claeys-Bouuaert, ap. *Jus Pontif.*, 1926, t. VI, p. 105 ss., 138 ss.; Crnica, *ibid.*, t. V, p. 9 ss. ; Cappello, *o. c.*, n. 60 ss.
5. Ad dijudicandum de gravitate metus, oportet adjuncta facti perpendere, a quibus et quibus incutiatur metus, etc.
6. Cf. Cappello, *o. c.*, n. 61. Argumentum habetur in can. 2229, § 3, 3°.
7. Cf. Hollweck, *o. c.*, p. 79 ss.; Wernz, *o. c.*, p. 166; Hilarius a Sexten, *Tractatus de censuris ecclesiasticis,* p. 27 s. Moguntiae, 1898 ; Vermeersch-Creusen, *o. c.*, n. 423.
8. Cf. Hilarius a Sexten, *l. c.;* Cappello, *o. c.*, n. 62. Idem auctor in art. ap. *Jus Pontificium,* 1925, t. V, p. 125 ss., tenet metum gravem non excusare

1720. — 5° **Impotentia.**

Excusat a poena impotentia sive physica, sive (regulariter saltem) moralis ; quia ad impossibile nemo tenetur.

Nota. 1° In praecedentibus, ut legenti patet, dominatur principium : Quod excusat a peccato, vel saltem a peccato gravi, excusat quoque a poena, vel saltem a poena gravi.

2° Dubitans an poenae subjiciatur se gerere tenetur juxta principia tradita in theologia morali [1].

1721. — IV. **Num impuberes excusentur a poenis.**

Quamvis pueri a decimoquarto, puellae a duodecimo anno completo, puberes dicuntur (can. 88, § 2), tamen in criminalibus adhuc hodie cum jure antiquo tenendum est, attento praescripto can. 6, 2° et 23, omnes tales reputandos esse qui annum decimum quartum compleverunt, absque distinctione sexus ; non in puellis, enim, ut sexus, ita intellectus et voluntas citius quam in maribus evolvuntur [2]. Jam vero :

1° « Impuberes excusantur a poenis l. s. » (can. 2230) et quidem omnibus sive vindicativis, sive medicinalibus.

2° Quamvis superior ecclesiasticus poenas *ferendae sententiae* in impuberes ferre valeat [3], id tamen contra mentem Ecclesiae est, cum isti « potius punitionibus educativis [4] quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur » (can. 2230).

3° *Puberes* qui induxerint impuberes ad legem violandam, vel cum impuberibus in delictum concurrerint qua correi principales ad normam can. 2209, § 1-3 [5], ipsi quidem poenam a lege statutam incurrunt (can. 2230).

1722. — V. **Poenae cooperatorum.**

Distinguendum est inter correos vel cooperatores principales et cooperatores accessorios. Nempe :

1° Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, praeter illum, ii quoque de quibus in can. 2209, § 1-3, sc. correi qui ex communi consilio physice concurrerint in delictum,

---

a *censura l. s.*, etiam si lex ferat *praesumpserit, ausus fuerit,* casu quo delictum vergat in contemptum fidei, auctoritatis ecclesiasticae aut in publicum animarum damnum.

1. Cf. BOUQUILLON, *o. c.*, l. III, pars II, sect. 3, c. 1 et 2 ; Illmus et Revmus WAFFELAERT, *De dubio solvendo,* pars II, sect. 2, c. 2, coll. parte III, sect. 2 ; *Theol. Mechl.*, De censuris, n. 5, q. 5 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 30 s.

2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 17 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 424 ; COCCHI, *o. c.*, p. 74.

3. Nec immunes sunt ab irregularitatibus ex delicto, quae potius ut inhabilitates habendae sunt. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 121.

4. V. gr., vigilantia, inclusio in domo correctionis.

5. Cf. supra n. 1698.

complices necessarii, mandantes, et ii sine quorum opera delictum commissum non fuisset [1], « tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena » (can. 2231) [2].

2° « Ceteri vero non item, sed alia justa poena pro prudenti superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat » *(ibid.)*.

1723. — VI. **De poenarum observantia.** Ad determinandum modum quo reus poenam incursam observare tenetur distinguendum est inter poenam latae et poenam ferendae sententiae.

1° **Quoad poenas f. s.** Poena *ferendae sententiae,* etsi a jure determinata, non incurritur, nisi postquam judex eam inflixerit et publicaverit in forma canonica sive per sententiam condemnatoriam sive per modum praecepti. Exinde in foro externo de ea certo constat, et hujusmodi poena innodatus tenetur hanc servare in utroque foro, salvo jure *appellationis in suspensivo,* si poena fuerit inflicta per sententiam judicialem, et *recursus in devolutivo* si fuerit inflicta per modum praecepti [3].

2° **Quoad poenas l. s.** « Poena *latae sententiae,* sive medicinalis, sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet » (can. 2232, § 1). Hoc sequitur ex ipsa notione poenae l. s., quae effectum suum sortitur et ipsa trahit secum exsecutionem, absque ministerio judicis, i. e., absque sententia condemnatoria aut declaratoria. Sed potest quis teneri aliqua poena et tamen ob justam et rationabilem causam ab ipsius observantia *excusari,* ideo statuitur in codice hoc principium :

b) « Ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur *quoties eam servare sine infamia nequit,* et in foro externo ab eo ejusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223, § 4 » (can. 2232, § 1). Tria hic a codice statuuntur :

α) Cum contra naturalem aequitatem sit ut quis seipsum prodere et infamare cogatur, legislator generalissimis verbis declarat delinquentem excusari a poena incussa observanda quoties eam servare in foro externo sine infamia nequeat. Quae causa excusationis sese extendit ad quascumque poenas l. s., sive positivas aut privativas, sive vindicativas [4] aut medicinales, sive irritantes aut etiam inhabilitantes [5]. Hoc principio

1. Cf. supra n. 1698.
2. Cf. exempla ap. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 425.
3. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 79.
4. Ope can. 2290 ab observanda poena vindicativa *l. s.*, etiam in aliis casibus delinquens poterit eximi.
5. A quibus servandis etiam excusatur, etsi consistant in privatione juris, qui infamiae periculo cogatur.

suppletur veteri juri ubi hac de re deerat explicitum praescriptum [1].

« Ita parochus ob delictum occultum excommunicatum, donec occasionem absolutionis reperiat, administrare sacramentum et sacrum celebrare poterit, ne omissione officii se infamet ; nec beneficiatus suo beneficio, quo poena privatur, se spoliare vel illud, ad quod inhabilis factus est, recusare debet, si aliter agendo se proderet [2]. »

β) Nemo, nec ipse Superior ecclesiasticus, potest exigere a reo poenae latae sententiae observantiam ante sententiam declaratoriam, excepto casu notorii, quia in notoriis nulla desideratur probatio [3].

γ) Potest utique Superior, ad normam can. 2223, si hoc expedire judicaverit, proferre sententiam declaratoriam, imo ad hoc tenetur, si a parte cujus interest fuerit requisitus, vel bonum commune id exigat.

c) In hoc praeterea differunt sententia declaratoria et sententia condemnatoria, quod prior vim suam exerat in praeteritum ad usque momentum patrati delicti (can. 2232, § 2) ; non item posterior, quae incipit tantum a die sententiae. Quare qui beneficio privatur per sententiam condemnatoriam, tenetur restituere fructus a die sententiae ; qui vero eodem privatur per sententiam declaratoriam, a die delicti commissi.

1724. — VII. **De poenae inflictione.**

1° « Nulla poena infligi potest, nisi *certo* constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum » (can. 2233, § 1) [4].

2° « Licet id legitime constet, si agatur de infligenda *censura,* reus reprehendatur ac moneatur ut a contumacia recedat ad normam can. 2242, § 3, dato, si prudenti ejusdem judicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore ; contumacia persistente, censura infligi potest » (*ibid.*, § 2).

Explicationis causa juvat hic quaedam proponere de monitione quae praemittenda est censurae irrogandae.

a) *Monitio* est intimatio legitima a Superiore subdito delinquenti facta ipsum censura mulctatum iri nisi resipiscat.

b) Monitio duplex *distinguitur ;* alia lato sensu dicitur *legalis* aut *a jure,* quae continetur in promulgatione legis aut praecepti praecipientis vel prohibentis sub censura ; alia stricto jure dicitur *canonica* aut *ab*

1. Cui defectui suppleverant auctores distinctione poenarum in positivas et negativas seu privativas, declarantes poenas positivas et negativas jus quaesitum respicientes in foro externo non urgere, ne quis deberet seipsum prodere et spoliare ; poenas vero negativas jure acquirendi privantes urgere quoque in foro externo. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 72 ss.
2. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 426.
3. Cf. supra n. 1712, 3° ; WERNZ, *o. c.*, p. 71 s. ; SOLE, *o. c.*, n. 129.
4. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 130. — Cf. supra de praescriptione, n. 1573.

homine, qua judex aut Superior reo praecipit aliquid faciendum vel omittendum intra definitum tempus sub comminatione talis determinatae censurae.

c) De necessitate praeviae monitionis hoc tenendum videtur :

α) Cum censurae ferantur tantummodo in *contumaces,* cumque ut de contumacia actuali constet, requiratur praevia correptio, ideo non tantum contra normas juris, sed etiam contra naturam et proprium finem censurarum est ferre censuram nulla praemissa monitione [1].

β) Sed quaeritur an *omni censurae* praemittenda sit monitio. *Canonica* monitio, nisi aliter statuerit censurae auctor, non requiritur pro censuris *latae sententiae,* sive a jure, sive ab homine, pro delictis *futuris;* quia lex vel praeceptum censetur subditos continuo monere de sua obligatione et poena a transgressoribus incursura [2]. Attamen, priusquam feratur sententia declaratoria, *citandus est reus,* ut valeat se defendere, quando delictum ejus et contumacia non sunt notoria ; juris enim principium est : *contra inauditam partem non est sententia ferenda.*

Utrum monitio praecedere debeat dum censura alicui delicto *futuro* a jure annexa est, sed tantum ut *ferendae sententiae,* olim disputabatur inter auctores [3] ; at hodie ex can. 2242, § 2, haec praevia monitio necessaria dicenda est. Quod alio modo resolvendum est si agatur de violatione *praecepti particularis,* quod censura f. s. communitum erat [4].

At monitio praevia necessaria dicitur quando censura *primum* infligitur *per sententiam* ab homine pro delicto *commisso.*

γ) Graviter certe peccat qui debitam monitionem omittit absque causa urgentissima ; sed an ideo censura erit *invalida ?* Olim sententia communior tenebat censuram esse invalidam, si ne unica quidem facta fuisset monitio, nisi crimen et ipsa quoque delinquentis non resipiscentis contumacia essent notoria [5]. Hodie hac de re non conveniunt auctores : sunt qui censuram absque ulla monitione praevie facta ex ipsa natura censurae invalidam probabiliter censent [6]. Dubium tamen merito movetur ex can. 11 [7] et can. 2222, § 1.

δ) Quoad modum faciendae monitionis, *olim* antequam censura infli-

---

1. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 132 cum aliis ibid. citatis.
2. Cf. can. 2242, § 2.
3. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1398.
4. Ad quaesitum : utrum ad normam can. 2233, § 2, ob violationem praecepti peculiaris quod erat censura communitum f. s., statim post delictum comprobatum, censura infligi possit, an vero praemittenda sit alia monitio, P. C. ad interpr. cod. can., die 14 jul. 1922, respondit : « affirmative ad 1 am partem ; negative ad 2 am », *AAS.,* 1922, t. XIV, p. 530.
5. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o.* et *l. c.*
6. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 132; CAPPELLO, *o. c.,* n. 34 ; SALUCCI, *o. c.,* p. 160.
7. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.,* n. 1265.

geretur, regulariter dabatur monitio *trina,* vel una saltem pro tribus exprimendo quod *peremptoria* esset et tribus aequivalens ; inter singulas monitiones spatium intercederet necesse erat *duorum saltem dierum,* vel, si una fieret pro tribus, spatium aliquod dierum inter illam et censurae pronuntiationem, nisi facti necessitas aliter suaderet. *Hodie* haec omnia prudenti arbitrio judicis vel Superioris relinquuntur (can. 2233, § 2 ; 2309, § 6), nisi numerus monitionum et intervalla dierum inter monitiones expresse in lege determinentur [1]. Monitio fieri potest *in scriptis* vel *oretenus,* ad normam can. 2143, § 1. Praeterea necesse est ut in monitione Superior recolat censuras a jure statutas, addatque exhortationes et correctiones ad emendationem delinquentis [2].

3° « Qui plura delicta commisit, non modo gravius puniri, sed si, prudenti judicis arbitrio, res id ferat, subjici etiam debet *vigilantiae* vel alii remedio poenali » (can. 2234) [3].

4° « Delictum frustratum aut conatus delicti [4], nisi tanquam distincta delicta lege plectantur, possunt congrua poena pro gravitate puniri, salvo praescripto can. 2213, § 3 » (can. 2235).

TITULUS VII.

DE POENARUM REMISSIONE.

1725. — I. **De modis quibus cessant poenae.** Poenae multiplici modo cessant aut tolluntur, v. gr., revocatione, irritatione, lapsu temporis, morte rei, remissione.

Revocatione, quando superior, errore cognito, latam sententiam rescindit.

Irritatione, quando judex superior, in casu appellationis, sententiam inferioris revocat.

Lapsu temporis, si sit poena ad tempus determinatum, puta ad mensem, ad annum, etc. indicta.

Morte rei, si poena sit *personalis,* excepta privatione sepulturae et suffragiorum ; non vero si sit *realis* in delinquentis bona, quae etiam post mortem rei exsecutionem admittit.

Remissione, si superior legitimus poenam condonat vel *absolutione* vel *dispensatione.* Prior modus refertur ad *poenas medicinales ;* alter locum habet tantum in *poenis vindicativis* (can. 2236, § 1).

1. Cf. can. 649, 660, 662. Cf. SALUCCI, *o. c.,* p. 159 s.
2. Cf. can. 2233, § 2; 2168, § 2; 2176; 661, § 1. Cf. etiam can. 1717, § 1 et 3; 1720.
3. Cf. can. 2208; § 2; 2218, § 1; 2311, § 2.
4. Cf. supra n. 1700 s.

Magnum quoad remissionem poenarum est discrimen inter censuras et reliquas poenas : illae enim, pro natura sua medicinali, statim tollendae sunt cum adest resipiscentia seu recessus a contumacia ; istae vero, pro natura sua vindicativa ad expiationem delicti, reum tenent in perpetuum aut definitum tempus. Inde absolutio est *actus justitiae,* qui non pendet a voluntate Superioris sed delinquentis ; dum dispensatio est *actus gratiae,* quae undequaque pendet a voluntate Superioris et per se denegari potest reo resipiscenti. Pro denegata absolutione datur appellatio ad Superiorem ; pro denegata vero dispensatione datur tantum in casu gravis necessitatis recursus ad Superiorem. Absolutio est *secundum legem* quae exigit ut cesset censura, cessante contumacia ; dispensatio est *contra legem,* quia infringit legem poenalem. Absolutio est proinde latae interpretationis, strictae vero dispensatio. Absolutio semel concessa revocari nequit, dum contra dispensatio revocabilis est ab eo qui eam concessit potestate ordinaria, nec repugnat ut cessante causa finali et adaquata dispensationis, cujus usus tractum habet successivum, ipsa dispensatio cesset. Censurae denique non reservantur quoad absolutionem, nisi expresse in lege vel in praecepto generali dicatur [1] ; poenae vindicativae vero toties reservantur, quoties dispensandi facultas expresse non conceditur [2].

1726. — II . **Superior competens quoad remissionem poenarum** (can. 2236).

1° « Remissio poenae sive per absolutionem, si agatur de censuris, sive per dispensationem, si de poenis vindicativis, concedi tantum potest » : a) « ab eo qui poenam tulit » lege vel praecepto ; b) « ab ejus *competente* Superiore aut successore. » Hinc Metropolita dispensare nequit subditum suffraganei sui, nisi in casu appellationis vel visitationis ; c) « vel ab eo cui haec potestas commissa est » (can. 2236, § 1). Potestas remittendi poenas aliquando de jure conceditur uti *Ordinariis* (can. 2237), confessariis (can. 2252, 2254, 2290), vel speciali delegatione obtinetur.

2° « Qui potest a lege eximere, potest quoque poenam lege adnexam remittere » (can. 2236, § 2).

3° « Judex qui ex officio *applicat* poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit » (can. 2236, § 3) ; judex enim ut talis post poenam sua sententia applicatam, functus est munere

1. Cf. can. 2245, § 4 ; c. 29, X, V, 39.
2. De discrimine inter absolutionem et dispensationem cf. THESAURUS, *o. c.,* pars I, c. 20 ; WERNZ, *o. c.,* p. 94, nota (68) et p. 177, nota (144) ; COCCHI, *o. c.,* p. 86 ; SALUCCI, *o. c.,* p. 163 ss. ; SOLE, *o. c.,* n. 141 s.

suo ; ergo, nisi accepta a R. P. speciali facultate aut generali sibi a jure communi facta potestate, poenam per dispensationem tollere non potest [1].

1727. — III. **Potestas Ordinariorum circa poenas l. s. juris communis** [2].

1° « In casibus *publicis* [3] potest Ordinarius *poenas latae sententiae jure communi statutas* remittere [4], exceptis : a) casibus ad forum contentiosum deductis [5] ; b) censuris Sedi Apostolicae reservatis ; c) poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam, eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae juris, privationis juris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae » (can. 2237, § 1).

3° « In casibus vero *occultis* [6], firmo praescripto can. 2254 et 2290 [7], potest Ordinarius *poenas latae sententiae* jure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis casibus specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis » (*ibid.*, § 2).

Notandum autem quod dispensatio data ab inferiore in lege superioris, ubi ea fieri potest, ad validitatem requirat *causam rationabilem,* proportionatam gravitati legis. Causae justae universim reducuntur ad bonum commune, sive directe, sive indirecte ; tales sunt v. g. necessitas vel utilitas privata spiritualis aut temporalis, favor religionis, dignitas personae, merita in Ecclesiam, etc. [8].

1728. — IV. **De modo servando in poenarum remissione.**

1° « Poenae remissio, vi aut metu gravi extorta, ipso jure nulla est » (can. 2238).

Controvertitur inter auctores utrum invalida reddatur poenae remissio si extorta fuerit ex metu gravi *injusto,* vel etiam ex quolibet metu licet *justo.* Alii autumnant remissionem ex justo metu extortam esse validam,

---

1. Ita WERNZ, *o. c.*, p. 94. Cf. etiam LEGA, *o. c.*, p. 162 s.
2. Codex per hoc praescriptum definit et extendit potestatem quam auctores Ordinariis ex tacito R. Pontificis consensu et ex Tridentino (Sess. XXIV, c. 6, de ref.) vindicabant. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1384 ; 1406, p. 238.
3. Cf. can. 2197, supra n. 1690.
4. Per se vel per alium, est enim potestas haec Ordinariorum *ordinaria.* Cf. SOLE, *o. c.*, n. 146. — Intelliguntur omnes Ordinarii ad normam can. 198.
5. Casus ad forum contentiosum deducitur cum reus legitime citatus est (can. 1725), ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 431. Cf. etiam SOLE, *o. c.*, n. 148.
6. Cf. can. 2197, supra n° 1690.
7. Juxta quos canones in casibus urgentioribus *quilibet confessarius* potest in foro sacramentali a censuris l. s. quoquo modo reservatis absolvere, ac obligationem servandae poenae l. s. suspendere, servatis servandis, uti postea declarabitur.
8. Cf. can. 84 ; VAN DEN BERGHE, *o. c.*, n. 149 ss., p. 135.

arguentes ex cap. unico « *De iis quae vi, metusve causa fiunt* [1] » ex quo canon 2238 desumptus est [2]. Alii censent remissionem in casu esse invalidam, tum quia canon nullam instituit distinctionem inter metum justum et injustum, tum quia in casu metus incussus a censurato petente absolutionem semper est injustus [3]. Quae sententia seria probabilitate haud caret.

2° « Poena valide remitti potest praesenti vel absenti, absolute vel sub conditione, in foro externo vel interno tantum » (can. 2239, § 1).

a) Qui pollet jurisdictione remittendi poenas pro foro externo, etiam erga absentem per litteras vel per nuncium potest hac uti facultate ; idem dicendum est de eo qui habet hanc potestatem pro foro interno extrasacramentali. Si vero remissio poenarum facienda sit in foro sacramentali, non potest dari nisi praesenti.

b) Conditio adnexa potest esse *suspensiva,* v. gr., eris absolutus quando restitueris, vel *resolutiva,* v. gr., nisi intra determinatum tempus restitueris, eris denuo eo ipso censuratus. Haec posterior absolutio dicitur ad *reincidentiam* [4].

c) Remissio pro foro externo valet quoque pro foro interno, at non vicissim [5]. Confessarii generatim non possunt remissionem poenae concedere nisi pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis [6].

3° Nulla *forma* ex jure requiritur ad *validitatem,* quare disponitur : « Licet poena *etiam oretenus* remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam ejus remissio scriptis concedatur » (can. 2239, § 2) [7].

1729. — V. **De actionis poenalis praescriptione.** « Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703 » (can. 2240) [8].

SECTIO II.

DE POENIS IN SPECIE.

Ordo rerum. Triplici titulo absolvitur haec sectio : tit. VIII, de poenis medicinalibus seu de censuris ; tit. IX, de poenis vindicativis ; tit. X, de remediis poenalibus et poenitentiis.

---

1. C. 1, in VI, I, 20.
2. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 432 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1269.
3. SOLE, *o. c.*, n. 151 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 173 s.
4. Cf. can. 2252 ; 2254, § 1 et 3. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 176 s.
5. Cf. can. 2251.
6. Cf. can. 2254 ; 2290.
7. Cf. SALUCCI, *o. c.*, p. 175 s.
8. Cf. supra n. 1573 s.

TITULUS VIII.

DE POENIS MEDICINALIBUS SEU DE CENSURIS.

Praesens tractatus juxta ordinem codicis duplex habet punctum ; censurae namque spectandae sunt tum in genere, tum in specie.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE.

1730. — Praenotanda. 1° *Distributio materiae.* Codex, data definitione censurae (can. 2241), agit de causa et subjecto censurarum (can. 2242 et 2244), de effectibus censurae inflictae (can. 2243), de ejus reservatione (can. 2245-2247), demum de absolutione a censura (can. 2248-2254).

2° *Significatio vocis.* « Veteres latini scriptores, ait Berardi [1], censuram generaliter appellarunt quamcumque notam, qua aut persona, aut gestum, aut scriptum aliquod afficeretur, derivato nomine ab eo quod Romae olim institutum fuerat censoris officio. » Romani enim singulis lustris creabant *censores,* quorum inter alia munus erat ut mores corrigerent, eosque qui improbi essent, plecterent.

Ab antiquo nomen censurae in jure ecclesiastico adhibetur ; sed olim latissime accipiebatur, ad designandas nempe quascumque poenas spirituales ; a tempore Innocentii III [2] vero restringitur ad tres tantum, nempe ad excommunicationem, suspensionem et interdictum [3].

§ 1. NATURA ET DIVISIO CENSURARUM.

1731. — I. **Notio censurae.** Censura est « *poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax* quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur » (can. 2241, § 1).

Dicitur 1° *Poena ;* consistit enim in privatione, et delictum supponit. Quae poena est a) *spiritualis,* tum quia fertur a solis Ecclesiae magistratibus ; tum quia sola bona spiritualia directe et immediate aufert (indirecte tamen potest corporalibus vel temporalibus bonis, spiritualibus adnexis privare) ; tum quia ligat in coelo et animas obligat, uti constat ex Bulla *Auctorem fidei,* qua prop. 46 doctrina contraria damnatur ut *falsa, perniciosa, in articulo 23 Lutheri damnata, ad minus erronea ;* b) *medicinalis ;* quia censura primario et principaliter fertur in emendationem delinquentis : imponitur tamquam medicina ad praecavenda

1. *Comment. in jus. eccl.,* t. IV, pars II, dis. 3, c. 1.
2. Cf. c. 20, X, V, 40.
3. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 149 ; SOLE, *o. c.,* n. 156 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 1.

peccata nondum admissa, eaque admissa curanda, ut nempe quis non peccet, et si peccaverit ad meliorem frugem redeat [1]. Hinc, ut censura *formaliter* feratur per modum *censurae*, et non generatim per modum poenae, ita ferenda est, ut statim ac reus sese emendaverit, absolvi possit : cessante enim morbo, cessat medicina. Sublata vero spe emendationis, non censura, sed poena potius ordinaria adhibetur ; et si subinde certae censurae in vindictam legis feruntur, propius ad aliarum poenarum naturam accedunt [2].

2° *Qua homo baptizatus* [3] *delinquens et contumax.* Quamvis enim censura, ut reliquae poenae, propter *delictum* infligatur, *contumacia* tamen est ejusdem causa quasi immediata, ita ut haec amara medicina non imponatur nisi iis, qui propter contumaciam tanto indigent remedio [4].

3° *Quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur.* Etenim a) censura privat ipsis bonis, saltem quoad usum eorum : impedit nempe quominus jura exerceantur. Sic, clericus suspensus a beneficio non ipsum amittit beneficium, sed redditus non facit suos. b) Censura non privat usu *omnium* bonorum spiritualium, sed eorum dumtaxat quae subsunt Ecclesiae jurisdictioni : bona scilicet communia, externa et interna cum his conjuncta, uti sunt sacramenta, sacrificia, beneficia et officia ecclesiastica, spiritualis jurisdictio, suffragia publica et satisfactiones, externa communio Sanctorum, admissio in Ecclesiam, sepultura ecclesiastica. Ecclesia aliquem privare potest illorum usu tum activo, id est, administratione, tum passivo, id est, susceptione [5]. c) Inter illa bona quibus censuratus privatur alia sunt spiritualia uti jurisdictio, suffragia publica ; alia sunt spiritualibus adnexa, veluti fructus beneficii, administratio bonorum beneficii, etc.

4° *Donec, a contumacia recedens.* Finis *proprius* et *primarius* censurae est ut delinquens a contumacia recedat ; quo absente non erit vera censura, sed poena vindicativa. Tamen Ecclesia per censuram intendit *secundario* punire delictum aliisque timorem incutere.

Personae, dixerit aliquis, solae videntur sic innui, et tamen localia quoque sunt interdicta. Sed haec ipsa referuntur ad personas, quae pro-

---

1. Cf. c. 1, in VI, V, 11.
2. Cf. de indole medicinali et vindicativa censurae, WERNZ, *o. c.*, p. 150 s. ; HOLLWECK, *o. c.*, p. 84, § 22 ; FEYE, *Tract. de censuris*, p. 3 s., n. 7 ; *Nouv. rev. théol.*, 1906, p. 254 ss. ; SOLE, *o. c.*, n. 157.
3. Qui solus subest legi ecclesiasticae. Cf. 1 ad Cor., V, 12. Quoties in veteri jure non baptizati leguntur excommunicati, aliud debet intelligi ; v. gr. in cap. 10 et 12 *De usuris*, agitur de communione civili, quae ope principum ablata fuit.
4. Quid sit contumacia dicetur infra ad can. 2242, n. 1733. Cf. supra n. 1725.
5. Cf. NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 8.

hibentur in certo loco certa jura sacra, aut ea, certis saltem modis, exercere.

5° *Absolvatur,* ad indicandum modum quo censura tollitur.

Nota. « Censurae, praesertim latae sententiae, maxime excommunicatio, ne infligantur, nisi *sobrie* et magna cum circumspectione » (can. 2241, § 2) [1].

1732. — II. **Divisio censurarum.** 1° Censura triplex distinguitur : nempe *excommunicatio, suspensio,* et *interdictum* (can. 2555, § 1).

2° Quaelibet potissimum subdividitur in censuram : a) *a jure,* vel *ab homine ;* b) *latae,* vel *ferendae sententiae ;* c) *reservatam* vel *non reservatam,* prout superior earum absolutionem sibi vel paucis tantum ab ipso designatis reservavit, aut contra, cuilibet sacramenti Poenitentiae ministro reliquit. Cum potestas absolvendi a censuris insit potestati jurisdictionis, datur tantum ab eo cujus est potestas ligandi.

Praeterea censurae sunt *notoriae, publicae* vel *occultae,* prout delictum sub censura prohibitum est notorium, publicum vel occultum [2] ; *justae* vel *injustae, validae* vel *invalidae.* Valida et justa vocatur censura quae nullo laborat defectu ; valida et injusta appellatur, quae vitiatur defectu mere accidentali ; tandem invalida et injusta est, quae substantialem habet defectum [3].

§ 2. CAUSA CENSURARUM.

1733. — « Censura, punitur tantummodo *delictum externum, grave, consummatum,* cum contumacia conjunctum ; potest autem ferri censura in *delinquentes ignotos* » (can. 2242, § 1).

1° *Delictum grave, externum, consummatum* [4]. Quia censurae, prout communiter feruntur, poenae gravissimae sunt, omnino requiritur ad eas infligendas delictum grave seu mortale etiam in ratione actus externi [5]. Imo censurae convenienter non sunt ferendae nisi propter delicta graviora [6].

2° *Conjunctum cum contumacia* contra superiorem ecclesiasticum aut

---

1. Cf. Trid. Sess. XXV, c. 3, de ref.
2. Cf. supra n. 1690.
3. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 152.
4. Cf. supra, n. 1714.
5. Etsi forte sit plene occultus.
6. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 162 ; HOLLWECK, *o. c.,* p. 91 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 20 ; *Nouv. rev. théol.,* 1905, t. XXXVII, p. 359 ss. ; *Coll. Brugen.,* t. IV, p. 154 ss. ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 24 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 19 ss. Cf. etiam HILLING, *Die Bedeutung der justa causa für die Gültigkeit der Exkommunicationssentenz,* in *Arch. f. kath. Kr.,* 1905, t. LXXXV, p. 246 ss., 516 ss., 719 ss.

ejus praeceptum ; quia censurae praecipuus finis est frangere subditorum pertinaciam.

a) Contumacia est contemptus auctoritatis superioris ecclesiastici sub poena censurae monentis vel praecipientis. Quare, ad constituendam contumaciam, requiritur ut post comminationem poenae aut post monitionem delinquatur. Non tamen requiritur inobedientia directa, seu contemptus *formalis* auctoritatis ecclesiasticae sub censura praecipientis aut prohibentis ; sufficit *interpretativus* seu *virtualis* quem censetur habere qui voluntarie transgreditur legem, cui scit annexam esse censuram. Ille enim vere Ecclesiam monentem non audit [1].

Cum autem in foro externo non judicetur nisi de externis, licet in foro interno requiratur vera, in externo sufficit contumacia praesumpta ex probatis, vel ex externis indiciis.

b) In censuris sive latae sive ferendae sententiae semper requiritur contumacia ; at alia et alia ratione. « Si agatur *de censuris ferendae sententiae* contumax est qui, non obstantibus monitionibus de quibus in can. 2233, § 2 [2], a delicto non destitit vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat ; ad incurrendam vero *censuram latae sententiae* sufficit transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa [3] ab hac excusetur » (can. 2242, § 2).

c) Censura infligi nequit in *delictum mere praeteritum* [4] quia censura est poena medicinalis, quae proinde ferri non debet in eos, qui jam ad meliorem frugem redierunt, nisi agatur de suspensione et interdicto, quae aliquando infliguntur per modum purae poenae. Ut peccatum dicatur praeteritum, necesse est ut ita prorsus cesset, ut nullo modo conjunctum sit cum aliqua inobedientia et contumacia praesenti. Infligi enim posset censura propter peccatum praeteritum, quod, ut dicitur, tractum successivum habet, id est, quod aliquo modo pendet in futurum, vel quia reus in eo perseverat, vel quia non vult scandalum tollere.

d) « *Contumaciam desiisse* dicendum est, cum reum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit ; judicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut ejusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur » (can. 2242, § 3).

---

1. Cf. REIFF., h. t., n. 14 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 24 ; *Coll. Brugen., l. c.*, p. 157, coll., t. III, p. 626 ; WERNZ, *o. c.*, p. 155.
2. Cf. supra, n. 1724.
3. Cf. supra de causis a poenis excusantibus, n. 1693 ss., 1715 ss.
4. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 36. Quaestio utrum delictum sit omnino praeteritum necne, in censura *ferendae sententiae* tantum obtinet.

Hic erit confessarius in foro sacramentali et Ordinarius vel saltem Superior jurisdictione ordinaria in foro externo munitus.

§ 3. SUBJECTUM CENSURARUM.

1734. — 1° *Subjectum censurae* est homo viator, baptizatus, rationis capax et subditus ferenti censuras [1].

2° « Potest ferri censura etiam in delinquentes ignotos » (can. 2242, § 1). Dicitur in delinquentes *ignotos*, minime vero in delinquentes *incertos*. Subjectum enim censurae debet esse certum et saltem conditionate determinatum. Id quod etiam obtinet in censuris quae ipso jure incurruntur. Sententia vero censurae in personam vel personas vage determinatas, v. gr. excommunico unum ex tribus auctoribus hujus criminis, est nulla et irrita [2]. Sed auctor alicujus delicti, quamvis *certus*, potest manere *ignotus*, ita, v. gr., si agatur de delicto quod natura sua complicem postulat, et unus cognoscatur, alius vero ignoretur [3]. Quo in casu monitio fit per edictum ad normam can. 1720.

3° Nihil obstat quominus *idem subjectum pluribus censuris non solum diversae, sed etiam ejusdem speciei obstringatur*, propter diversa delicta aut propter idem (can. 2244, § 1). Nulli enim dubium quin possit aliquis ob plura peccata, specie et numero diversa, pluribus censuris diversae aut ejusdem etiam speciei ligari : vinculum enim morale inducens privationem bonorum spiritualium potest multiplicari, licet non multiplicetur privatio, sed haec ex pluribus titulis et causis existit. Ob unum pariter delictum potest quis ligari duplici censura ejusdem speciei, una a jure, altera ab homine, vel una ab uno, altera ab alio homine diversam habente potestatem, si nempe adsit contumacia respectu utriusque superioris: eadem quidem est causa materialis, unum delictum; sed diversa causa formalis seu contumacia [4]. Ita censuris applicatur axioma a jure receptum : « ordinarie tot poenae quot delicta » (can. 2224, § 1) [5]. Quapropter :

a) « Censura *latae sententiae* multiplicatur : α) si *diversa* delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur » (can. 2244, § 2, 1°), ex. gr., si quis sacerdotem occidat in ecclesia ; si quis haeresim committat et librum haeretici haeresim

1. Cf. supra n. 1713 ; WERNZ, *o. c.*, p. 158 ss. ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 15 ss.
2 Ita WERNZ, *o.* et *l. c.*
3. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 161.
4. Cf. FEYE, *o. c.*, p. 55 ; WERNZ, *o. c.*, p. 159 et p. 164 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 19 ; LEGA, *o. c.*, p. 151 s. ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 18.
5. Cf. HONIG, *Studien zur juristischen und natürlichen Handlungseinheit*, Mannheim, 1925.

propugnantem legat ; β) « Si *idem* delictum, censura punitum pluries repetatur ita ut sint plura delicta distincta » (*ibid.*, 2°). Ita qui clericum ter vel quater percutit, posito notabili intervallo inter singulas percussiones, incurrit tres vel quatuor censuras ; dum unicam incurrit si eum pluries continuo percutiat, cum actus repetiti non sint inter se moraliter distincti ; γ) « Si delictum, *diversis* censuris a *distinctis* superioribus punitum, semel aut pluries committatur » (*ibid.*, 3°), ut si quoddam delictum sit excommunicatione mulctatum a R. P., et suspensione ab Ordinario loci [1] ; quod si idem delictum in jure communi et in jure dioecesano excommunicatione puniatur, reus plectitur pontificia tantum censura [2].

b) « Censura *ab homine* multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes ejusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant » (*ibid.*, § 3). Pro his censuris latae sententiae ab homine latae, servandae sunt eaedem normae ac pro censuris latae sententiae a jure statutis.

§ 4. DE EXSECUTIONE CENSURAE.

1735. — Quoad exsecutionem censurae et effectus appellationis aut recursus ab ea, tres distingui possunt casus [3].

1° Censura l. s. jam contracta exsecutionem secumfert et omnes effectus in utroque foro per se exsequitur. Excusatur tamen reus a censura observanda in foro externo, ante sententiam declaratoriam, modo delictum non sit notorium, quando observari nequit sine infamia vel scandalo [4]. De appellatione aut recursu nullus sermo fieri potest, cum omne fundamentum injustitiae poenae vel defectus procedurae desit [5].

Quodsi censura l. s. sit contracta *post sententiam declaratoriam,* appellatio a sententia interponi potest ; qua non obstante censura plenam obtinet exsecutionem a momento commissi delicti [6].

2° « Censurae inflictae *per sententiam judicialem* [7], statim ac latae fuerint, *exsecutionem secumferunt,* nec ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo tantum : item a censuris ad modum praecepti inflictis datur recursus,

---

1. Servato tamen can. 2247, § 1.
2. Ante codicem, auctores jam tenebant alienum esse a jure ut crimina quae censura pontificia plecterentur, ulterius punirentur censura episcopali ejusdem speciei. Cf. DE BECKER, *De Matrimonio*, 1 ed., p. 127, nota ; cf. etiam HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 19 ; DE SMET, *De casibus reservatis*, p. 12, nota 2, Brugis, 1914.
3. CAPPELLO, *o. c.*, n. 42 ss., 82.
4. Cf. can. 2232, § 1, supra n. 1723.
5. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 439.
6. « In foro interno sententia injusta veritati cedit. » VERMEERSCH-CREUSEN, *l. c.*
7. Condemnatoriam.

sed in devolutivo tantum » (can. 2243, § 1). Ratio est quia publicata sententia, censura statim cum omnibus effectibus incurritur quin ullus alius exsecutionis actus requiratur, nec tolli potest nisi absolutione. Inde consequitur interpositam appellationem nec auferre nec suspendere posse contractam censuram [1].

3° Quoad censuras *comminatas at nondum contractas.*

a) « Appellatio vero vel recursus a sententia judiciali vel praecepto *comminante* censuras etiam latae sententiae *nondum contractas,* nec sententiam aut praeceptum nec censuras suspendunt, *si agatur de re in qua jus non admittit* appellationem vel recursum cum effectu suspensivo » (can. 2243, § 2).

Porro non admittunt appellationem aut recursum in suspensivo sed tantum in devolutivo : α) Praecepta et decreta lata ab Ordinario loci occasione canonicae visitationis dioecesis (can. 345) aut monasteriorum aliarumque domuum religiosarum (can. 513, § 2) ; β) revocatio facultatis vel licentiae concionandi (can. 1340, § 3) ; γ) prohibitio alicujus libri (can. 1395, § 2) ; decretum Ordinarii loci innovantis beneficia (can. 1428, § 2) ; decretum definitivum amotionis et translationis parochi (can. 2146) [2].

b) Si agatur de re in qua jus admittit appellationem aut recursum in suspensivo, appellatio et recursus « censuras *suspendunt,* firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto » (can. 2243, § 2).

§ 5. DE RESERVATIONE CENSURAE.

1736. — I. **Divisio reservationis.**

1° « Censurae aliae sunt *reservatae,* aliae *non reservatae* » (can. 2245, § 1), prout sibi uni reservat legitimus Superior jus relaxandi per se vel per alium vinculum censurae aut prout haec facultas sit paenes quemlibet confessarium.

2° Aliae sunt reservatae *ab homine,* aliae *a jure.*

a) Dicitur censura reservata *ab homine* quae fertur a Superiore competente *per modum praecepti particularis* sive latae sive ferendae sententiae, aut *per sententiam condemnatoriam.*

Jam vero « censura ab homine est reservata ei qui censuram inflixit (i. e. ad modum praecepti particularis) aut sententiam tulit, ejusve Superiori competenti, vel successori vel delegato » (can. 2245, § 2) [3].

---

1. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 161.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 82.
3. Sunt qui tenent censuram inflictam per praeceptum particulare non esse reservatam. At haec opinio verisimilius sustineri nequit, cum adversatur praescriptis can. 2245, § 2; 2247, § 2; 2252; 2253, 2°. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 68; ejusd. auct. articulum in *Nouv. Rev. théol.,* 1920, t. XLVII, p. 525 ss. ; CREUSEN, *De reservatione censurae praecepto latae,* in *Jus Pontif.,* 1924, t. IV, ,p. 26 ss. Cf. quoad jus codici anterius DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* p. 222, nota 1 et

b) Dicitur censura reservata *a jure* quae fertur vel *a lege* sive communi sive particulari vel *per generale praeceptum* in particulari territorio.

« Ex censuris vero *a jure* reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario* [1], aliae *Apostolicae Sedi* » (can. 2245, § 2).

« E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt reservatae *simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissime* » (*ibid.*, § 3).

Maxime attendendum est haec distinctio in ordine ad usum facultatum quae requiruntur pro absolutione censurarum Sedi Apostolicae reservatarum : α) Quia pro *speciali modo* et *specialissime* reservatis *generalis* facultas absolvendi a censuris S. A. reservatis non sufficit, sed omnino specialis, respective specialissima facultas requiritur (can. 2253, 3°) ; β) quia facultas ab iisdem absolvendi non continetur in facultate Episcopis concessa, absolvendi nempe ab omnibus poenis occultis etiam Papae reservatis (can. 2237, § 2) ; γ) quia sine debita facultate ab his absolvere praesumentes specialem excommunicationem S. A. simpliciter reservatam incurrunt (can. 2338, § 1) ; δ) quia a censura specialissime S. A. reservata in periculo mortis absoluti a non habente facultatem, si convaluerint speciali obligatione tenentur recurrendi ad Superiorem et parendi ejus mandatis (can. 2252) [2].

c) « Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur » (can. 2245, § 4).

Optime notat Cappello [3] : verba « censura l. s. non est reservata, nisi in lege vel praecepto expresse dicatur » sunt intelligenda, ut apparet ex contextu, praesertim ex § 2, de censuris *a jure*, ac de iis quae feruntur *per modum censurarum a jure*, id est per praeceptum generale [4].

---

p. 202, nota 2. Cf. tamen MICHIELS, *De reservatione censurae l. s. praecepto particulari adnexae*, in *Ephem. theol. Lovanien.*, 1927, t. IV, p. 180 ss. p. 613 ss., et consonat interpretatio can. 2245, § 2 et § 4 proposita a SALUCCI, *o. c.*, p. 198, nota 1. Haec interpretatio ita a SALUCCI proponitur : « can. 2245, § 2 : censurae *ferendae sententiae* sunt reservatae ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, etc. ; § 4 : censurae *latae sententiae* non sunt reservatae nisi in lege vel praecepto *particulari aut communi* id expresse dicatur. In § 2 sermo est de censuris f. s., sive a jure, sive ab homine ; codex utitur verbo generali *ab homine* propter simplicem rationem quod censura f. s., etiam si sit *a jure*, fit *ab homine* et proinde reservata, post sententiam. In § 4 evidens est agi solum de censuris latae sententiae, sive a jure sive ab homine, quae utpote magis odiosae quam censurae f. s., cum ipso facto feriunt reum, ordinarie non sunt reservatae. »

1. Intelligitur quoad reservationes *juris communis* de quibus loquitur codex, Ordinarius loci aut Ordinarius personarum, ad normam can. 198. Absolutio censurae potest *jure particulari* reservari Episcopo, Vicario Generali, vicariis foraneis, etc., vel si agatur de religione clericali exempta, Superioribus majoribus, provincialibus, localibus, etc. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 442.

2. Cf. NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, p. 11 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.* Cf. SCHWENTNER, *Die Excommunication specialissimo modo reservata*, ap. *Th. prakt. Quart.-schrift*, 1925, t. LXXXVIII, p. 283 ss.

3. *O. c.*, n. 68. Cf. tamen *Ephem. theol. Lovanien.*, *l. c.*, p. 185 ss.

4. Addit tamen : « fatemur accuratiorem redactionem optandam. »

d) « In dubio sive juris sive facti reservatio non urget » (can. 2245, § 4). Proin sive dubium positivum habeatur ex parte absolventis aut absolvendi, sive versetur circa peccatum aut circa censuram aut ejus reservationem, reservatio cessat, nec stricte necessaria est absolutio *ad cautelam* [1].

Nota. Reservatio censurae non est confundenda cum reservatione peccatorum, de qua agitur in can. 893-900 [2]. Intima adest tamen inter utramque materiam connexio ut patet ex can. 2246, § 1 et § 3.

1737. — II. **Quomodo reservatio sit statuenda et interpretanda.**

1° « Ne reservetur censura, nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium » (can. 2246, § 1) [3].

Patet jus particulare posse statuere censuras reservatas, attenta praefata norma. Duae censurae, a Conc. Provinc. Mechilien. IV statutae, n° 131, 4° et n° 136, 3°, non sunt reservatae [4].

2° « Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit *aliam* censuram *sibi reservatam* in idem delictum ferre » (can. 2247, § 1).

3° « Reservatio censurae *strictam* recipit interpretationem » (can. 2246, § 2), cum sit res odiosa. Inde non valet argumentatio *a pari,* imo nec *a fortiori* [5].

1738. — III. **Utrum reservatio censurae importet reservationem peccati.**

1° « Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est » (can. 2246, § 3). Si, contra, sacramentorum receptionem non impediat, peccatum non est reservatum. Porro censurae quae impediunt receptionem Sacramentorum sunt *excommunicatio* et *interdictum personale ;* illam vero non secumfert *suspensio.*

2° Hinc patet reservationem *directe* et *immediate* afficere censuram et nonnisi *indirecte* et *mediate* peccatum, ita ut hujus reservatio consequatur reservationem censurae, ab ea dependeat et hujus sit accessoria, sive agatur de casibus papalibus, sive de casibus episcopalibus [6].

---

1. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 71.
2. Cf. FARRUGIA, *De casuum conscientiae reservatione,* ed. 2. Taurini, 1922.
3. Cf. can. 895, 897 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 202 s.
4. Cf. *Collat. Tornacen.*, 1923-1924, t. XIX, p. 271 ss.
5. Cf. can. 2245, § 4.
6. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 70 ; SOLE, *o. c.*, n. 174 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 204.

3° Quare nequit quis absolvi a peccato nisi prius a censura absolutus fuerit ; et ex alia parte « si quis a censura excusatur [1] vel ab eadem fuerit absolutus, reservatio peccati penitus cessat » (can. 2246, § 3). Proin licet a legitimo Superiore quaerere absolutionem a censura vel dispensationem a reservatione et dein absolutionem a peccato a simplici confessore accipere. Cum confessarii a censuris absolvere generatim nequeant, nisi in actu confessionis, usus potestatis supponit accusationem vere sacramentalem, i. e. ad absolutionem obtinendam ; non tamen requiritur ut confessio absolutione a peccatis revera compleatur. Qui apud *competentem* confessarium confessionem peragens, peccati oblitus sit cui censura adnexa sit, peccatum illud jam apud quemlibet confessarium confiteri poterit. Censura enim et reservatio jam cessaverunt, cum confessarius suis facultatibus quantum possit, nisi contrarium constet, uti velit [2].

4° Confessario cui conceditur facultas absolvendi a censura, *per se* tribuitur quoque potestas absolvendi a peccato cui censura adnexa est. Vicissim confessarius cui tribuitur facultas absolvendi a peccato cui cohaereat censura, censetur accepisse quoque potestatem ab hac absolvendi, quia unum sine altero fieri nequit [3].

1739. — IV. **Effectus reservationis.**

1° Censurae reservatae *a jure communi* ubique locorum tenent.

2° « Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur » (can. 2247, § 2) [4].

Sequitur neminem ligari extra territorium suum censuris a jure reservatis ab omnibus Praelatis inferioribus Romano Pontifice [5] ; idemque valeret, si ageretur de censura particulari lata a Romano Pontifice. Praeterea peregrinus censuris dioecesis in qua versatur non subest, nisi interveniat ratio boni publici.

3° « Censura... *ab homine* est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit » (can. 2247, § 2). Ratio est quia *ipsam personam* directe et immediate afficit, uti praeceptum particulare, eamque sequitur quocumque versatur [6].

---

1. V. gr., propter metum, ignorantiam, etc.
2. Ita quoad eas applicationes VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 445.
3. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 70.
4. Quoad jus antiquius, cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 446.
5. Exceptis Praelatis religionum clericalium exemptarum quorum jurisdictio in sodales potissimum personalis est. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 67.
6. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 68.

1740. — V. **Ignorantia reservationis ex parte confessarii** [1].

« Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura [2] ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura *ab homine* aut censura *specialissimo* modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2247, § 3).

Ad quam praescriptionem in jure antiquo penitus ignoratam notandum est :

1° Nihil refert utrum confessarius absolvens laboret ignorantia *culpabili* an *inculpabili* (levi aut gravi, immo crassa vel supina).

2° Absolutio in casu est *directa*, ita ut poenitens, re *postea* comperta, nullatenus teneatur peccatum reservatum iterum confiteri habenti facultatem [3].

3° Si poenitens confessarium elegerit quem sciat juris ignarum, tamen valere absolutionem censurae dicendum est, quia codex *consulto* silet de scientia vel ignorantia poenitentis. Quoad absolutionem a peccatis [4], distinguendum est utrum poenitens, non obstante hac scientia, sit rite dispositus (v. g. si existimet se non peccare, aut saltem non peccare graviter), an non [5].

1741. — **Nota.** Supra diximus de modo et forma ferendi censuras, nempe de sollemnitatibus praeviis et concomitantibus seu de monitionibus et de sententia declaratoria aut condemnatoria [6], restat ut verbum addamus de *denuntiatione censurae* [7]. Haec est publicatio censurae ad perfectam sollemnitatem in forma censurae servandam, qua censura incursa *publici juris* fit *post* sententiam declaratoriam aut condemnatoriam [8].

Denuntiatio fit a judice vel Superiore si agatur de censura ab homine, ab Episcopo si lata fuerit a lege dioecesana ; si vero agatur de censuris a jure communi inflictis, denuntiatio, nisi fiat immediate a Romano Pontifice, pertinet ad Ordinarium loci, ubi reus in censuram incidit.

Denuntiationis ejusmodi scopus est ut majori confusione adigatur reus ad resipiscentiam et ut ceteri censuratum vitare debeant.

Potest fieri quocumque legitimo modo, publicatione intra Missarum sollemnia, affixione sententiae declaratoriae aut condemnatoriae ad valvas ecclesiae, insertione in officiali diario [9].

---

1. De ignorantia reservationis ex parte subjecti diximus supra, n. 1717.
2. Agitur de censura quae importat reservationem peccati, ideo additur in canone « ac peccato ». Cf. BLAT, *o. c.*, p. 105.
3. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 72.
4. Cf. can. 2246, § 3.
5. CAPPELLO, *o.* et *l. c.*
6. N. 1724.
7. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 78.
8. CAPPELLO, *o. c.*, n. 78.
9. Cf. *AAS.*, 1915, t. VII, p. 437 s. ; 1927, t. XIX, p. 281. Cf. hac de re CAPPELLO, *o. c.*, n. 79 ; FEYE, *o. c.*, p. 73 ss., n. 112 ss.

§ 6. ABSOLUTIO A CENSURIS [1].

1742. — I. Praenotiones.

1° **Notio.** Censurae stricte dictae [2] non solvuntur per delinquentis poenitentiam vel recessum a contumacia, nec per mortem ferentis [3] nec etiam totaliter per mortem censurati quoad nempe privationem sepulturae ecclesiasticae et suffragiorum ; sed « quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum *legitima absolutione* » (can. 2248, § 1), seu remissione censurae ab eo facta qui legitimam habet remittendi potestatem et juxta formas ab Ecclesia praescriptas [4].

2° **Divisio.** Absolutio a censuris *distinguitur multiplex,* ratione scilicet fori in quo conceditur, ratione modi quo datur, et ratione personae cui, vel a qua tribuitur.

a) *Ratione fori,* alia datur in *foro interno,* alia in *foro externo.* Absolutio pro *foro interno* dari solet in tribunali poenitentiae, et efficit ut reus participare valeat sacramentis vel recuperare exercitium potestatis ecclesiasticae, quin tamen *per se* illius conditio immutetur quoad regimen externum seu forum externum Ecclesiae ; censura enim est vinculum fori externi, ergo per se in hoc foro tollenda est.

Absolutio pro *foro externo* refertur ad externum regimen, et vinculum censurae solvit in utroque foro.

Nota. « Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro extrasacramentali, nisi sacramentale exigatur » (can. 202, § 2), v. gr. si concedatur facultas, adjecta clausula *in actu sacramentalis confessionis, in foro sacramentali, in foro sacramentali et conscientiae tantum* [5]. Regula practica haec est : si potestas concedatur confessario qua *tali,* intelligitur concessa pro foro tantum *sacramentali ;* si concedatur

---

1. Cf. de absolutione a censuris FEYE, *o. c.,* p. 83-170, n. 149 ss. ; WERNZ, *o. c.,* p. 175 ss. ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 34 ss. ; HOLLWECK, *o. c.,* § 30, p. 97 ss. ; LEGA, *o. c.,* p. 154 ss. ; LAURENTIUS, *o. c.,* p. 345 ; *Diction. de théol. cath.,* v° censures ecclés., col. 2131 ss. ; DOLHAGARAY, in *Rev. des sc. ecclés.,* 1895, t. LXXI, p. 415 ; 1903, t. LXXXVIII, p. 56 ; 1904, t. LXXXIX, p. 225 ; *Coll. Gandav.,* 1913-1914, t. V, p. 166 ss. ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 84 ss. ; SOLE, *o c.,* n. 177 ss. ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* p. 27 ss. ; SALUCCI, *o. c.,* p. 208 ss.

2. Suspensio et interdictum quae infliguntur in tempus praefinitum aut in perpetuum, habent indolem poenae vindicativae et auferuntur vel dispensatione vel ipso jure, elapso tempore a Superiore aut lege determinato.

3. « Si quis praeceptum cum annexa censura, etiamsi nec scripto neque coram testibus datum sit, vivente Superiore violaverit, censura, mortuo Superiore, tenet. Immo, ex can. 2245, § 2, reservatio quoque tenet » VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 447. Cf. etiam CAPPELLO, *o. c.,* n. 86.

4. Cf. supra, n. 1725, de discrimine inter absolutionem et dispensationem.

5. Cf. can. 2253, 1° ; 2254, § 1 ; monita S. Poenitentiariae de usu facultatum vi bullae jubilaei, 31 jul. 1924, n. II, *AAS.,* 1924, t. XVI, p. 338. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 588.

sacerdoti, sine clausula peculiari de qua supra [1], concessa intelligitur etiam pro foro *extra-sacramentali* [2].

b) *Ratione modi,* α) alia est *absoluta,* alia *conditionata,* prout datur sine vel cum conditione et quidem de praesenti, de praeterito vel de futuro [3].

β) Absolutio interdum datur *ad cautelam,* quando nempe ignoratur vel *dubium* est utrum quis censurae subjaceat. Ita praecavetur damnum, quod ex censura, si fortassis adesset, posset censurato aliisve imminere. Hujusmodi est quae praemittitur absolutioni sacramentali ob sacramenti reverentiam [4], receptioni ordinum propter speciale periculum incurrendi irregularitatem, collationi beneficiorum vel privilegiorum ad vitandam ejus invaliditatem. Supponit censuratum *ignorare* contractam censuram, vel certe *suspicionem* tantum de ea habere, non certitudinem ; hoc enim casu absolute foret impetranda [5].

γ) Interdum etiam absolutio datur *ad reincidentiam,* qua homo a censura certe cognita ita vere absolvitur ut denuo in eamdem censuram incidat si opus praescriptum non impleat.

Quaeri autem solet utrum ad reincidentiam requiratur nova culpa, an vero sufficiat illa, ob quam primum lata erat censura ?

Probabilius [6] est requiri novam culpam gravem cum contumacia conjunctam, quae in casu contrahitur ob omissionem operis injuncti. Si quis, v. g., negligit se praesentare superiori dum potest, hoc ipso novam committit culpam et reincidentia [7] statim producit suum effectum in foro interno ; in foro tamen externo effectum non habet, nisi post sententiam saltem declaratoriam facti vel reincidentiae.

Confessarius absolvere potest sub onere reincidentiae tantummodo in casibus a jure expressis.

δ) Tandem datur modus absolvendi qui dicitur *ad effectum,* quatenus per illum censura in se non tollitur, sed solummodo determinatus quidam effectus censurae pro certo actu et tempore aufertur vel suspenditur.

---

1. Cf. can. 2252.
2. CAPPELLO, *o. c.,* n. 104. Cf. de controversiis ante codicem vigentibus, DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1405.
3. Etsi hic modus absolvendi non prohibeatur, tamen alienus est ab usu Ecclesiae, nec commendandus. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 185 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 94.
4. Cf. *Coll. Brugen.,* t. XI, p. 449 ss.
5. Cf. WERNZ, *o.* et *l. c.* ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 36 s. « Hujusmodi absolutio, ubi agitur de dubio *juris,* certe non est necessaria (can. 15 ; 2219, § 1) » CAPPELLO, *o. c.,* n. 94.
6. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 185 s. ; LEFEBVRE, *De censuris,* p. 105, Duaci, 1755 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 95. Cf. in alium sensum SANTI-LEITNER, *o. c.,* p. 206.
7. Censura incursa eadem est *specie* ac prior, at nova *numero.* Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 95.

Quo actu posito et tempore elapso, censura inflicta sine nova culpa denuo plenam suam vim exserit [1].

ε) Absolutio dari potest *oretenus* vel *scripto* ad normam can. 2239, § 2 [2].

1743. — II. **Normae generales quoad absolutionem a censuris.**

1° *Quando et quomodo absolutio sit danda.* « Absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3 » (can. 2248, § 2). Quoties proin reus vere delicti commissi poenituerit et congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit, jus habet ad absolutionem, cum haec sit actus *justitiae,* quae proin denegari nequit sine gravi justitiae laesione [3]. Absolvens tamen habet jus judicandi de sinceritate resipiscentiae et determinandi quaenam satisfactio sit congrua, praeterea « potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere » (can. 2248, § 2). Quod contingere potest in casu gravis scandali aut ad reparationem ordinis socialis graviter laesi aut ad deterrendos fideles a delinquentis imitatione ; requiritur autem in casu ut absolvens potiatur potestate infligendi poenas [4].

Facultati absolvendi a censura additur generatim clausula : *injunctis de jure injungendis.* Haec verba significant haec quatuor esse poenitenti injungenda a) ut publice reparet scandalum [5] ; b) ut satisfaciat parti laesae, nisi haec injuriam remittat aut justam satisfactionem rejiciat, vel reus impotens sit ad satisfaciendum [6] ; c) ut praeter sacramentalem satisfactionem salutaris poenitentia [7] imponatur ; d) ut recurrat absolutus ad Superiorem ad standum ejus mandatis, quando datur facultas absolvendi cum illo onere injungendo.

2° *Reviviscentia.* « Censura, per absolutionem sublata, *non reviviscit*

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 186 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 36. Talis absolutio ad cautelam apponi solebat in rescriptis pontificiis *ad effectum* gratiae obtinendae. At, hac in re, reformata Curia Romana, modificationem attulerunt *Normae peculiares,* c. III, art. I, n. 6. Cf. can. 36, § 2. Inde in rescriptis pontificiis videtur superflua, nisi agatur de excommunicato vitando vel alia censura innodato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (cf. can. 2265, § 2 ; 2275, n. 3 ; 2283). Cf. etiam can. 66, § 3. Vide DE SMET, *De Matrimonio,* ed. 4, n. 878.

2. Cf. supra n. 1728.

3. Etiam a confessario facultate praedito, cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 89.

4. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 114. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 447. — Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 90, de validitate absolutionis concessa ante praestitam satisfactionem aut recessum a contumacia.

5. Cf. S. Poenit., 10 dec. 1860, et 20 mart. 1885, *ASS.*, t. I, p. 585, n. 27.

6. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 183 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 45 ; BALLERINI-PALMIERI, *o. c.*, t. VII, n. 269 ss.

7. Qualis haec sit optime exponit CAPPELLO, *o. c.*, n. 101.

nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit » (can. 2248, § 3) [1].

3° *Conditiones requisitae in iis qui absolvendi sunt.*

a) Reus potest petere absolutionem a censuris tum ipse per se, tum per alium v. gr. parochum aut confessarium. Si agitur de foro *externo*, expedit ut petitio absolutionis fiat *personaliter* a censurato ; tamen fieri etiam potest per procuratorem speciali mandato munitum [2].

b) Non repugnat censuratum, si emendatum, etiam *invitum* valide absolvi posse. Ratio est, ait S. Alph. [3], quia sicut poena in absentem et invitum potest statui, ita et auferri. Id tamen fieri non expedit sine gravissima ratione.

c) *Absens* quoque absolvi potest, modo absolvens habeat facultatem absolvendi extra tribunal poenitentiae ; absolutio enim a censuris non est sacramentum, sed mera relaxatio vinculi, quae propter gravem causam potest etiam in absentes pronuntiari per nuntium vel per litteras [4].

Quinimo Ordinarius absens absolvere potest subditum etiam e territorio absentem ; quia ad absolutionem non requiritur cognitio causae nec strepitus judicii [5].

d) « Si quis pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis » (can. 2249, § 1). Ratio est quia inter censurarum vincula nulla est connexio, nec profecto dari potest indirecta censurarum absolutio, sicuti datur indirecta peccatorum absolutio [6]. Notandum tamen est absolutionem *a peccatis* concedi non posse, nisi prius remittantur omnes censurae quibus receptio sacramentorum prohibetur.

e) « Petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso ; quod si absolutio, quamvis *particularis* petitio facta sit, fuerit *generalis*, valet quoque pro reticitis *bona fide*, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide » (can. 2249, § 2). Absolutio a reti-

---

1. Cf. supra, n. 1742.

2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 92 ; Monita cit. S. Poenitentiariae de usu facultatum tempore Jubilaei, 31 jul. 1924, n. V.

3. *O. c.*, t. VII, n. 117. Excipitur privilegium factum *poenitentibus*, prout in jubilaeo, ubi eis datur facultas eligendi sibi confessarium a quo absolvantur ; tunc nequit absolvi *invitus*, quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati, cf. S. ALPH., *l. c.*, n. 131, nota 3 ; COCCHI, *o. c.*, p. 114.

4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 183. Cf. can. 2239, § 1 et 2. Quoad absolutionem via telephonica aut telegraphica, cf. LEHMKUHL, *o. c.*, t. II, n. 876 ; HOLLWECK, *o. c.*, p. 112, nota 2.

5. Cf. can. 201, § 3.

6. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 181 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 211.

citis bona fide valet, quia absolutio pendet a voluntate et potestate [1] superioris, quam verba generalia demonstrant ; absolutio autem a reticitis mala fide non valet, quia fraus nemini patrocinari debet.

Notandum est in foro sacramentali censuram mala fide reticeri non posse nisi delictum mala fide reticeatur, quod causa fuit censurae [2].

4° *Absolutio a censura et a peccato.*

a) « Si agatur de censura *quae non impedit Sacramentorum receptionem,* censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura » (can. 2250, § 1).

b) « Si vero agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit » (*ibid.*, § 2). Illa praescriptio respicit liceitatem non validitatem absolutionis peccatorum ; etenim censura, etsi receptionem Sacramentorum prohibet, tamen *per se* neminem *incapacem* recipiendi sacramenti facit ; ideo absolutio bona fide petita et concessa semper valida erit [3].

c) Quoad *formam* absolutionis nulla forma specialis *ad validitatem* requiritur, sufficit ut ea adhibeatur qua signis aut verbis clare *manifestetur* voluntas absolvendi ; attamen : « absolutio censurae *in foro sacramentali* continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus *praescripta* [4] ; in foro non sacramentali [5] quolibet modo dari potest [6], sed ad *excommunicationis* absolutionem regulariter formam adhiberi convenit, in eisdem libris [7] traditam » (can. 2250, § 3). Si urgeat tempus, sufficit brevis formula : « Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris+, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen [8] ».

---

1. Ita absolutio a censura *ab homine,* etiam bona fide reticita, vi absolutionis generalis non tollitur, nisi Superior in *hanc* censuram competens existat. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 448.

2. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 115.

3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 449. Invalida esset absolutio peccati casu quo confessarius absolvit *mala fide* peccatum reservatum ratione censurae, ubi poenitens illud tantum accuset ; invalida etiam esset absolutio peccati casu quo confessarius *bona fide* absolvit peccatum reservatum ratione censurae ab homine, aut censurae specialissimo modo reservatae Sedi Apostolicae, iterum si hoc unum peccatum accusetur. Si in utroque casu poenitens bene dispositus accusaret aliud peccatum non reservatum, absolutio est valida, *directe* quoad peccatum non reservatum, *indirecte* quoad peccatum reservatum. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 107.

4. *Rit. Rom.*, tit. III, c. 2, n. 2. — Agitur proin de *praescriptione* sub levi.

5. Sive interno, sive externo.

6. Pro foro interno non sacramentali, forma regulariter adhibeatur, quae adhiberi solet pro peccatorum absolutione, nempe : *Misereatur* etc. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 99.

7. Cf. *Rit. Rom.*, tit. III, c. 3 ; *Pontific. Rom.*, p. III, ordo excommunicandi et absolvendi. — In *Rit. Rom.*, *l. c.*, c. 5 traditur forma pro absolutione sive sacramentali sive extra-sacramentali suspensionis et interdicti.

8. *Rit. Rom.*, tit. III, c. 2, n. 5.

5° *De vi absolutionis in utroque foro* [1].

1° « Si absolutio censurae detur *in foro externo,* utrumque forum afficit » (can. 2251).

2° « Si *in interno,* absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi » *(ibid.)*. Consequenter, si censura sit occulta, non prohibetur censuratus in foro interno absolutus publice se habere ut absolutum. Si censura sit *notoria,* vel saltem *publica,* tenetur omnes prohibitos actus publicos devitare, *qui scandalum pariant,* non ceteros [2].

3° « Sed, nisi concessio absolutionis (in interno foro) probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit » *(ibid.)*. Absolutio data in foro interno *probatur* in foro externo per schedulam confessarii praediti debitis facultatibus de audita confessione ; legitime autem praesumitur cum publice constet censuratum stetisse coram confessario habente facultatem [3]. Tunc Superior fori externi cui reus subjicitur, potest cum tali absoluto benigne agere et acceptare hujusmodi absolutionem ut ei suffragetur etiam pro foro externo.

4° *In foro externo,* ille dumtaxat absolvere potest, qui habet jurisdictionem in foro *externo* in censuratum ; idque praestare potest tum *per se* tum per *delegatum.*

5° Absolutio pro foro interno passim datur, nostris diebus, etiam quando censura est publica et rarius recurritur ad absolutionem pro foro externo, nisi cum haereticis. Si quis censura *publice* mulctatus fuerit per sententiam *declaratoriam* vel *condemnatoriam,* absolutio *per se* in foro *externo* semper danda est et publicanda [4].

1744. — III. **De iis qui possunt a censuris absolvere.**

Jam agendum est de iis quae sub hodierno jure [5] a censuris possunt absolvere : a) in periculo mortis (can. 2252) ; b) extra periculum mortis (can. 2253) ; c) in casibus urgentioribus (can. 2254) [6].

---

1. Cf. supra n. 1741.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 98.
3. Cf. in sensu mitiori CAPPELLO, *o.* et *l. c.*
4. *Ibid.*, n. 109.
5. Quoad potestatem absolvendi sub jure Decretalium cf. FEYE, *o. c.*, n. 179 ss., n. 218 ; DE SMET, *Tract. de casibus reservatis,* p. 39 ss. ; *Diction. de théol. cath., l. c.*, col. 2133 s.
6. Cf. SEITER, *Die Absolutions- und Dispensvollmachten der Seelsorger und Beichtväter,* 3-5 Aufl., Knechtsteden, 1926.

1745. — A. **In periculo mortis** [1]. 1° *Omnes sacerdotes licet ad confessiones non approbati valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiam si praesens sit sacerdos approbatus* » (can. 882).

Dicitur a) *in periculo mortis :* verba illa sunt intelligenda de periculo mortis *prudenter aestimato,* nempe de illo vitae discrimine, in quo mors est vere probabilis, licet non certa aut probabilissima aut imminens, undecumque periculum exoriatur, sive ab intrinseco sive ab extrinseco, sive ex morbo, vulnere aut senectute, sive ex bello [2], chirurgica operatione, extremo supplicio [3].

Dicitur b) *omnes sacerdotes ;* quare omnis sacerdos, etiam intrusus, haereticus, schismaticus, excommunicatus, vitandus, deficiente alio, valide absolvit ; et ab eo licite petitur absolutio, modo desit periculum perversionis, et publicum scandalum.

Etiam simplex confessarius, si praesens sit sacerdos approbatus aut jurisdictione in reservata donatus, aut si facile Superior aut delegatus advocari possit, a quibusvis reservatis valide et licite in foro interno absolvit [4].

Attamen in praxi saltem consultum est, quoties poenitenti ad sanitatem restituto imponendum est onus se sistendi superiori, ut moribundus absolvatur ab habente potestatem.

Dicitur c) *absolvunt.* Absolutio a peccatis et a censuris est directa. Notandum est absolutionem proprie dictam a *censura* semper esse *directam* [5].

Attamen absolutio dari debet, *injunctis de jure injungendis.* De his cautelis pro varia delicti commissi natura a poenitente exigendis, diximus supra [6].

Dicitur d) *a censuris et peccatis* [7], *quamtumvis reservatis et notoriis,*

---

1. Cf. JONE, *Die Absolutionsvollmachten in Todesgefahr,* in *Th. prak. Quart.-schrift,* 1926, t. LXXIX, p. 12 ss., 237 ss.

2. Iis qui in periculo mortis versantur aequiparandi sunt milites in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis constituti. Cf. Decret. S. Poenit., 18 martii 1912 ; 29 maii 1915. Cf. *Nouv. rev. théol.,* t. XLIV, p. 499 ss. ; *ASS.,* t. VII, p. 282 ; DE SMET, *o. c.,* documenta, n. 29.

3. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 114.

4. Cf. S. Poenit., 21 nov. 1873, ad 2, *Nouv. rev. th.,* t. VI, p. 554 ; et resp. S. O., 29 jul. 1891, *Coll. de P. F.* [2], n. 1761 ; *Nouv. rev. théol.,* t. XXVI, p. 309. Cf. quoad disciplinam et doctrinam codici anteriorem, DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1406 ; *Coll. Brugen.,* t. IV, p. 32 ss.

5. Cf. *Coll. Brug.,* t. XI, p. 593 s., de absolutione directa et indirecta.

6. N° 1743.

7. Salvo can. 884, juxta quem absolutio complicis in casu turpi, in periculo mortis est illicita, si non adsit necessitas.

a quibus nec censurae ab homine, nec censurae specialissime S. P. reservatae excipiuntur.

Nota. Absolutio limitatur ad forum *internum* [1].

Huic amplissimae facultati ponitur tamen aliqua conditio, nempe : 2° « *Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine ; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a jure ; eorumque mandatis parendi* » (can. 2252).

Dicitur a) *ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo S. A. reservata.* Jure anteriori obligatio recurrendi urgebat, si ageretur de absolutione a censuris *speciali modo* Papae reservatis [2]. Hodierno jure, praeter duplicem casum de quo in can. 2252, non datur obligatio recurrendi, si agatur de absolutione a quavis alia censura ;

b) *tenentur obligatione recurrendi.* Onus recurrendi gravat eum qui in articulo mortis a praefatis censuris fuerit absolutus ; at vi canonis nulla imponitur confessario *specialis* obligatio monendi poenitentem de imposito onere. Qua in re confessarius practice se gerat juxta doctrinam theologorum de monitione in confessione facienda vel omittenda, nempe α) si poenitens sit in extremis, eam omittat ; β) item, si prudenter timeat vel dubitet eam fore obfuturam ; γ) si praevideat eam poenitenti certe profuturam eam faciat [3].

Casu quo recursus moraliter *impossibilis* sit, confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae latae in absolventem complicem in peccato turpi [4], potest absolutionem concedere ad normam can. 2254, § 3 [5].

c) *postquam convaluerint.* Obligatio implenda est *infra mensem* a recuperata sanitate [6]. Tempus convalescentiae non est anxie computandum, praesertim si de poenitente bene disposito agitur ;

---

1. Resp., 28 dec. 1927 Com. ad interpr. cod. can., AAS., 1928, t. XX, p. 61.
2. Decr., 17 jun. 1891, ad 3, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXIV, p. 158 ss. Tenet HOLLWECK, *o. c.*, p. 111, coll. nota 4, quod si agatur de censuris latae sententiae ab Episcopo sibi reservatis, remaneat onus recurrendi ad Episcopum, si hic censuram hac conditione sibi reservavit. Sed haec sententia rejicienda videtur.
3. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 116.
4. Cf. can. 2367, § 1.
5. Cf. infra n. 1750 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 117 ; COCCHI, *o. c.*, p. 122.
6. Hoc eruitur ad normam can. 2254, § 1. Cf. decretum S. O., 23 jun. 1886, *Nouv. rev. théol.*, t. XVIII, p. 378. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 115 s. ; COCCHI, *o. c.*, p. 121.

d) *sub poena reincidentiae,* ita ut qui ex gravi culpa recurrere negligit, in eamdem specie censuram incidat ;

e) *ad illum qui censuram intulit* [1], *si agatur de censura ab homine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, si de censura a jure.* Ille recursus faciendus est juxta ea quae infra dicentur pro casibus urgentioribus. Recursus ad Episcopum intelligitur faciendus ad illum Episcopum qui ex jure vel ex S. A. concessione pro casu facultatem habeat [2] ;

f) *eorumque mandatis parendi,* nempe quoad congruam poenitentiam implendam et satisfactionem pro censura praestandam. Quaestio movetur num illa obligatio parendi mandatis urgeat *sub poena reincidentiae.* Ratio negandi habetur ex ordine seu dispositione verborum, cum verba *sub poena reincidentiae* in can. 2252 et 2254, § 1 adnectantur verbis *obligatione recurrendi,* dum in can. 2254, § 3 poena reincidentiae certe respiciat non adimpletam obligationem parendi mandatis [3]. Haec sententia seria probabilitate haud caret. Alii affirmativam tenent sententiam propter claram S. Off. responsum, 19 aug. 1891, ad II [4] et cum in dubio a veteri jure non sit recedendum [5].

1746. — B. **Extra mortis periculum.**

1° A censura *ab homine,* lata sc. per praeceptum *particulare* aut per *specialem* sententiam *condemnatoriam,* potest absolvere ille, cui censura reservata est, nempe qui eam inflixit aut sententiam tulit, ejus Superior, vel successor, aut delegatus ab alterutro, et quidem etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit [6] (can. 2253, 2°) [7].

2° Si censura sit *a jure,* aut *ab homine* per modum statuti seu *generalis* sententiae, vel non est reservata, vel est reservata.

a) Si agatur de censuris *non reservatis* [8], regula est quod absolvere possit « *in foro sacramentali* quilibet confessarius ; *extra forum sacramentale* quicumque jurisdictionem in foro externo habeat in reum » (can. 2253, 1°). Proin a censuris non reservatis *pro utroque foro* possunt absolvere sibi subditos omnes illi qui habent jurisdictionem fori

1. Aut ad ejus Superiorem competentem, vel successorem aut delegatum.
2. Commissio ad interpr. cod. can., 12 nov. 1922, *AAS.*, t. XIV, p. 663.
3. Ita ARREGUI, *Summula theol. moralis,* n. 617, Bilbao, 1920 ; JONE, in *Th. pr. Quart.-schrift,* 1926, t. LXXIX, p. 237 ss. ; SALUCCI, *o. c.,* p. 220. Cf. etiam de hac quaestione PRUEMMER, ap. *Th. pr. Quart.-schrift,* 1925, t. LXXVIII, p. 763 ss.; ADLOFF, ap. *Bull. ecclés. du dioc. de Strasbourg,* t. XLIV, p. 16 ss.
4. *Nouv. rev. théol.,* t. XXIV, p. 166.
5. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 452 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 117 ; PRUEMMER, *l. c.* ; COCCHI, *o. c.,* p. 121 s., etc.
6. Cf. tamen CAPPELLO, *o. c.,* n. 120.
7. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 179 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 38 s. ; CAPPELLO, *l. c.*
8. Excipiuntur, ratione naturae suae, interdictum locale et interdictum personale generale. Cf. infra, n. 1769.

externi; contra, parochus ab his absolvere tantum valet pro foro *interno:* haec autem absolutio eatenus habet effectum etiam pro foro *externo,* quatenus post eam non tenetur censuratus ut talem se gerere, nisi ratione scandali vitandi, ut si censura esset publica. Praeterea excipiendus est semper ab absolutione pro foro interno, casus quo causa sit deducta ad forum contentiosum [1].

b) Absolvere possunt « a censura *a jure reservata,* ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario,* quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos ; a reservata *Sedi Apostolicae,* haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo,* sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo,* salvo praescripto can. 2254 » (can. 2253, 3°).

Ita in specie et *ex jure communi* Episcopi, et omnes Ordinarii ad normam can. 198, § 1 [2] possunt per se vel per alios, absolvere in utroque foro a censuris *Ordinario* reservatis a jure, et etiam in casibus *occultis* in foro interno sacramentali aut extrasacramentali a censuris *simpliciter* reservatis S. A., non autem in casibus publicis (can. 2237). Haec potestas est ordinaria et exerceri potest in incolas, peregrinos et vagos, et quidem valide etiam dum versatur Ordinarius extra proprium territorium, et in subditum e territorio absentem [3].

Majores facultates specialibus indultis conceduntur ; ita Nuntii habent facultatem absolvendi, etiam in foro externo, a censuris jure S. A. etiam speciali modo reservatis [4].

Cf. *Stat. dioeces.,* a. 1927, n. 50, 1°.

1747. — C. In casibus urgentioribus.

Notae historicae. Juxta jus antiquum et communem olim inter doctores vigentem opinionem, Episcopi poterant absolvere a quibuscumque casibus R. P. reservatis, etiam publicis, illos omnes qui erant *impediti personaliter* R. Pontificem adire ; immo similem potestatem multi auctores agnoscebant *cuivis confessario* [5].

Verum S. Officium, sub die 23 junii 1886, respondit, attenta praxi

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 180 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 40 ; GURY-BALLERINI, *o. c.,* n. 951 ad III cum nota ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 119.
2. Cf. Quoad Cardinales, can. 239, § 1 ; 1° et 2°. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 121.
3. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 122. Cf. eumdem auctorem, *o. c.,* n. 123 quoad potestatem Superiorum majorum in religionibus clericalibus exemptis.
4. Cf. facultates Nuntiorum, apud VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* t. I, n. 716, 1°.
5. Cf. *Nouv. rev. théol.,* t. IV, p. 243 ss. ; FEYE, *o. c.,* n. 171 ss., p. 104 ss. ; PIAT, *o. c.,* p. 105 ss. ; LEHMKUHL, *o. c.,* t. II, n. 414 ss. ; DE SMET, *o. c.,* p. 39 s.; SANTI-LEITNER, *o. c.,* p. 201 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 134.

S. Poenitentiariae, tuto jam teneri non posse praedictam sententiam de impedimento perpetuo [1] aut temporali adeundi *personaliter* S. Sedem et recurrendum esse, *saltem per litteras,* ad Eminentissimum Card. Majorem Poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis [2], nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem ; — at *in casibus vere urgentioribus,* in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, quemlibet sacerdotem approbatum dare posse absolutionem, injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem intra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem [3].

Juxta quod decretum et ulteriores S. Sedis declarationes [4] inducta est nova disciplina, quam accuratius jam determinat et confirmat novus codex can. 2254 [5].

1748. — 1° « *In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, injuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi ejus mandatis* » (can. 2254, § 1).

a) *Casus urgentiores,* de quibus oneratur conscientia confessarii et quae verificari debent ad valorem absolutionis [6], intelligi debent juxta textum can. 2254, tum de casu quo censurae latae sententiae [7] *exterius* servari nequeant absque periculo probabili saltem gravis scandali vel infamiae, si v. gr., immediate post confessionem recipiendum sit aliud

---

1. Cf. Decr. S. Off., 17 jun. 1891 ad I, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XXIV, p. 158 ; De Smet, *o. c.,* n. 119, p. 96.

2. Cf. Resp. S. Poenit., 7 nov. 1888, ad I, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XXII, p. 362 ; De Smet, *o. c.,* n. 118, p. 95, quo declaratur hanc primam partem decreti respicere omnes censuras sive speciali modo sive simpliciter R. P. reservatas et etiam casus specialiter reservatos R. P. sine censura.

3. Cf. tenorem decreti ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XVIII, p. 378 ; De Smet, *o. c.,* n. 116, p. 94. Decretum citatum omnino obligare et praxim contrariam non esse tolerandam declaravit S. O., 30 martii 1892, ad 5, *Nouv. rev. théol.,* t. XXIV, p. 391 ; De Smet, *o. c.,* n. 123, p. 98.

4. Cf. eas collectas a De Smet, *o. c.,* n. 116 ss., p. 94 ss.

5. Cf. Cappello, *o.* et *l. c.*

6. Cf. De Smet, *o. c.,* p. 48, n° 58 ; Cappello, *o. c.,* n. 124.

7. Hic casus verificari nequit in casu censurae *f. s.* jam inflictae, cum haec publica sit et in foro externo servanda. Caeterum canon agit de solis censuris l. s.

Sacramentum aut si agatur de sacerdote qui Missam celebrare debeat [1] ; tum etiam de casu quo durum esset pro poenitente in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis [2]. Hoc « durum » aestimandum est ex dispositione poenitentis hic et nunc seu *subjective ;* ideo poenitens ex monitione confessarii ut ita afficiatur moveri potest. Ex sententia theologorum sufficit ad impertiendam absolutionem ut durum sit poenitenti in tali statu peccati permanere per unum alterumve diem [3].

b) Dicitur, *ab iisdem, quoquo modo reservatis.* In hisce casibus urgentioribus confessarius absolvere potest poenitentem a censuris latae sententiae [4] sive occultis, sive publicis [5], et quoquo modo reservatis sive R. P. simpliciter, speciali modo aut etiam specialissime [6], sive Episcopo. Valet etiam pro absolutione a casibus episcopalibus quos Episcopi pro sua quisque dioecesi sibi reservaverint cum censura [7].

c) Absolutio dari tantummodo potest *in foro sacramentali,* nempe in actu confessionis.

d) Absolutio quae in casibus urgentioribus, datur a censuris est *directa* [8], etiam si agatur de censuris episcopalibus jure particulari statutis et Episcopo reservatis.

e) Facultati absolvendi a censuris reservatis, in casibus urgentioribus, apponitur conditio, ut, confessario injungente, poenitens recurrat, *sub poena reincidentiae intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, ad S. Poenitentiariam vel*

---

1. Cf. HOLLWECK, *o. c.*, p. 104, nota (3).
2. Decr. S. O., 16 jun. 1897, *Nouv. rev. théol.*, t. XXIX, p. 540 ss. ; *Coll. Brug.*, t. II, p. 594.
3. Cf. S. ALPH., *o. c.*, l. VI, n. 487 ; DE SMET, *o.* et *l. c.*, Hic casus verificari nequit si infra eamdem diem recursus ad Superiorem competentem, v. gr. Episcopum aut Nuntium, fieri possit. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 454.
4. Excluditur implicite censura *ab homine,* cum can. 2254, § 1 dicatur recurrendum esse ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate, non autem « ad illum qui censuram tulit » uti habet can. 2252. Ita CAPPELLO, *o. c.*, n. 132, coll. tamen n. 133 ; contradicentibus aliis.
5. Dummodo verificetur unus ex casibus urgentioribus a jure determinatis et servatis servandis quoad effectus hujus absolutionis in foro externo. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 133.
6. An etiam valeat hoc principium pro unico peccato ratione sui R. P. reservato, nempe falsa accusatione sacerdotis de sollicitatione, et pro casibus episcopalibus reservatis sine censura merito dubitatur, cum vix excogitari possit casus necessitatis vel incommodi qui excluderetur a can. 900. Cf. tamen CAPPELLO, *o. c.*, n. 125 ; FERRERES, *Comp. theol. moralis,* t. II, n. 679. Quoad disciplinam anteriorem cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1406, p. 241, nota 2.
7. Quid hac de re ante codicem sentiebant auctores, exponitur ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o.* et *l. c.*, p. 240, nota 5.
8. Uti patet ex ipso textu canonis 2254, § 1 et ex decr. S. Officii 19 augusti 1891, ad 3^{m} et 30 martii 1892, ad 6^{m}, apud *Nouv. rev. théol.*, t. XXIV, p.166 et p. 391 ; DE SMET, *o. c.*, p. 97 s., n. 121, 123.

ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi ejus mandatis (can. 2254, § 1).

Circa hunc recursum sequentia animadvertantur [1] :

α) *Confessarius*, aliter ac in casu periculi mortis, debet obligatione per se gravi imponere recursum, sub poena reincidentiae ;

β) Ad recursum tenetur ipse *poenitens* sub gravi, etiam si confessarius cum aut sine culpa onus recurrendi non imposuerit, et quidem *intra mensem* supputandum a die absolutionis aut a die qua ipsi innotuerit obligatio recurrendi, *sub poena reincidentiae* in eadem specie censura. Si autem currente mense, obligatio recurrendi impleri non possit, poenitens non reincidit in eadem censura sed ab obligatione recurrendi, remoto obstaculo, non solvitur ;

γ) Recursus fieri debet *saltem* per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo. Dicitur *saltem* quia fieri posset recursus per accessum personalem ad Superiorem, quod durius est. Sed sufficit et requiritur ut recurratur per epistolam per medium confessarii absolventis scriptam et missam modo qui postea determinabitur. Tamen si poenitens ad eumdem confessarium regredi non valet puta propter magnam distantiam vel aliud grave incommodum [2], tunc ipse per se ipsum directe scribat ut obtineat rescriptum ratihabitionis prioris absolutionis in forma commissoria [3]. Sic, quando absolvitur poenitens qui iterum non occurret, v. gr., tempore missionis, sufficit ab eo exigere promissionem scribendi ad S. Poenitentiariam aut ad Superiorem, quin confessarius ipse scribat [4]. Immo, si iisdem in adjunctis poenitens praeterea aegre accederet ad *alium* confessarium, ipse scribat petendo, addita ratione, ut S. Poenitentiaria sibi provideat per rescriptum in *forma gratiosa* ad se transmittendum, ita ut jam non requiratur interventus confessarii vel confessio sacramentalis ad rescriptum exsecutioni mandandum : sufficiet hoc in casu ut poenitens rescriptum cognoscat [5].

δ) Recursus institui debet ad S. Poenitentiariam, *vel* ad Episcopum aliumve Superiorem, puta Nuntium aut Vicarium generalem, praeditum

---

1. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. 241 ss. ; De Smet, *o. c.*, p. 44 s.; *Collat. Brugen.*, t. V, p. 148 ss., 362 ss. ; t. VI, p. 215 ss. ; t. VII, p. 50 ; Cappello, *o. c.*, n. 127 ss. ; Vermeersch-Creusen, *o. c.*, n. 454 ; Sole, *o. c.*, n. 193 ss.
2. V. gr., verum et fundatum infamiae periculum. Cf. *Collat. Brugen.*, t. VII, p. 50 ss.
3. Cf. Decr. S. Poenit., 28 maii 1888, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXII, p. 411.
4. Cf. Decr. cit. S. Poenit., 7 nov. 1888, ad 6, *ibid.*, t. XXII, p. 362 ss., et ap. De Smet, *o. c.*, n. 118.
5. Resp. S. Poenit. relatum ap. *Rev. théol. fr.*, 1899, p. 454 ; De Smet, *o. c.*, p. 95, nota 1. Cf. De Smet, *o. c.*, p. 45 ; *Rev. théol. fr.*, t. IV, p. 435.

facultate. Non sufficit recurrere ad alium sacerdotem, qui facultatem habeat absolvendi a reservatis, nisi ipsi iterum censuratus confiteatur, ut infra dicetur [1].

ε) Recursus ita faciendus est, ut in litteris casus cum necessariis adjunctis rite exponatur, *nomine et cognomine reticitis* [2]. Epistola quovis idiomate scribi potest [3] ;

ζ) Interim confessarius vi can. 2254, § 1 absolvens, tenetur poenitenti injungere *de jure injungenda,* prout fert casus, ut scandalum reparet, rem restituat, complicem dimittat, etc. ;

η) Adveniente responsione, poenitens *stare debet S. Poenitentiariae vel Superioris mandatis.*

1749. — 2° Attamen « *Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem ; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare mandatis ex parte Superioris supervenientibus* » (can. 2254, § 2).

Circa quam praescriptionem animadvertatur :

a) Poenitens etiam *post* acceptam absolutionem [4] de qua supra, *quin recurrat* ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aut Superiorem, potest recurrere ad *alium* quemcumque confessarium praeditum facultate ;

b) Imo ad hunc alium confessarium recurrere potest post factum recursum *ad Superiorem,* non vero facto recursu *ad. S. Poenitentiariam;*

c) Poenitens in casu debet repetere confessionem saltem *delicti cum censura ;* ratio est quia ille confessarius nequit absolvere et congrua dare mandata, nisi rem cognoscat ; ex alia parte non est necesse ut confessio *omnium* peccatorum repetatur, cum haec directe jam sint remissa, vi absolutionis prius datae [5].

---

1. Cf. decr. S. Off., 19 dec. 1900, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XXXIII, p. 430 ss. ; *Coll. Brugen.,* t. VI, p. 392 ss. ; DE SMET, *o. c.,* n. 128, p. 100. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 128 ; BLAT, *o. c.,* p. 117 ; SOLE, *o. c.,* p. 195.

2. Ideo ab hac obligatione recurrendi non excusat generale periculum ne aperiantur litterae a status civilis ministris, Decret. S. Poenit., 7 nov. 1888, ad 7, *Nouv. rev. théol.,* t. XXII, p. 362 ss., DE SMET, *o. c.,* n. 118.

3. Interius ita inscribitur : *Eminentissime Princeps* vel *Domine ;* exterius vero : *Sacra Penitenzieria, Palazzo del S. Officio, Roma.* Cf. quoad modum redigendi supplicam et exsequendi rescriptum sive in forma commissoria sive in forma gratiosa, DE SMET, *o. c.,* n. 217 ss., 171 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 454, in fine ; SALUCCI, *o. c.,* p. 231, nota 2. Mutatis mutandis eaedem formulae inservire possunt pro recursu ad Episcopum vel Superiorem.

4. CAPPELLO, *o. c.,* n. 130. tenet hoc etiam fieri licere *ante* absolutionem, quod cum textu canonis et anteriori disciplina componi non posse videtur, cum in hac hypothesi can. 2254, § 2 *alium* confessarium diversum a priore poenitens teneatur adire, eique confiteri saltem delictum cum censura.

5. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 130.

d) Confessarius mandata injungere debet a poenitente fideliter exsequenda, quin teneatur postea stare aliis mandatis, quae, facto recursu ad Superiorem, ex parte ipsius supervenerint. At quamvis non teneatur, potest tamen his, et non illis stare mandatis [1].

1750. — 3° « *Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione complicis de qua in can. 2367, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, injunctis tamen de jure injungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram* » (can. 2254, § 3).

a) Recursus est moraliter impossibilis, quando neque confessarius neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam aut ad Episcopum vel Superiorem mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium confessarium [2]. Imo, ut onus epistolam mittendi cesset, non debet impedimentum scribendi adstringere *confessarium simul et poenitentem ;* sed sufficit quod poenitens scribendi impar, eidem confessario, a quo absolutus fuerit, se praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire, licet confessarius absolvens, pro poenitente, epistolam ad S. Sedem mittere posset [3]. Praeterea recursus moraliter impossibilis est, si probabile periculum sit frangendi sigillum, aut grave obstet impedimentum alius generis [4].

b) Excipitur unus casus censurae specialissime S. A. reservatae in absolventes vel absolvere fingentes complicem in peccato turpi, de qua in can. 2367 [5]. Quod si hac in hypothesi recursus intra mensem sit impossibilis, semper poterit confessarius tempus utile ad recursum prorogare, semper sub poena reincidentiae. At si confessarius non sit amplius visurus sacerdotem poenitentem, hic vero, morbo aliave causa impediatur quominus scribat, ratio non est cur ipse a generali indulto excludatur [6].

1. *Ibid.*
2. S. Off., 9 nov. 1898, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXXI, p. 191 ; De Smet, *o. c.*, n. 125, p. 99.
3. S. Off., 5 sept. 1900, ap. *Coll. Brug.*, t. VI, p. 214 ; *Nouv. rev. théol.*, t. XXXIII, p. 86 ; De Smet, *o. c.*, n. 127, p. 100. Cf. *ibid.*, p. 45, nota 6, de hac incapacitate scribendi poenitentis. Cf. etiam decr. S. Off., 7 jun. 1899, ap. *Coll. de P. F.*, n. 2062.
4. Cf. Cappello, *o. c.*, n. 131.
5. Cf. decr. S. Off., 7 jun. 1899, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXXI, p. 666 ; De Smet, *o. c.*, n. 126, p. 99. Cf. *Arch. für kath. Kr.*, 1900, t. LXXX, p. 143 s. Ratio hujus exceptionis est odium criminis et quia S. Sedes scribendi incapacitatem penes poenitentem sacerdotem non admittit. Cf. etiam S. Poenit., 5 martii 1925, ap. *Arch. f. k. Kr.*, 1926, t. CVI, p. 209.
6. Ita plerique auctores cum Lega, *o. c.*, III, n. 127.

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

Ordo dicendi. Codex praemittit duos canones (can. 2255 et 2256) praeliminares quibus notiones generales ad omnes censuras traduntur ; dein triplici articulo agit successive de notione, divisione et effectibus excommunicationis (can. 2257-2267), interdicti (can. 2268-2277) et suspensionis (can. 2278-2285).

INTRODUCTIO.

1751. — I. **Divisio.** « Censurae sunt : 1° excommunicatio ; 2° interdictum ; 3° suspensio » (can. 2255, § 1).

1752. — II. **Discrimen inter excommunicationem, interdictum et suspensionem**[1].

Excommunicatio excludit a communione fidelium et privat omnibus juribus propriis hujus communionis ; suspensio prohibet ab usu activo rerum sacrarum seu a rebus sacris administrandis ; interdictum privat indiscriminatim a participatione quorumdam bonorum ecclesiasticorum, etiam indirecte seu mediante loco in quo celebratio quorumdam officiorum et administratio sacramentorum prohibentur.

Inde patet excommunicationem et interdictum *tum clericos tum laicos* afficere posse, imo interdictum etiam *locum ;* suspensio vero *solos clericos* tenet. Excommunicatio, utpote aliis censuris longe gravior, non potest ferri nisi *ut censura,* a qua reus a contumacia recedens statim absolvendus est ; suspensio et interdictum etiam ut *ponae vindicativae* ferri possunt, sed in dubio praesumuntur censurae. Denique ex eo quod excommunicatio, semper sit censura et quidem gravissima, afficere tantum potest personas physicas et nequit ferri in communitatem, puta collegium, urbem, ne aliquando contingeret innoxios hac sententia irretiri[2] ; et si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint. Interdictum et suspensio possunt afficere etiam communitatem, ut personam moralem ; tunc quoad insontes non sunt censurae proprie dictae, nec poenae sed privationes (can. 2255, § 2).

1753. — III. **Quorumdam verborum significatio.** Quia inter effectus censurarum et inter poenas quibus delicta puniuntur venit privatio *divinorum officiorum* et exclusio ab *actibus legitimis ecclesiasticis,* in can. 2256 declaratur quid in canonibus libri V qui sequuntur sub eorum nomine intelligi debeat :

1° « Nomine *divinorum officiorum* intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt » (can. 2256, § 1). Inter ea recensentur : Missae celebratio, publicae processiones, horae sollemniter decan-

1. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 200.
2. Cf. c. 5, in VI, V, 11.

tatae, sollemnis benedictio, consecratio chrismatis, benedictio candelarum, cantus epistolae vel evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica ; non vero : conciones, lectio S. Scripturae et theologiae, usus privatus SS. imaginum, reliquiarum, aquae benedictae, etc.

2° « Nomine autem *actuum legitimorum* ecclesiasticorum significantur : munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum ; partes agere judicis, auditoris et relatoris, promotoris justitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis ; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis ; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis ; jus patronatus exercere » (*ibid.*, § 2).

ARTICULUS I. — De excommunicatione.

§ 1. NOTIO ET DIVISIO EXCOMMUNICATIONIS.

1754. — I. **Notio.** 1° « Excommunicatio est *censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur* [1], *enumerantur, quique separari nequeunt* » (can. 2257, § 1), seu uti auctores eam communiter definiebant : *censura, per quam aliquis a communione Ecclesiae excluditur, et ideo bonis spiritualibus, quae inter fideles communia et Ecclesiae dispositioni concredita sunt, privatur* [2].

a) Vera et propria excommunicationis ratio ponitur in *separatione a communione fidelium*. Quae verba non ita possunt intelligi ut excommunicatione solum disrumpatur vinculum *externum*, sed ita ut *privet revera* bonis spiritualibus et *liget coram Deo* [3].

b) Triplex est fidelium communicatio : α) *mere interna*, quae fundatur in gratia, fide et caritate, per quam fideles inter se et cum Christo tanquam capiti, tanquam unius mystici corporis membra uniuntur et idcirco bona cujusque opera omnibus communicantur. Haec communio sanctorum seu justorum nullatenus pendet ex voluntate ipsius Ecclesiae. Sequitur proin ex dictis quod potest quis habere gratiam sanctificantem et remanere in communione justorum, quamvis sit excommunicatus, v. gr., si perfecte sui delicti poeniteat, antequam a censura absolvatur ; β) *mere externa* (in civilibus, in humanis), quae consistit in actionibus externis profanis, sc., in fidelium convictu, colloquio, commerciis, etc. ; γ) *mixta* (in divinis, in sacris) consistens in actionibus religiosis externis, quae ex sua institutione fructum spiritualem internum producunt, ut administra-

---

1. Cf. can. 2259-2267.

2. Cf. REIFF., *h. t.*, n. 50. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 188 s.

3. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 138 ; prop. 46ª Synodi Pistoriensis damnata a Pio VI, ap. DENZIGER, n. 1409 ; error 23us Lutheri damnatus a Leone X, *ibid.*, n. 647.

tio et susceptio sacramentorum, suffragia Ecclesiae, etc. Mere externa et mixta communio fidelium pendent a voluntate Ecclesiae ; his fidelem inobedientem et contumacem privare potest et per excommunicationem revera privat Ecclesia [1].

c) Excommunicatio est omnium censurarum gravissima ; quapropter quae diximus supra de omnibus censuris, nempe esse sobrie ferendas, id praesertim applicandum est excommunicationi [2].

1755. — II. **Divisio.** 1° Praeter divisionem quam cum aliis censuris communem habet, excommunicatio specialiter olim dividebatur in *majorem* et *minorem : major,* quae privat omnibus bonis Ecclesiae communibus ; *minor,* qua censuratus privabatur parte bonorum, np. susceptione sacramentorum. Haec autem, saltem ipso jure inflicta, post constitutionem *Apost. Sedis* jam non existit [3]. Quam suppressionem confirmat codex statuendo quod effectus quales a canonibus determinantur jure vel ab homine separari nequeant (can. 2257, § 1).

Interea notandum, quod, dum olim in jure simpliciter occurrebat vox *excommunicatio,* semper intelligebatur major. Attamen ante Gregorium IX subinde veniebat etiam minor [4].

Vox autem *anathema* usurpabatur in SS. Canonibus modo ad distinctionem excommunicationis minoris ; modo et frequentius ad significandam excommunicationem inflictam ob haeresim vel ejus suspicionem, vel etiam ob alia quaedam gravissima scelera in quibus habebatur maxima pervicacia et contumacia ; modo ad significandam excommunicationem, quae ferebatur cum quadam externa sollemnitate [5]. Hoc ultimo sensu assumitur in codice : « Dicitur quoque (excommunicatio) *anathema,* praesertim si cum sollemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano [6] describuntur » (*ibid.,* § 2).

2. « Excommunicati alii sunt *vitandi,* alii *tolerati* (can. 2258, § 1).

a) *Jure antiquo* omnes excommunicati excommunicatione majori a fidelibus vitandi erant, eo tamen cum discrimine quod ii, quorum excommunicatio publica ac notoria erat, publice et ab omnibus vitari deberent ; illi vero, quorum excommunicatio erat occulta, tantum privatim vitandi essent ab iis, qui hujus poenae conscii erant.

---

1. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* p. 138 s. ; SOLE, *o. c.,* n. 205 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* p. 36.
2. Cf. Trid. Sess. XXV, c. 5, de ref. ; BENED. XIV, *De syn.,* l. X, c. 1, n. 2 ss.
3. Olim acriter de hoc disputatum est. Cf. FEYE, *o. c.,* n. 296 ss., p. 236 ss. At ex resp. S. Off., 5 dec. 1883, ad 1, constat tuto doceri posse in Seminario sententiam fere omnium const. *Apost. Sedis* commentatorum, docentium excommunicationem minorem vi hujus constitutionis abolitam esse. Cf. decret., S. Off., 9 jan. 1884, ad 4, *Le canoniste,* 1899, p. 169 ; *Nouv. rev. théol.,* t. XXXI, p. 413.
4. Cf. REIFF., *h. t.,* n. 83 ; WERNZ, *o. c.,* p. 187 s.
5. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 188 ; SANTI-LEITNER, *o. c.,* p. 212 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 140.
6. Tit. *Ordo excommunicandi et absolvendi.*

Verum post extravagantem Martini V anni 1418 *Ad evitanda*[1], ratione *censurae,* illi tantum a Christifidelibus vitari debebant, in quos sententia excommunicationis a judice ecclesiastico nominatim lata et publicata erat, aut qui tanquam excommunicati specialiter et expresse publiceque denuntiati erant[2]; et praeterea qui publici et notorii clericorum percussores existebant[3].

Ab illo tempore excommunicati jam distinguuntur in *toleratos,* quos scilicet fideles vitare non tenentur, et non toleratos seu *vitandos,* quos vitare debent. Quae distinctio in favorem fidelium[4] inducta est, ut ab ipsis removerentur pericula quae communicatio cum omnibus excommunicatis attulisset.

b) *Hodie* « Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia dicatur ipsum vitari debere salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1 » (can. 2558, § 2).

Proinde ut excommunicatus quis sit vitandus quatuor simul requiruntur conditiones :

α) ut *nominatim* quis excommunicetur, i. e., expressis nomine, cognomine, titulo, officio, etc. ;

β) ut a *S. Sede,* h. e., a R. Pontifice aut a Dicasteriis Romanae Curiae excommunicatione plectatur ;

γ) ut excommunicatio sit *publice* denuntiata, ergo generatim per publicationem in commentario officiali *Acta Apostolicae S. Sedis,* aut alio modo quo fidelibus patescere possit ;

δ) Ut in decreto vel in sententia expresse dicatur excommunicatum vitandum esse[5].

Praeterea qui violentas manus, sive publice sive occulte, in personam *R. Pontificis* injecerit, est *ipso facto* vitandus (can. 2343, § 1, n. 1), quin sc., ullo modo necessaria sit sententia condemnatoria aut declaratoria[6].

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 190, nota (216), de variis lectionibus hujus constitutionis.

2. Cf. WERNZ, *l. c.,* p. 191. Cf. LAURENTIUS, *o. c.,* p. 349 ; SANTI-LEITNER, *l. c.,* p. 213 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 51 ss. Cf. etiam CAPPELLO, *o. c.,* n. 141.

3. Cf. Decr. S. Off., 9 jan. 1884 et 2 aug. 1893, ap. *An. eccles.,* 1899, p. 4 s. ; *Nouv. rev. théol.,* t. XXXI, p. 413 ss.

4. Sua constitutione nullatenus intendit Martinus V *excommunicatos* in aliquo sublevare vel quomodolibet eis suffragari. Cf. *Coll. Namurcen.,* 1907-1908, t. VI, p. 158. Cf. CAPPELLO, *o.* et *l. c.*

5. Hoc modo excommunicati fuerunt duces Mariavitarum, S. Off., 5 dec. 1906, ap. *Il monit. eccles.,* t. XIX, 1907-1908, p. 3 s. ; Loisy, S. Off., 7 mart. 1908, *ibid.,* 1908-1909, t. XX, p. 3 ; Romulus Murri, S. Off., 22 mart. 1909, *AAS.,* t. I, p. 276.

6. « Consulto dicimus : sive *publice sive occulte,* quia novum jus nequaquam distinguit, ut vetus, inter notorios et occultos percussores. Attamen manifestum est, fideles non teneri obligatione vitandi censuratum, nisi cum primum cognoverint factum criminosum » CAPPELLO, *o. c.,* n. 141.

c) In dubio vero an quis sit vitandus, ut toleratus haberi potest, nam odia sunt restringenda.

d) *Differentia* quae interest inter vitandos et toleratos in eo est quod *vitandus* arcetur a communione cum fidelibus in *divinis, humanis et civilibus,* ejusque actus jurisdictionis *nulli sunt* praeterquam in periculo mortis quoad sacramentum poenitentiae, quos effectus non secumfert excommunicatio quae simpliciter *toleratos* afficit [1].

3° Praeter vitandos et toleratos, tertia classis excommunicatorum a codice additur, nempe eorum qui per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam excommunicati fuerint aut alioquin ut tales notorii sint.

§ 2. EFFECTUS EXCOMMUNICATIONIS.

1756. — Praenotanda. 1° Excommunicatio, ex dictis, est separatio a communione fidelium, et privatio bonorum Ecclesiae communium seu eorum quae ab illa communione derivantur, juxta naturam rei et voluntatem legislatoris.

2° Hinc juxta hodiernam disciplinam varii sunt effectus excommunicationis inseparabiles, qui simul excommunicatos omnes afficiunt, et respiciunt : officia divina, Sacramenta, suffragia Ecclesiae, actus legitimos ecclesiasticos, jurisdictionem, officia et beneficia ecclesiastica. Privatio communionis in profanis solos vitandos respicit.

3° At effectus illi inseparabiles non *eodem modo* et *pari gradu* omnes excommunicatos afficiunt, et ideo in singulorum effectuum applicatione ratio habenda est distinctionis inter excommunicatos toleratos, excommunicatos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorios, et excommunicatos vitandos [2].

4° Isti effectus dicuntur *immediati,* et distinguuntur ab aliis, quos doctores *mediatos* vocant, eo quod non ex ipsamet censura, sed ex censurae violatione dumtaxat oriuntur.

A. EFFECTUS IMMEDIATI.

1757. — I. Privatio divinorum officiorum [3].

1° « Excommunicatus quilibet caret jure *assistendi* divinis officiis [4] » (can. 2259, § 1).

---

1. COCCHI, *o. c.*, p. 143.

2. In exponendis effectibus excommunicationis ordinem sequemur codicis, dum alii uti CAPPELLO, VERMEERSCH-CREUSEN, seorsim agunt de effectibus communibus, et de effectibus peculiaribus excommunicatis notoriis et vitandis. Sed hic ordo minus juridicus videtur et ansam dat repetitionibus.

3. Cf. JOMBART, *Les excommuniés et l'assistance aux offices,* ap. *Nouv. rev. théol.*, 1922, t. XLIX, p. 388 ss.

4. Cf. supra n. 1753.

a) Agitur hic tum de assistentia *passiva,* qua quis divinis officiis participat adstando, observando, tum de assistentia *activa,* qua quis illis participat munus celebrantis aut ministri etiam inferioris in eis exercendo [1].

b) Ideo quod quis privatur jure assistendi divinis officiis, his *prohibetur* etiam diebus praeceptis [2], nisi excusetur ignorantia vel necessitate vitandi scandali. Quapropter excommunicatus *toleratus* venialiter peccat si *passive* divinis officiis assistat [3] ; tamen « non est necesse ut expellatur » (can. 2259, § 2).

Vitandus vero graviter peccat ; imo « expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo » (can. 2259, § 1) [4].

Quoad prohibitionem assistentiae *activae,* dicendum videtur eam sub gravi urgere, ideo *per se* graviter peccat toleratus qui sponte se praebet ut partem activam in sacris ritibus habeat [5] ; tamen si ita ageret toleratus occultus, repellendus non esset. Graviorem reatum incurrit vitandus, qui praeterea repelli debet, sicut etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin *notorie* [6] excommunicatus (can. 2259, § 2).

c) Clerici scienter et sponte in divinis cum vitando communicantes ipsum in divinis officiis recipiendo ipso facto incurrunt in excommunicationem S. A. simpliciter reservatam (can. 2338, § 2) ; et scienter admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrunt (*ibid.,* § 3).

2° Excommunicatus a) potest interesse concioni (can. 2259, § 1), lectioni Sacrae Scripturae et theologiae ; quia haec ab Ecclesia libenter permittuntur excommunicato, ut ad conversionem adducatur.

Per se tamen privatur facultate concionandi, legendi in theologia, inter-

---

1. Cf. can. 2259, § 2 qui loquitur de assistentia quae aliquam secum participationem in divinis officiis celebrandis secumfert. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 149. — Num ministret qui officio organoedae fungatur, dubitatur. Cf. *Th. pr. Quart.-schr.,* 1925, t. LXXVIII, p. 601 s. ; CAPPELLO, *l. c. ;* NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 39.

2. Cf. SALUCCI, *o. c.,* p. 248 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 149 et 108. Cf. tamen VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* **n. 463.**

3. Progressu temporis valde attenuata est vis prohibitionis factae toleratis assistendi divinis officiis. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 213, cum auctoribus ibi citatis. Imo omnem prohibitionem negant VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

4. Auctores antiqui hanc regulam tradunt : si agitur de horis canonicis, et vitandus expelli nequit, interrumpendae sunt. Si de Missa, haec, etiam die festo, nondum inchoato canone, abrumpenda est ; inchoato vero canone, aut abrumpi, aut ceteris abeuntibus perfici debet usque ad communionem inclusive ; reliqua in sacristia vel in alio loco decenti peragenda sunt. Si vero jam facta est consecratio, solo manente ministro, pergendum est usque ad communionem inclusive, et cetera peragantur in sacristia vel alio decenti loco. — Haec tamen Missae abruptio *practice* fere nunquam fieri potest. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 159.

5. Cf. COCCHI, *o. c.,* p. 144 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 39.

6. Ad hunc effectum sufficit ergo *notorietas facti.*

pretandi jus canonicum. *Toleratus* vero haec praestare potest si requiratur, imo etiam si ei ex officio competant et non sit qui ejus vices suppleat.

b) Licita sunt cuivis excommunicato veneratio et usus privatus SS. imaginum, reliquiarum, aquae benedictae, aliorumque sacramentalium.

Non tamen lucratur indulgentias rebus sacris annexas, nec percipit ex sacramentalibus fructum, quem ex benedictione Ecclesiae producunt ; est enim privatus suffragiis Ecclesiae.

c) Licitus quoque est ingressus ecclesiae extra tempus divinorum officiorum ad orandum privatim.

d) Excommunicatus, ad horas canonicas obligatus, ab iis non dispensatur ; licet sit solutus ab obligatione recitationis publicae in choro, eas tamen privatim recitare debet, nec socium adhibere potest, nisi sit toleratus et requisitus, vel necessitas cogat.

1758. — II. Privatio sacramentorum.

Excommunicatio regulariter privat jure tum sacramenta *suscipiendi* tum ea *administrandi*. In cujus tamen regulae applicatione ratio habenda est distinctionis inter valorem et liceitatem, et inter vitandos et toleratos. Hinc :

1° **De sacramentis et sacramentalibus recipiendis.**

a) « Nec potest excommunicatus licite *sacramenta* recipere » (can. 2260, § 1).

α) *Quoad validitatem.* Excommunicatus, sive toleratus sit sive non, valide recipit sacramenta, excepto sacramento poenitentiae ob defectum dispositionis. Quinimo et istud valide suscipit, si invincibiliter ignoret id sibi prohiberi, et cetera requisita adferat ; quia tunc omnia ad substantiam sacramenti requisita adsunt [1].

β) *Quoad liceitatem.* Non potest excommunicatus licite suscipere sacramenta, excepto mortis articulo, vel gravissimo imminente damno. In articulo mortis etiam vitandus potest, positis ponendis, suscipere sacramentum poenitentiae et SS. Eucharistiam, necnon, saltem si confiteri non potuerit, extremam-unctionem [2].

Neque *ad ordines* excommunicatus quilibet *licite* promoveri potest (can. 2265, § 1, 3°). Prohibitio haec sese extendit usque ad *primam tonsuram inclusive* [3].

γ) *Gravitas prohibitionis.* Excommunicati, sive vitandi, sive non, *per se* graviter peccant recipiendo sacramenta priusquam absolvantur. Ideo graviter peccat minister, qui scienter sacramenta eis confert, cum sint

---

1. Cf. S. ALPH., *o. c.*, l. VII, n. 159 ; LEHMKUHL, *o. c.*, t. II, n. 887 ; WERNZ, *o. c.*, p. 198 ; CAPPELLO, *De Sacramentis*, t. I, n. 81 ss.
2. Cf. can. 882 ; S. ALPH., *l. c.*, n. 160, coll. t. VI, n. 265 et 585. Cf. FEYE, *o. c.*, n. 271, p. 214 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 53.
3. Cf. can. 950 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 147.

indigni [1]. Tamen liceret Sacramenta ministrare tolerato, si sit in bona fide, vel si publice petat et indignitas sit occulta, ne prodigatur ejus fama.

« Minister qui ausus fuerit Sacramenta administrare illis qui jure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis sacramentis per tempus prudenti arbitrio Ordinarii definiendum, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur » (can. 2364) [2].

Praeterea « suspensionem a divinis S. A. reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico ; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur » (can. 2372).

b) Non potest excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam *sacramentalia* recipere (can. 2260, § 1).

2° **De sacramentis et sacramentalibus conficiendis et administrandis.**

a) *Quoad validitatem.* Excommunicatus sive sit toleratus sive non, *valide* sacramenta conficit et administrat ; nam ubi omnia ad sacramenta necessaria concurrunt, Ecclesia ea invalidare nequit. Excipitur sacramentum poenitentiae, quod excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam valide non ministrat, nisi in articulo mortis. Ratio est, quia in ministro poenitentiae requiritur potestas non tantum ordinis, sed etiam jurisdictionis, qua praedictus excommunicatus caret [3]. Excipitur etiam matrimonium, cui assistere valide nequeunt [4] parochus aut loci Ordinarius, si fuerint per sententiam excommunicati aut tales declarati.

b) *Quoad liceitatem.*

α) « Prohibetur excommunicatus *licite* Sacramenta et Sacramentalia conficere et administrare, salvis exceptionibus quae sequuntur » (can. 2261, § 1). Haec prohibitio per se *sub gravi* urget.

β) « Fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet justa causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem minis-

---

1. Sunt qui putant *hanc prohibitionem Ecclesiae* exsistere tantum relate ad vitandos, et ad hereticos et schismaticos qui post usum rationis publice in secta heretica aut schismatica vixerunt, quia Ecclesia probabilius non amplius prohibet communicationem in divinis cum toleratis. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 198, nota 271 ; SOLE, *o. c.*, n. 216. Cf. in sensum contrarium SALUCCI, *o. c.*, p. 252.
2. Cf. can. 731 ; 855, § 1.
3. Cf. can. 873, § 3 ; 2264.
4. Cf. can. 1095, § 1, 1°, et ejusd. can. § 2 quoad delegationem etiam in casu invalidam.

trare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi » (ibid., § 2).

Haec petitio fidelium fieri potest ex *qualibet justa causa,* ut est v. gr., maturior baptismi collatio, anxietas conscientiae deponenda, pietas fovenda. Causa praecipua est defectus ministrorum. Imo sufficit petitio implicita aut rationabiliter praesumpta [1]. Notandum est ex hac fidelium petitione licita fieri administratio Sacramentorum *respectu censurae* non *respectu peccati* quod committeret excommunicatus ex confectione aut administratione Sacramenti in statu peccati, nisi statum gratiae ex contritione perfecta recuperaverit.

γ) Huic dispositioni in gratiam fidelium inductae ponitur exceptio : « Sed ab excommunicatis *vitandis*, necnon ab aliis excommunicatis, *postquam intercesserit sententia condemnatoria vel declaratoria,* fideles in *solo mortis periculo* possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 882, 2252 [2], tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia [3] » (*ibid.*, § 3).

Periculo mortis juxta plerosque aequiparandus est casus gravis necessitatis *propriae* excommunicati, si v. gr., recusando suum ministerium incurrat periculum mortis, infamiae, gravis bonorum jacturae. Ratio est quia non praesumitur Ecclesia velle suis legibus cum tanto dispendio obligare.

c) Excommunicatus, illicite sacramenta ministrans, incurrit irregularitatem. Is vero qui a vitando aut ab excommunicato post sententiam sacramenta scienter recipit extra periculum mortis, graviter peccat.

d) Quoad poenas, cf. can. 2366 ; 2372.

1759. — III. **Privatio sepulturae ecclesiasticae.** « Quod attinet ad ecclesiasticam sepulturam servetur praescriptum can. 1240, § 1, n. 2 » (can. 2260, § 2) [4].

1760. — IV. **Exclusio ab indulgentiis et Ecclesiae suffragiis.**

1° *Praenotiones.* a) Nomine suffragiorum Ecclesiae in genere veniunt « preces et opera bona quae spiritualia auxilia procurant, sive id fiat ex opere operato, ut in sacrificio Missae, vel ad modum operis operati, ut in indulgentiis, sive ex opere operantis, ut in orationibus privatis et jejuniis et eleemosynis. Auxilia praedicta sunt vel impetrationis, vel propitiationis, vel satisfactionis » [5].

---

1. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 148 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 56.
2. Etiam proin si adsit alius sacerdos approbatus.
3. V. gr., benedictio apostolica cum indulgentia plenaria ad normam can. 468, § 2.
4. Cf. supra n. 1233.
5. Ita LECLER, ap. *Coll. Namurcen.*, 1907-1908, t. VII, p. 159.

b) Suffragia Ecclesiae sunt vel *privata,* vel *communia.*

Suffragia *privata* ea sunt, quae proveniunt ex bonis operibus, quae fideles proprio nomine et persona sua particulari peragunt. Talia sunt jejunia, orationes, et alia quae a privatis fidelibus, vel Ecclesiae ministris ceu personis privatis, fiunt.

Suffragia vero *communia* ea sunt, quae fidelibus proveniunt ex bonis operibus nomine Ecclesiae factis ab ejus ministris ; ut sunt Missae, horae canonicae, aliaeque orationes et opera, quae ab Ecclesiae ministris qua talibus, et nomine ipsius Ecclesiae, peraguntur. Ad haec revocari debent satisfactiones, quae thesaurum Ecclesiae constituunt, et a praelatis Ecclesiae per *indulgentias* applicantur.

c) Haec suffragia communia in codice distinguuntur in *indulgentias, suffragia* et *publicas Ecclesiae preces.* Suffragia quatenus a publicis ecclesiae precibus secernuntur censentur praesertim fructus *Missae,* quatenus hujus celebratio est *actio Ecclesiae,* et fructus qui ex publicis ministrorum *officiis* derivantur [1].

2° Jam vero a) « Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum et publicarum Ecclesiae precum » (can. 2262, § 1). Tamen exceptio fit, ut statim dicetur, quoad Missam.

b) Excommunicatus non privatur suffragiis *privatis* [2]. Unde « non prohibentur fideles privatim pro eo orare » (*ibid.*, § 2, 1°) ; unde etiam licet sacerdoti pium opus cantandi vel recitandi horas canonicas quatenus est proprium opus talis privatae personae, per quod habet suum meritum vel satisfactionem vel impetrationem *ex opere operantis,* offerre privata intentione pro excommunicato : quia secundum illum respectum illa est privata oratio vel satisfactio, cujus applicatio voluntaria est [3].

c) « Non prohibentur tamen sacerdotes Missam *privatim* et *remoto scandalo* pro eo applicare ; sed, si sit vitandus, pro ejus conversione tantum » (*ibid.*, § 2, 2°).

Ita solvitur intricata controversia quae olim vigebat de applicatione Missae vitandis et toleratis [4]. Nempe licet celebrare Missam pro excommunicatis [5] non solum ad conversionem impetrandam verum etiam ad alias eorum intentiones, nisi agatur *de vitandis* pro quibus permittitur sacrificium offerre pro eorum conversione dumtaxat, dummodo in omni casu, celebretur *privatim* et *remoto scandalo ;* sc. *privatim* exclusis omnibus publicitatis signis ita ut intentio unice cognoscatur offerenti et petenti, et insuper exclusa omni missae sollemnitate [6]. Dicitur praeterea

1. CAPPELLO, *o. c.*, n. 156. Cf. etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 464.
2. Cf. *Coll. Namurcen., l. c.*, p. 159 s. ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 59.
3. Cf. SUAREZ, *De censuris,* disp. IX, sect. 5, n. 6 ; S. ALPH., *o. c.*, l. VI, n. 308, et l. VII, n. 162 ; WERNZ, *o. c.*, p. 197 s.
4. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1417.
5. Item hodie pro haereticis et schismaticis, cf. can. 809.
6. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 156 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 258 s.

excluso scandalo, quod etiam si privatim celebretur evenire posset ut si ex cognita applicatione Missae appareret favor erga contumacem.

d) Licet pro excommunicatis *defunctis* Missam celebrare, nisi quod prohibeatur quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia pro illis excommunicatis qui ad ecclesiasticam sepulturam non admittuntur [1].

1761. — V. **Remotio ab actis legitimis ecclesiasticis.** « Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis jure definitos » (can. 2263).

Quid nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significetur dictum est n. 1753.

Ab excommunicato *tolerato* positi, sunt quidem *illiciti* [2] et per se *sub gravi prohibiti,* sed *validi sunt.* At, v. gr., excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam *invalide* agunt munere *arbitri* (can. 1931) et *patrini* in baptismo et confirmatione (can. 765, 2° ; 795, 2°) ; item sententia judicis excommunicati post sententiam est *invalida,* quia ille caret jurisdictione [3].

1762. — VI. **Prohibitio agendi in judicio.** « Excommunicatus nequit in causis *ecclesiasticis* agere, nisi ad normam can. 1654 » (can. 2263) [4].

1763. — VII. **Prohibitio usus privilegiorum.** Prohibetur excommunicatus quilibet « concessis antea ab Ecclesia privilegiis frui » *(ibid.).*

Agitur de privilegiis *personalibus.* Ubi tamen agitur de hisce facultatibus et privilegiis, quae fuerunt in commodum fidelium concessa, excommunicatus facilius excusabitur, imo iisdem *licite* uti potest, si sacramenta et sacramentalia respiciant et haec ipse, a fidelibus requisitus, licite conficiat vel ministret [5].

Notandum est quod excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam nequeat « ***gratiam ullam pontificiam*** **valide** consequi, nisi in *pontificio* rescripto mentio de excommunicatione fiat » (can. 2265, § 2) [6]. Haec inhabilitas respicit tantum rescripta *gratiae,* non rescripta *justitiae,* et videtur omnino extendenda ad *privilegia* et *dispensationes.*

1764. — VIII. **Effectus quoad jurisdictionem.** « Actus jurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est *illici-*

---

1. Cf. CAPPELLO, *o.* et *l. c.*
2. Ut *illicite* patrinus baptismi admittatur, oportet ut propter *notorium* delictum sit excommunicatus, can. 766, 2°.
3. Cf. etiam, can. 167, § 1, 3° et § 2 ; 1470, § 4.
4. Cf. supra n. 1558. Excommunicatus post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam in judicio qua testis repellitur (can. 1757, § 3).
5. Ita merito CAPPELLO, *o. c.*, n. 152.
6. Cf. supra n. 292 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 157 ; COCCHI, *o. c.*, p. 149 ; SOLE, *o. c.*, n. 220.

tus ; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam *invalidus,* salvo praescripto can. 2261, § 3 ; secus est *validus,* imo etiam *licitus,* si a fidelibus petitus sit ad normam mem. can. 2261, § 2 » (can. 2264). Proinde a) *Excommunicatus post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam* ipsa jurisdictione ecclesiastica privatur. Nequit igitur ex natura rei valide beneficia conferre, condere leges, ferre sententias, delegare, absolvere extra mortis articulum, quo in casu extremae necessitatis ei jurisdictio restituitur ad normam can. 2261, § 3 [1].

b) *Toleratus* vero, etsi facto notorius, *valide* exercet actus jurisdictionis, sed *illicite,* nisi ob causam legitimam excusetur. Etenim non privatur jurisdictione, sed tantum *usu illius licito,* nisi contra valorem actuum excipiatur de excommunicatione [2]. Inde quod attinet ad jurisdictionem in tribunali poenitentiae, *graviter,* omnibus fatentibus, peccat toleratus eam extra necessitatem vel irrequisitus exercens, at valide absolvit [3].

1765. — IX. **Effectus quoad officia et beneficia.**

1° Quilibet excommunicatus « prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus *fungi* » (can. 2263). Hic, *officium* sumendum est tum stricto tum lato sensu, pro quolibet munere quod in finem spiritualem exercetur ad normam can. 145, § 1 [4], ut patet ex contextu ; dicitur enim *officiis seu muneribus.*

2° « Quilibet excommunicatus a) prohibetur jure eligendi, praesentandi, nominandi [5] ; b) Nequit consequi dignitates officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia » (can. 2265, § 1). Cum actus positi contra hoc praescriptum, etsi *per se* graviter *illiciti,* tamen sint *validi* (can. 2265, § 2), inde consequitur electionem, praesentationem, nominationem a *tolerato* factas esse validas, sicut etiam consecutionem dignitatum, officiorum, etc. in favorem hujusmodi excommunicati ; secus est dicendum si illi omnes actus positi fuerint *ab excommunicato vitando* vel *ab alio excommunicato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam* (can. 2265, § 2).

3° Excommunicatus *toleratus* per se etiam *licite* retinet officia et beneficia prius obtenta, suosque facit fructus, dempta portione congrua illi solvenda per quem onera adnexa adimplet. Contra, « *post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus* manet priva-

---

1. Cf. supra n. 1758.
2. Cf. can. 1628, supra de judiciis, n. 1550.
3. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 155, de excommunicato tolerato *delegante.*
4. Cf. supra n. 394.
5. Cf. supra n. 396, 1419.

tus [1] fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia ; et *vitandus* ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere » (can. 2266), ita ut pro ipso prohibitio fungendi ecclesiasticis officiis seu muneribus actus positos, si casus ferat, invalidos reddat.

1766. — X. Privatio communionis cum fidelibus in profanis.

Non solum *vitandi* ab omni communicatione cum fidelibus abstinere debent, sed ipsi fideles nequeunt cum vitandis quamvis habere communionem [2]. Fert enim can. 2267 : « Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de conjuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset. »

1° *Actiones profanae,* in quibus regulariter non licet cum vitandis consortium habere, hoc versiculo continentur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os, id est colloquia, litterae, signa benevolentiae, ut esset osculum, missio vel acceptatio munerum, etc.

Orare significat omnem communicationem in actibus religionis, licet privatam.

Vale comprehendit omnem salutationem honorificam exhibitam verbo, signo aut amplexu, et probabilius etiam resalutationem, quamvis alii non improbabiliter resalutare permittant, ad effugandam inurbanitatis et contumeliae notam.

Communio significat omnem contractum, cohabitationem, cooperationem, eaque omnia quae per modum societatis fiunt.

Mensa comprehendit convictum, convivium per modum sociorum ; non vero cibi sumptionem in eodem diversorio, quamvis ad eamdem mensam : ibi enim, ut loquuntur auctores, quisque sibi intendit.

2° *De culpa et poenis, sub quibus prohibita est communicatio cum vitandis* [3].

Communicans in aliquo ex praedictis cum *vitando* regulariter peccat *venialiter.*

Dicitur *regulariter ;* nam peccat mortaliter : a) communicans in divinis in re gravi [4] ; b) communicans, licet in profanis, in contemptum prohibitionis ; c) communicans cum vitando in crimine criminoso, i. e., in eodem crimine vel contumacia, ob quam lata est hujusmodi excom-

---

1. Et quidem a die commissi delicti, ex can. 2232, § 2.
2. Cf. LEHMKUHL, *o. c.*, t. II, n. 897 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 62 s. ; HOLLWECK, *o. c.*, p. 124, n. 7 s. ; WERNZ, *o. c.*, p. 204.
3. Olim incurrebat excommunicationem minorem. Cf. S. Off., 9 jan. 1884 et 2 aug. 1893, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXX, p. 413 ss.
4. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 161.

municatio, ei auxilium, vel consilium aut favorem praestando. Quod sub gravi prohibetur et quidem sub poena excommunicationis l. s. simpliciter R. P. reservata (can. 2338, § 2).

3° *Causae excusantes.*

Excipiuntur a prohibita communicatione in profanis conjux, parentes, liberi, propter necessitatem vitae communis ; famuli et subditi propter necessitatem subjectionis. Praeterea rationabilis causa excusationis est : a) necessitas et utilitas spiritualis vitandi, necessitas et utilitas spiritualis aut temporalis communicantis et fidelium ; utrum etiam excuset utilitas temporalis vitandi, controvertitur [1] ; b) ignorantia sive juris sive facti.

Quae causae hodie temporis factae sunt adeo frequentes ut saepissime ratio aderit, qua fideles ab hac prohibitione excusantur.

B. EFFECTUS MEDIATI EXCOMMUNICATIONIS.

1767. — 1° Fit *irregularis* ex delicto ob violationem censurae excommunicatus qui exercet culpabiliter actum ordinis reservatum constitutis in sacris (can. 985, 7°).

2° Excommunicatus qui, obdurato animo per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus (can. 2340, § 1) et puniendus est poenis statutis in can. 2315. Ratio est quia ille in contumacia pertinax praesumitur male sentire de potestate Ecclesiae.

ARTICULUS II. — De interdicto.

§ 1. NOTIO ET DIVISIO INTERDICTI.

Late admodum patet apud latinos scriptores generale *interdicti,* quod idem est ac *prohibitionis,* nomen ; at jamdiu adhibetur ad certam censurae speciem significandam [2].

1768. — I. **Notio.**

« Interdictum est *censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur* » (can. 2268, § 1), seu etiam definiri potest : *censura, qua certis personis, vel quibusdam in locis, prohibetur usus omnium divino-*

---

1. Cf. *Nouv. rev. théol.*, t. IV, p. 391.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 222 ss. ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 790. Cf. de historia interdicti auctores cit. supra p. 130 ; WERNZ, *o. c.*, p. 225 ; SAEGMUELLER, *o.* et *l. c.* CAPPELLO, *o. c.*, n. 479.

rum officiorum, aliquorum sacramentorum et sepulturae ecclesiasticae, quatenus ille usus est et omnibus fidelibus communis [1].

Dicitur a) *censura* ut distinguatur a poenis vindicativis notatim ab interdicto lata per modum poenae vindicativae [2] ; b) *qua prohibetur usus,* ut indicetur objectum hujus censurae, usus tam activus quam passivus non omnium sed quarumdam rerum sacrarum ; c) *quatenus usus est* et ita differt ab excommunicatione quae excludens immediate fideles a communione Ecclesiae eos mediate tantum sacris privat vel prohibet ; interdicto contra prohibentur usu quorumdam sacrorum fideles in communione Ecclesiae permanentes ; d) *et omnibus fidelibus communis* ut insinuetur discrimen inter suspensionem et interdictum. Suspensio enim pariter privat usu rerum sacrarum sed quatenus usus iste est activus atque adeo *exercitium* quoddam potestatis ecclesiasticae aut muneris cujusdam ex officio, non usus quidem mere passivus et communis cum reliquis fidelibus. Interdictum vero privat usu illo sive activo sive passivo, i. e., communi cum ceteris fidelibus, ita ut tam clericos quam laicos afficiat [3].

Hinc differt interdictum ab *aliis censuris,* tum quia objectum ipsius est formaliter diversum tum quia afficit loca ; differt insuper ab *excommunicatione,* quae privat majoribus bonis et non potest ferri in communitatem ; et a *suspensione,* quae afficit solos clericos et non privat sepultura ecclesiastica, etc.

1769. — II. Divisio.

Interdictum est 1° vel *personale,* vel *locale.*

Personale est, quando usus sacrorum *directe personis ipsis* interdicitur ; *locale,* quando eorumdem dispensatio vel perceptio directe *in certis locis* vetatur (can. 2268, § 2).

Olim occurrebat etiam interdictum *mixtum,* quando personas simul cum locis respiciebat, quatenus afficiens personas, afficiebat propterea loca quaevis, quae illae ingrediebantur, ita ut nequidem aliis personis his in locis degentibus divinarum usus concederetur [4].

2° Interdictum, sive personale, sive locale dividitur in *generale* et *particulare* [5].

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 223 s.
2. Cf. can. 2291, 1° et 2°.
3. Cf. WERNZ, *l. c.* ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 462.
4. Vocabatur etiam interdictum ambulatorium. Cf. HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 83.
5. Cf. decr. S. Cong. Consist., 30 sept. 1909, quo civitas Adriensis cum suburbio subjicitur interdicto generali, locali et personali, ap. *ASS.*, t. I, p. 765 s., *Coll. Brug.*, t. XIV, p. 695 ; *Nouv. rev. théol.*, 1910, t. XLII, p. 407 ss. ; decret, ejusd. Congr., 10 dec. 1913, quo civitas Gallatina subjicitur interdicto generali, locali et personali, ap. *AAS.*, t. V, p. 517 s. ; Monasterium Carmelitarum in Marienthal subjicitur interdicto generali, locali et personali, decreto, 1 jan. 1921, ap. *Bull. eccles. de Strasbourg,* 1921, t. XL, p. 40.

Interdictum personale generale est illud, quod fertur vel in totum populum aut clerum, vel in aliquam communitatem, qua talem, ut est civitas, collegium, conventus, si sumatur pro habitantibus, non vero familia, quia fictione juris maritus, uxor, proles, etc. sunt una et eadem moraliter persona.

Interdictum personale particulare est illud, quod fertur in personas determinatas, quamvis sint plures, sive exprimantur personaliter, sive in globo, ut si interdicantur omnes qui cooperati sunt homicidio Episcopi. Considerantur enim postremo quoque casu, non ut communitas, sed ut personaliter delinquentes [1].

Disparitas inter utrumque interdictum est, quod interdictum personale generale tantum ligat personas, quatenus sunt et remanent membra communitatis ; interdictum vero personale particulare ita ligat personas interdictas, ut, ubicumque fuerint, suum secum interdictum ferant, quamdiu non fuerint absolutae (can. 2269, § 2). Notandum est quod qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium sint *ipso facto* personaliter interdicti (can. 2338, § 4).

Interdictum locale generale est illud, quod fertur in aliquem locum communem, sub se comprehendentem loca sacra simul et profana ; v. gr., nationem, regnum, provinciam, dioecesim, civitatem, castrum, pagum, paroeciam, conventum. Interdicuntur tunc ritus sacri non solum in loco sacro sed in tota loci expressi extensione.

Interdictum locale particulare est illud, quod cadit in solum locum sacrum, et non in loca profana adjacentia, quae non sunt accessoria ejus. Quare si interdicerentur omnes ecclesiae civitatis, non vero civitas, esset particulare interdictum, et extra ecclesias ritus sacri possent adhiberi.

In hoc *differunt* interdictum *personale* et *locale,* quod interdictum *locale* non urgeat extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso privilegio speciali, illud servare debent (can. 2269, § 2) ; interdictum vero personale generale, respicit quotquot in praesens sunt vel subinde fiunt interdicti populi, coetus, ordinis membra ; at ex adverso eximitur quisquis ejus populi, coetus, ordinis pars vel non est vel esse desiit. Hinc in ecclesia interdicta nullus celebrare potest, nequidem ille qui interdictum tulit [2] ; sed, clero alicujus ecclesiae interdicto, alii clerici in ecclesia non interdicta celebrare possunt, et alios ritus sacros facere; et si populus alicujus civitatis cum toto clero interdiceretur, non interdictis ecclesiis, extranei non interdicti possent inter se privatim ritus sacros exercere [3].

Interdicta familia, clericus quoque ad eam pertinens, siquidem censura censetur lata in personas illius familiae, est interdictus ; interdicto tamen clero alicujus paroeciae, non interdicitur clericus manens in eadem paroecia, si non fuerit paroeciae adscriptus.

---

1. Cf. S. C. C., 12 jul. 1927, quo declaratur sacerdos Joseph Paccagnella incurrisse interdictum personale ad normam can. 2275, quia mandatis hujus S. C., circa exsecutionem quarumdam piarum voluntatum non paruerit, *AAS.*, t. XIX, p. 281.

2. Salva exceptione can. 2271, n. 1.

3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 231 s.

Interdicto clero civitatis, non interdicuntur regulares, nec populus civitatis ; nec contra ; quia clerus, regulares et populus sunt tria corpora distincta. Interdicta tamen civitate, interdicto etiam episcopali, interdicuntur regulares ejusdem civitatis, qui faciunt unum corpus civitatis.

Episcopi non subjacent interdico generali personali latae sententiae nisi exprimantur.

Ab eodem interdicto liberi sunt (excepta privatione sepulturae ecclesiasticae) infantes et amentes doli incapaces.

Nota. a) Interdictum generale, sive locale, sive personale, non obligat nisi fuerit promulgatum ; quia, cum respiciat communitatem, sortitur rationem legis, quae vim non habet antequam promulgetur. In decreto seu sententia, *ambitus* poenae accurate determinetur.

b) Solum interdictum personale speciale censurae integre refert naturam. Quoad interdicta localia et generalia, quod spectat ad innocentes, non habent rationem censurae sed potius privationis [1].

3° Interdictum est *totale* vel *partiale*. Illud prohibet usum omnium rerum sacrarum in definitione expressarum, hoc vero unam alteramve partem. Effectus enim interdicti sunt separabiles.

4° Interdictum potest esse *a jure* vel *ab homine, latae* aut *ferendae sententiae*.

5° Interdicti *post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam* ab aliis interdictis sunt secernendi.

§ 2. AUCTOR ET CAUSA INTERDICTI.

1770. — I. Auctor interdicti.

1° « Generale interdictum tam locale in territorium *dioecesis, reipublicae,* quam personale *in populum dioecesis, reipublicae,* ferri tantum potest *a Sede Apostolica* vel de ejus mandato ; 2° interdictum vero generale in *paroeciam* vel *paroeciae populum* [2], et particulare sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest » (can. 2269, § 1). Hoc jus competit etiam Vicario capitulari, Administratori Apostolico, Vicario et Praefecto Apostolico, Abbati vel Praelato *nullius,* ex can. 2220, § 1 [3].

1771. — II. Causa interdicti.

Interdictum *personale speciale* ferri tantum potest propter gravem culpam. Interdictum *personale generale,* quod gravissima poena est, longe graviorem culpam requirit quam speciale et quidem culpam quae

---

1. Cf. LEGA, *o. c.*, p. 220, nota ; coll. tamen HOLLWECK, *o. c.*, p. 83 et D'ANNIBALE, *o. c.*, t. I, n. 370.

2. Item in oppidum, civitatem et in oppidi, civitatis populum, cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 466.

3. Quoad Superiores majores religionum clericalium exemptarum, ipsi tantum possunt ferre interdictum personale. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 468.

aliquo modo sit communis, quatenus delictum perpetratum fuerit a *capite communitatis,* vel a communitate qua tali, etsi forsan non singuli de communitate formaliter in delictum convenerint. *Interdictum locale particulare* redundans in gravamen plurium personarum etiam innocentium infligi tantum potest ob culpam gravem quae aliquo modo communis sit seu quae in praejudicium boni communis vergat. Interdictum locale *generale* requirit causam gravissimam seu delictum aliqua ratione *commune* ratione capitis aut communitatis [1].

§ 3. EFFECTUS INTERDICTI.

Praeter effectus interdicto cum reliquis censuris communes, ut v. gr., est irregularitas contracta ex violatione interdicti ad normam can. 985, 7°, tres sunt peculiares, ut patet ex ipsa interdicti definitione, scilicet : prohibitio divinorum officiorum, seu privatio juris eis assistendi eaque celebrandi ; prohibitio aliquorum sacramentorum ; et prohibitio sacrae sepulturae. Qui effectus seorsim sunt considerandi pro singulis speciebus interdicti [2].

1772. — I. **Effectus interdicti localis.**

Uti jam diximus, interdictum locale *directe* afficit loca et *indirecte* personas quatenus sacrorum dispensatio vel perceptio quibusdam in locis determinatis eis interdicatur. Habet effectus *separabiles,* seu eorum ambitus a voluntate ferentis pendent, uti apparet ex verbis can. 2271 : « et interdicti decreto aliud non caveatur expresse, » salvis tamen praescriptis juris communis.

1° *Effectus generales interdicto locali generali et particulari.*

a) « Interdictum locale sive generale sive particulare *non vetat morientibus* Sacramenta [3] et Sacramentalia, servatis servandis, ministrare » (can. 2270, § 1). Dicitur *servatis servandis,* i. e. « prohibetur cantus et pompa... et sonitus campanarum ; sacrum Viaticum privatim deferatur » (can. 2271, 2°).

b) « Sed prohibet in loco quodlibet *divinum officium* vel *sacrum ritum,* salvis exceptionibus [4] de quibus in § 2 hujus canonis et in can. 2271, 2272 » *(ibid.).* Prohibentur nimirum Missae celebratio, publica

---

1. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 473 ss., juxta SUAREZ.
2. Cf. *L'interdit et ses effets liturgiques,* dans les *Questions liturgiques,* 1913, t. III, p. 168 ss. Cf. decreta cit. S. Cong. Consist., 30 sept. 1909 et 10 dec. 1913.
3. Ante codicem, juxta plures, extremam Unctionem administrare tantum licebat ei qui confiteri non potuerat, cf. WERNZ, *o. c.,* p. 234 s. ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 89.
4. Illae exceptiones pedetentim introductae sunt ad mitigandum rigorem hujus gravissimae poenae. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1532 ss.

recitatio horarum canonicarum, processiones, sollemnes benedictiones et consecrationes, ad normam can. 2256, n. 1 ; omnia sollemnia et ritus quae ad celebrationem Missae et sacramentorum administrationem non stricte requiruntur, etc.

c) « In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in coelum assumptae interdictum locale suspenditur et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio » (can. 2270, § 2) [1].

His in diebus divina officia sollemniter peragi permittuntur.

2° *Effectus interdicti localis generalis.*

Effectibus communibus interdicti localis hae afferuntur *exceptiones :*

a) « Permittitur *clericis,* dummodo non sint ipsi personaliter interdicti [2], omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio *privatim* obire, januis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis » (can. 2271, § 1°) [3].

b) « In ecclesia vero cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae [4], assistentia Matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili, et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium, sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur » (*ibid.,* n. 2°).

3° *Effectus interdicti localis particularis.*

a) « In interdicto locali particulari, si interdictum fuerit *altare* vel *sacellum* alicujus ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur » (can. 2272, § 1).

b) « Si interdictum fuerit *coemeterium,* fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu » (*ibid.,* § 2).

c) « Si latum fuerit in certam *ecclesiam* vel *oratorium :* α) Si ecclesia

---

1. Cf. Bonifacius VIII, c. 24, in VI, V, 11 quoad festa Natalis Domini, Paschae ac Pentecostes et B. M. V. in coelum assumptae. Festis illis quatuor, addiderunt Martinus V, bulla *Ineffabili* et Engenius IV, const. *Excellentissimum,* festum Corporis Domini cum ejusdem octava (de octava silet codex), et Leo X pro Hispania, diem Conceptionis immaculatae, pariter cum octava.

2. Cf. can. 2275 ; 2338, § 4.

3. Dicendum per hanc concessionem, non permitti *laicis* non privilegiatis ut divinis officiis assistant, attenta etiam exceptione can. 2271, 2°. Quod consonat cum interpretatione ante codicem communi.

4. Non autem, sicuti antea, confirmatio, quia jam non consideratur ut complementum baptismi.

fuerit *capitularis* nec interdictum sit Capitulum [1], valet praescriptum can. 2271, n. 1, nisi interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia vel oratorio ; β) Si fuerit *paroecialis*, servetur praescriptum can. 2271, n. 2, nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat » (*ibid.*, § 3).

d) « Interdicta *civitate* interdicta quoque manent *loca accessoria* etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis; interdicta *ecclesia*, interdicta sunt etiam sacella contigua, non vero coemeterium ; interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta » (can. 2273) [2].

1773. — II. **Effectus interdicti personalis.**

1° *Generalis*. « Si communitas seu collegium delictum perpetraverit, interdictum ferri *potest* vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem uti talem, vel in personas delinquentes et in communitatem. a) Si primum, servetur praescriptum can. 2275 ; b) Si alterum, communitas seu collegium nequit jus ullum spirituale exercere quod ei competat ; c) Si tertium, effectus cumulantur » (can. 2274). Jus spirituale quod interdicta communitas exercere non valet est v. gr., ferre suffragia, beneficia conferre, eligere, etc. [3].

2° *Particularis*. Personaliter interdicti [4] :

a) « Nequeunt divina officia celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere ; passive assistentes non est necesse ut expellantur ; sed ab assistentia activa, quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin *notorie* interdicti » (can. 2275, 1°).

b) Quoad administrationem, confectionem, receptionem Sacramentorum et Sacramentalium ; jus eligendi, praesentandi ; consecutionem dignitatum, officiorum, beneficiorum aliudve muneris in Ecclesia ; item gratiarum Apostolicarum, quoad privationem demum sepulturae ecclesiasticae eodem jure tenentur ac excommunicati, ratione etiam habita sententiae condemnatoriae vel declaratoriae quae forsan contra ipsos lata fuerit (can. 2275, 2°, 3° et 4°) [5].

1. Tunc applicandus est can. 2274.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 470 ; SOLE, *o. c.*, n. 242 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 278 s.
3. Potest autem Capitulum officium celebrare. Cf. tamen CAPPELLO, *o. c.*, n. 466.
4. Cf. etiam can. 2338, § 4 : « Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti. »
5. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 465. Cf. supra n. 1758 ss.

1774. — III. **Effectus interdicti quoad innocentes.**

« Qui interdicto *locali* vel interdicto *in communitatem* seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere, ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto, aliave satisfactione » (can. 2276).

1775. — IV. **Effectus interdicti ab ingressu ecclesiae.**

Interdictum ab ingressu ecclesiae est interdictum *personale particulare et speciale ;* nempe « secumfert prohibitionem ne quis *in ecclesia* divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver removeatur » (can. 2277). *Ecclesia,* in can. intelligenda est ad normam can. 1161 ; ergo hoc nomine non venit oratorium privatum, semi-publicum aut publicum. Licet tali interdicto, eo tempore quo divina officia non peraguntur, in ecclesia *privatim* orare et sacramenta recipere. *Extra ecclesiam,* hujusmodi interdictus perinde habetur ac si nulla teneretur censura ; ita sepultura sacra ei in quolibet loco sacro, extra ecclesiam, donari potest.

§ 4. VIOLATIO INTERDICTI.

1776. — Clerici et laici violantes interdictum legitime latum et denuntiatum, praeter reatum peccati ex genere suo *gravis* [1], incurrunt poenas a jure inflictas.

1° *Laici* interdictum violantes in re gravi, v. gr., Sacramentum sibi prohibitum recipiendo, graviter peccant ; sed nullam poenam incurrunt, exceptis illis qui ausi fuerint mandare vel cogere tradi ecclesiasticae sepulturae interdictos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam : hi incurrunt excommunicationem l. s. nemini reservatam ; sponte vero sepulturam iisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum (can. 2339).

Peccant autem venialiter tantum, si non personaliter interdicti divinis officiis furtive assistant in loco interdicto.

2° *Clerici* violantes interdictum regulariter peccant graviter ; et, praeter excommunicationem et interdictum de quibus mox dictum est, a) incurrunt irregularitatem ex delicto, qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, ab ejus exercitio interdicto sive personali sive locali prohibiti (can. 985, 7°) ; b) qui scienter celebrent vel celebrari faciant divina in locis interdictis, vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos interdictos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure

1. Cf. HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 93 s.

contrahunt donec, arbitrio ejus, cujus sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint (can. 2338, § 3) [1].

§ 5. CESSATIO INTERDICTI.

1777. — 1° Si agatur de interdicto inflicto *in puram poenam seu vindictam*, ad tempus determinatum, vel expresse in perpetuum vel ad beneplacitum Superioris [2], natura sua est reservatum, et tollitur (praeter lapsum temporis), non per absolutionem, sed per *dispensationem*. Nihil itaque circa hujusmodi interdictum possunt confessarii quamtumvis privilegiati, excepto mortis periculo et in casibus urgentioribus occultis ad normam can. 2290.

2° Sed si agatur de interdicto lato *per modum censurae* vel ob contumaciam, distinguendum est :

a) *Interdictum locale* quodlibet et *interdictum personale generale*, si sint a jure et non reservata, relaxari possunt a superiore, fori externi potestatem habente in locum vel in communitatem ; a ferente autem, superiore, successore vel delegato, si sint ab homine, vel a jure, sed reservata.

Nihil circa ea potest confessarius, quamtumvis privilegiatus. Quinimo privilegium absolvendi a censuris omnibus non comprehendit praefata interdicta.

b) *Interdictum personale particulare* simpliciter latum, si sit ab homine, vel a jure et reservatum, absolvi potest a ferente, superiore, successore vel delegato ; si sit a jure et non reservatum, potest absolvi ab Episcopo pro utroque foro et etiam a simplici confessario eo modo, quo diximus de censuris non reservatis universim [3].

1778. — Nota. De cessatione a divinis.

Cum censura interdicti magnam habet affinitatem, sed confundi non potest, *cessatio a divinis*, quae est prohibitio clericis facta celebrandi officia divina [4], administrandi quaedam sacramenta, in aliquo loco determinato [5].

1° Haec cessatio eosdem fere ac interdictum *effectus* immediate producit, sed multiplici ratione ab eo differt. Etenim a) interdictum est censura ; cessatio vero a divinis nec censura est, nec proprie poena, sed *simplex prohibitio divinorum*, quae fertur non in punitionem delinquentis, at in

1. Quoad alias poenas quas incurrunt clerici, tum regulares tum saeculares, violantes interdictum, cf. can. 2364 ; 2372.
2. Cf. can. 2291, 1° et 2°.
3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 240 s. ; vide supra, n. 1744.
4. Prohibetur *sepultura ecclesiastica*, quatenus celebrationem divinorum officiorum complectitur ; non quatenus est humatio in loco sacro. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 245 s.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 241 ss. ; SCHMALZGR., h. t. de sent. excom., n. 402 ss.

signum moeroris Ecclesiae, vel in reparationem gravis injuriae Deo, Ecclesiae aut ejus ministris illatae. Sic, si judaei sacram hostiam profanassent, imperari posset cessatio a divinis, quae certo non infligeretur in poenam delinquentium ; b) interdictum potest esse personale ; non vero cessatio a divinis, quae semper est localis, etc.

2° Etsi de cessatione a divinis nulla expressa mentio habetur in codice, duplex tamen adhuc distingui potest : a) alia *a jure,* quae ipso facto existit quando exsecratur vel violatur ecclesia ; b) alia *ab homine,* quae imponi potest a superiore jurisdictionem habente in foro externo.

ARTICULUS III. — De Suspensione.

§ 1. NATURA ET DIVISIO SUSPENSIONIS.

1779. — I. Natura suspensionis.

Suspensio est poena antiquissima in Ecclesia, eamque promiscue Patres *abstinendi, interdicendi, prohibendi* vocabulis significarunt[1]. Nihilominus vox *suspensio* vario sensu in antiquis canonibus sumitur : a) *latissime,* pro qualibet prohibitione, inhabilitatione seu impedimento exercendi ministerium clericale, v. gr., quando clerico accusato prohibetur illius exercitium, donec se purgaverit ; b) *minus late,* pro poena ecclesiastica quacumque, qua clericus ejusdem usu privatur, v. gr., quando fertur vel ad certum tempus, vel in perpetuum, *ad puniendam culpam mere praeteritam,* et proinde tunc non est medicinalis ; c) *stricte,* pro vera censura[2].

Postremo sensu est « *censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur* » (can. 2278, § 1)[3].

Dicitur 1° *Censura ;* quia infligitur per modum *poenae medicinalis* cum potissimum ad emendationem rei infligatur, non excluso tamen fine vindicativo tutelae ordinis socialis et castigationis rei[4] ; et sic differt a) a depositione et degradatione, quae sunt merae poenae ; b) ab irregularitate, quae non est *per se* poena, sed merum impedimentum, seu inhabilitas, ut infra videbimus. Uti patet ex can. 2255, § 2 et 2298, 2° suspensio potest induere naturam *poenae vindicativae.*

2° *Qua clericus ;* per quod designatur suspensionis *subjectum* esse solum clericum, quoniam clerico tantum propriae sunt potestas et functiones ecclesiasticae ; et in hoc differt a reliquis censuris, quae feruntur in clericos et laicos indiscriminatim. Caeterum, suspensio spectat *omnes* clericos, et non tantum illos, qui sunt in sacris, ut nonnulli docent[5].

---

1. Cf. de historia suspensionis SAEGMUELLER, *o. c.,* p. 793 s., WERNZ, *o. c.,* p. 209 ; COCCHI, *o. c.,* p. 167 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 505.
2. Cf. *Coll. Brugen.,* t. XII, p. 473 s. ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 66, 68 s.
3. Cf. aliam definitionem ap. *Coll. Brug.,* t. XII, p. 472 ss. ; WERNZ, *o. c.,* p. 207.
4. Cf. HOLLWECK, *o. c.,* p. 85, § 22, nota (3).
5. Cf. *Coll. Brug., l. c.,* p. 474.

3° *Prohibetur ;* quia suspensio non privat officio vel beneficio, sed tantum usu sive exercitio eorum ; et sic rursus differt a depositione et degradatione, quae ipsis *officiis* et *beneficiis* ecclesiasticis, imo quantum fieri potest, ipsa potestate ordinis privant sine spe restitutionis.

4° *Officio vel beneficio vel utroque simul ;* per quod designatur suspensionis *objectum* et triplex *genus* suspensionis : *officio,* quatenus suspensio prohibet exercitium potestatis ecclesiasticae adnexae officio ecclesiastico ; *beneficio,* quatenus prohibet jus utendi fructibus beneficii ; *utroque* quatenus exercitio potestatis ecclesiasticae et fructibus beneficialibus privat.

Quamvis enim aliae censurae iisdem ex parte bonis privent, quibus privat suspensio, *diversa tamen ratione* id locum habet. Excommunicatio quidem privat aliquem potestate et functionibus ecclesiasticis, sed propter communionem cum reliquis fidelibus, a qua excommunicatus repellitur ; suspensio vero eam adimit quatenus exercentur ratione officii. Interdictum autem privat clericos usu activo rerum sacrarum, sed quatenus omnibus fidelibus est communis ; suspensio vero illo privat, quatenus et quia dependet ab officio.

Aliis praeterea modis differt suspensio ab excommunicatione : haec enim ferri nequit in communitatem, et omnes suos effectus causat indivisibiliter, excommunicatum excludendo a corpore Ecclesiae ; illa vero ferri potest in communitatem sumptam sive *collective,* id est, consideratam secundum quod est corpus quoddam morale [1], sive *distributive,* id est, in communitatis membra personaliter considerata ; cumque suspensum non excludat a coetu clericorum [2], effectus suos potest causare *divisibiliter* (can. 2278, § 2) juxta vim aut formam legis vel sententiae suspendentis. Tandem suspensio privat minoribus bonis, relinquit vero usum passivum sacramentorum et divinorum officiorum et sepulturam ecclesiasticam [3].

1780. — II. Divisio suspensionis.

Praetermissis divisionibus suspensionis, quae censuris communes sunt [4], suspensio dividitur 1° *ratione objecti* in triplicem speciem : ab *officio* scilicet, a *beneficio* et ab *utroque.*

2° *Ratione ambitus* in generalem et specialem : illa tum officium tum beneficium complectitur ideoque privat clericum usu cujuslibet potestatis sive ordinis sive jurisdictionis, nec non jure percipiendi fructus beneficii ; haec aut officium aut beneficium complectitur, et consequenter omnes et solos effectus unius alteriusve speciei comprehendit.

Porro suspensio specialis est *totalis* vel *partialis,* prout omnes effectus unius speciei complectitur, vel certos tantum ac definitos [5].

---

1. Quo casu rationem cujusdam privationis habet.
2. Cf. HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 68.
3. Cf. LEFEBVRE, *De censuris,* disp. IV, q. 1 et 2, p. 218 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 66 s. ; *Coll. Brug., l. c. ;* WERNZ, *o.* et *l. c.,* coll., nota (353). — Quodsi suspensio privat receptione ordinis est in quantum haec pendet ab ordine prius suscepto.
4. Cf. supra, n. 1708 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 497.
5. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 497.

§ 2. EFFECTUS SUSPENSIONIS.

1781. — Praenotanda. 1° Accurate et stricte expendendi sunt termini quibus lata est suspensio ut de ejus effectibus judicium feratur. Censura id tantum efficit quod significat (can. 2278, § 2).

2° Effectus suspensionis alii sunt *speciales* et unicuique suspensioni proprii ; alii omni suspensioni *communes*.

1782. — I. **Effectus speciales** suspensionis varii sunt pro variis suspensionis speciebus.

1° In suspensione *generaliter lata* sive a jure sive ab homine « comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus hujus articuli enumerantur » (can. 2278, § 2), proin effectus tam suspensionis ab officio, quam suspensionis a beneficio cumulat.

2° *Suspensio ab officio* fertur aut *simpliciter*, nulla adjecta limitatione, aut *partialiter*, determinate ad aliquam materiam.

Si prius, est suspensio *totalis ab officio*, et proinde « vetat omnem actum tum potestatis ordinis et jurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii » (can. 2279, § 1). Hinc parochus ab officio suspensus nec missam celebrare, nec praedicare, nec officiis praeesse, nec sacramenta ministrare, nec bona ecclesiae administrare potest.

Si posterius, est suspensio *partialis ab officio*, ideoque privat ea tantum parte potestatis, quae in lege, vel statuto, vel mandato aut sententia exprimitur. Hinc :

a) « *Suspensio a jurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis jurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae » (can. 2279, § 2, 1°).

Inde parochus nequit dispensare in casibus particularibus a lege jejunii et abstinentiae, audire confessiones. Potest autem administrare Baptismum, Viaticum, Extremam Unctionem, assistere Matrimoniis [1], quia hi sunt actus administrationis spiritualis, qui in can. 2279, § 1 clare distinguuntur ab actibus jurisdictionis [2].

b) *Suspensio a divinis* vetat « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » (*ibid.*, n. 2°) [3].

---

1. Invalide assistit parochus suspensus post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam, ex. can. 1095, § 1, n. 1.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 499, cum plerisque.
3. Cf. quoad sensum quem disciplina codici anterior huic suspensioni tribuebat. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1427.

Sacra ordinatione soli ordines majores conferuntur. *Privilegio* sacerdos expers caracteris episcopalis potest confirmationem conferre ; Praefectus Apostolicus etiam ordines minores.

c) *Suspensio ab ordinibus* vetat « omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem » (*ibid.*, 3°).

Qua suspensione comprehenduntur etiam *ordines minores*. Sunt qui excipiunt actus ordinum minorum, quos etiam laici exercent. Quod verum est si suspensus eos ut laicus exerceat [1].

d) *Suspensio a sacris ordinibus* vetat « omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem *in sacris* » (*ibid.*, 4°) [2].

e) *Suspensio a certo et definito ordine exercendo* vetat « omnem actum ordinis designati ; suspensus autem prohibetur insuper *eumdem* ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere » (*ibid.*, 5°).

Suspensus tamen ab ordine superiori non est idcirco suspensus ab inferiori ; nec suspensus ab ordine inferiori intelligitur suspensus a superiori, nisi actus ordinis superioris includat exercitium ordinis inferioris. Quare suspensus ab ordine sacerdotali potest exercere munus diaconi ; suspensus a diaconatu, potest exercere actus sacerdotii, in quibus non continentur actus diaconatus, qualiter continetur in decantatione Missae [3].

f) *Suspensio a certo et definito ordine conferendo* vetat « *ipsum* ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem » (*ibid.*, 6°).

g) *Suspensio a certo et definito ministerio*, ex. gr., audiendi confessiones, vel a certo et definito *officio*, ex. gr., cum cura animarum, vetat « omnem actum ejusdem ministerii vel officii » (*ibid.*, 7°).

Hinc parochus suspensus ab officio paroeciali, nullum actum ministerii paroecialis exercere potest [4].

h) *Suspensio ab ordine pontificali* vetat « omnem actum potestatis ordinis episcopalis » (*ibid.*, 8°) ; libero ergo manente usu ordinis sacerdotalis, et usu jurisdictionis.

i) *Suspensio a pontificalibus* vetat « exercitium actuum pontificalium ad normam can. 337, § 2 » (*ibid.*, 9°). Prohibetur ergo exercitium illarum functionum, quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia,

---

1. Cf. *Il monit. eccles.*, 1913-1914, t. XXV, p. 370 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 499.
2. Cf. CAPPELLO, *o.* et *l. c.* Haec suspensio sicuti et duae praecedentes respicit etiam ordines conferendos. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 254.
3. Cf. SCHMALZGR., h. t., n. 292 s. ; WERNZ, *o. c.*, p. 216 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 72.
4. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 500.

i. e., baculum et mitram ; tales sunt collatio ordinum majorum, consecratio altarium et ecclesiarum, etc. [1].

3° « *Suspensio a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem jure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et aliis tribuat » (can. 2280, § 1).

Nomine fructuum beneficii veniunt omnes reditus temporales ex beneficio ad normam canonis 1410 [2]. Sed notandum est omnia bona quae ibidem enumerantur dotem beneficii non necessario constituere, sed eam tantummodo juxta adjuncta et jus regionis posse constituere. Proinde in singulis regionibus videndum est quaenam illorum bonorum taxative destinentur ad constituendam dotem ita ut computari debeant inter fructus beneficiales quibus priventur suspensi [3].

Etiam fructibus ad honestam sustentationem necessariis privatur suspensus, si, ut censura propter contumaciam lata fuerit suspensio, a qua potest reus sese liberare resipiscendo.

« Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus » (can. 2280, § 2). Qui a beneficio *occulte* suspenditur, non debet cum propria infamia reditus Episcopo tradere, sed eos sive fabricae beneficii sive pauperibus dare [4]. Suspensus potest eas ex fructibus deducere impensas, vectigalia, onera impleta vel adimplenda, quorum solutio inter obligationes administrationis venit.

1783. — II. **Effectus communes.** Praeter illos effectus singulis suspensionibus proprios, dantur effectus qui potius communes dici possunt, nempe sequentes :

1° Suspensio *ab ordine* ubique terrarum tenet suspensum, cum potestas ordinis statui personae cohaereat ; dum suspensio *a jurisdictione* non urget extra territorium suspendentis [5].

2° « Suspensio *generaliter lata* vel suspensio ab *officio* vel *beneficio* afficit *omnia* officia aut beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat » (can. 2281). « Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur » (can. 2282). Ordinarius enim loci nequit extra diocesim potestatem suam exercere. Hae praescriptiones intelli-

---

1. *Ibid.* ; COCCHI, *o. c.*, p. 175.
2. Cf. supra n. 1394.
3. Apud nos reditus beneficiales intelliguntur pensiones quae a gubernio solvuntur Episcopis, canonicis et parochis. Cf. supra, n. 1397.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 484.
5. CAPPELLO, *o. c.*, n. 502.

gendae sunt de suspensione *ab homine,* et de suspensione latae sententiae *jure particulari* statuta.

Contra « suspensio latae sententiae, *jure communi* irrogata, afficit omnia officia in quacumque dioecesi possideantur » *(ibid.).*

3° Suspensus [1] prohibetur a) jure eligendi, praesentandi, nominandi ; b) nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia ; c) nequit promoveri ad ordines. Si intervenit sententia declaratoria vel condemnatoria, actus prohibiti sub a) et b) sum *invalidi ;* praeterea hujusmodi suspensus nequit ullam gratiam pontificiam *valide* consequi, nisi in pontificio rescripto de suspensione fiat mentio (can. 2283, 2265) [2].

4° Si incursa fuerit censura suspensionis quae vetat administrationem sacramentorum, ut suspensio generaliter lata, suspensio ab officio, a divinis, a sacris ordinibus, suspensus nequit *licite* Sacramenta administrare. Fideles vero possunt, ex quavis justa causa Sacramenta et Sacramentalia petere ab hujusmodi suspenso, maxime si desint alii ministri ; quo in casu suspensus sic requisitus potest eadem licite ministrare quin teneatur causam a requirente percontari ; at, si agatur de suspenso per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, fideles in solo mortis periculo possunt ab eo petere absolutionem sacramentalem et, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia (can. 2284 ; 2261) [3].

5° Si incursa fuerit censura suspensionis quae prohibet *actum jurisdictionis* in foro seu interno seu externo, actus est *invalidus,* ex. gr., absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria *aut* si Superior expresse declaret se ipsam jurisdictionis potestatem revocare ; secus est *illicitus* tantum nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam can. 2261, § 2 [4] (can. 2284).

6° « Si communitas seu collegium clericorum delictum commiserit, suspensio ferri potest vel in singulas personas delinquentes vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem. a) Si primum serventur hujus articuli canones [5] ; b) Si alterum commu-

---

1. Auctores intelligunt communiter hanc praescriptionem de omni suspensione sive generali sive particulari, sive a jure sive ab homine feratur. Sed facit difficultatem can. 2279 ubi inter effectus partialis suspensionis memoratur etiam applicatio hujus effectus communis. An intelligendum est hoc praescriptum de suspensione *generaliter lata,* ut ante codicem proponebat WERNZ, *o. c.,* p. 216 ? An prohibitio juris eligendi et obtinendi dignitates etc. consequitur suspensionem ab officio aut a beneficio, et prohibitio recipiendi ordines suspensionem a potestate ordinis, uti fere proponit BLAT, *o. c.,* p. 164 s. ?
2. Cf. etiam can. 167, § 1, n. 3, § 2 ; 1470, § 4.
3. Cf. supra n. 1758.
4. *Ibid.*
5. Juxta specialitatem irrogatae censurae.

nitas prohibetur exercitio jurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt [1] ; c) Si tertium, effectus cumulantur » (can. 2285) [2].

§ 3. DE VIOLATIONE SUSPENSIONIS.

1784. — 1° Is qui violat censuram exercendo actum suspensione prohibitum *graviter* peccat, ad normam can. 2283 et 2265, nisi excusetur ob ignorantiam, metum gravem vel parvitatem materiae, aut nisi adsit causa quae actum ei licitum faciat.

2° Qui scienter exercet actum ordinis sacri reservati eis qui in sacris constituti sunt, contrahit ipso facto irregularitatem ex delicto (can. 985, n. 7) [3].

3° Clericus qui per semestre in censura suspensionis perseveraverit, et graviter monitus, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privandus est beneficiis *aut* officiis, si qua in Ecclesia habeat (can. 2340, § 2).

§ 4. DE CESSATIONE SUSPENSIONIS.

1785. — 1° A suspensione improprie dicta, nempe lata per modum *poenae* ad tempus determinatum, vel expresse in perpetuum, vel ad beneplacitum superioris, non potest simplex confessarius absolvere ; quia cum non sit censura stricte dicta, sed merae poenae rationem habeat, tollitur dumtaxat vel per temporis expirationem, vel per dispensationem ferentis, superioris, successoris aut delegati (can. 2236, § 1 ; 2289) [4].

2° Suspensio in communitatem irrogata, in foro tantum *externo* relaxari potest, et ab eo qui habet jurisdictionem in hoc foro [5].

3° Suspensio quae habet rationem *censurae*, tollitur tantum *absolutione*. Ad potestatem et ad modum absolvendi quod spectat, sive suspensio sit *a jure* aut *ab homine*, sive sit *reservata* sive *non reservata*, recolenda sunt quae supra n. 1744 ss. sunt exposita.

TITULUS IX.

DE POENIS VINDICATIVIS.

Ordo codicis. Post traditas in introductione notiones generales de poenis vindicativis (can. 2286-2290), codex agit in 1° capite de poenis vindicativis communibus seu quae respiciunt omnes fideles (can. 2291-2297), et in capite 2° de peculiaribus clericorum poenis vindicativis (can. 2298-2305) [6].

1. Etiam quoad communitatem, effectus suspensionis separari possunt.
2. Cf. supra n. 1773 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 503.
3. Sive agatur de suspensione vim censurae habente, sive de suspensione in poenam vindicativam a jure saltem lata.
4. Quomodo in casibus urgentioribus sit consulendum poenitenti, dicetur infra, n. 1787, ad can. 2290.
5. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 504.
6. Notae historicae traduntur a WERNZ, *o. c.*, p. 98 s. ; COCCHI, *o. c.*, p. 185 s.

NOTIONES GENERALES.

1786. — I. **Notio poenae vindicativae.** « Poenae vindicativae illae sunt quae *directe* ad delicti expiationem tendunt ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat » (can. 2286). Juvat hic transcribere explicationis causa definitionem poenae vindicativae quam tradit Wernz [1] : « Est malum privationis vel passionis fideli delinquenti *principaliter* in ultionem delicti a publica auctoritate juste inflictum, ad tuendum ordinem socialem Ecclesiae et *secundario* quoque ad emendationem delinquentis. »

Inde facili de negotio deduci potest quomodo distinguatur poena vindicativa a poena medicinali, nempe fine, modo quo cessat, remedio contra inflictam poenam et contra denegatam remissionem [2]

1787. — II. **Principia generalia.**

1° *Quoad appellationem et recursum.* « Ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus in suspensivo, nisi aliud expresse in jure caveatur » (can. 2287) [3]. Appellatio datur cum poena inflicta est per sententiam judicialem, recursus cum inflicta est per decretum aut praeceptum particulare.

2° *Quoad condemnationem suspensivam* [4]. « Exceptis poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii, et nisi urgeat necessitas reparandi scandalum, prudentiae judicis remittitur, si reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit, poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae exsecutionem suspendere, ea tamen conditione ut, si reus intra proximum triennium aliud delictum ejusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat » (can. 2288). Circa quam dispositionem animadvertendum est :

a) Excipiuntur α) poenae gravissimae degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii quae non inferuntur nisi ob gravissima delicta et exsecutionem poenae omnino exigunt. Quae poenae raro ob primum delictum inferuntur, sed fere semper ob protractum post monitionem delictum

---

1. *O. c.*, p. 98.
2. Cf. supra n. 1708, 1725 ; SOLE, *o. c.*, n. 265 ss.
3. Principium contrarium valet si agatur de censura, cf. can. 2243, § 1, supra n. 1735. Ratio discriminis expetenda est ex diversitate finis : censura enim, utpote ad correctionem delinquentis ordinata expetit ne differatur ; contra poena vindicativa quae ad delicti expiationem tendit, semper obtinere poterit suum scopum, inde melius est ut pendente appellatione aut recursu, differatur ne poena injusta infligatur irreparabiliter. Cf. BLAT, *o. c.*, p. 170.
4. Vocatur condemnatio conditionalis in codicibus poenalibus civilibus.

aut quia reus obsorduit in censura vel alia poena [1]. Caeterum hoc in casu vix non verificatur secunda exceptio nempe β) et nisi urgeat necessitas reparandi scandalum.

b) Prudentiae judicis relinquitur exsecutionem suspendere poenae *ordinariae per sententiam condemnatoriam* inflictae, non vero poenae l. s., etiam post sententiam declaratoriam incursae. Poenae *ordinariae* opponuntur poenis determinatis adauctis quando « extraordinaria adjuncta id exigunt » (can. 2223, § 1) [2]. Remissionem poenarum extraordinariarum non concedere valet judex ob necessitatem reparandi scandalum.

c) Si exsecutione poenae suspensa, reus per triennium non deliquerit exsecutio poenae exstinguitur. Si elapsis tribus annis committitur novum delictum, prius non reviviscit, sed reus ut recidivus graviori potest poena mulctari ad normam can. 2208.

3° *Quoad cessationem poenae vindicativae.*

a) Poena vindicativa finitur α) ejus *expiatione*, nempe transacto tempore statuto pro duratione poenae ; β) *dispensatione* concessa ab eo qui legitimam habet dispensandi potestatem, ad normam can. 2236, nempe ab eo qui poenam tulit, aut ab ejus successore, Superiore, aut ab eo qui potestatem habet ex jure vel per delegationem (can. 2289).

b) « *In casibus occultis urgentioribus*, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, *quilibet confessarius* potest *in foro sacramentali* obligationem servandae poenae *suspendere*, injuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam *et* per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi ejus mandatis. Et si *in aliquo casu extraordinario* hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3 [3] » (can. 2290). Can. 2290 analogus est canoni 2254 quo, servatis servandis, facultas datur cuilibet confessario *absolvendi* in casibus urgentioribus a censuris latae sententiae quomodocumque reservatis. Pleraeque explicationes ad can. 2254 traditae [4] in hac materia poenarum vindicativarum applicandae veniunt. Notandum est tamen quod in casibus urgentioribus respi-

---

1. Cf. can. 2379 ; 2388 ; 2394, 2° ; 2401, etc. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 490.

2. BLAT, *o. c.*, p. 170. SALUCCI, *o. c.*, p. 298 dicit extraordinarias poenas arbitrarias, quarum taxatio pendet ab arbitrio judicis, juxta adjuncta personarum et rerum.

3. Nempe : injunctis de jure injungendis, imposita congrua poenitentia et satisfactione, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus ab eodem confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem praebuerit, in eamdem poenam reincidat.

4. Supra n. 1748.

cientibus poenam vindicativam confessarius *suspendat* tantummodo sub conditione obligationem poenae observandae, non vero ab ea *dispenset*, ita ut non impleto recursus onere intra praefinitum terminum — nisi tamen recursus sine gravi incommodo fieri nequeat — poena non reviviscat sed eadem remaneat.

Jam ex praescripto can. 2232, § 1 ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens *excusatur*, quoties eam servare sine infamia nequit. Sed in hoc habetur beneficium suspensionis poenae observandae ex can. 2990, quod non tantummodo delinquens in singulis casibus urgentis infamiae excusetur, sed quod post concessam suspensionem, in quocumque casu, licet non urgenti, possit munere suo fungi [1].

Si aliquando delinquens, in casu can. 2990, invenire non possit confessarium et urgeat periculum infamiae vel scandali, potest tuta conscientia uti can. 2232, cavendo ut eliciat actum contritionis perfectae ut non tantum *valide* sed etiam *licite* agat [2].

CAPUT I.

DE POENIS VINDICATIVIS COMMUNIBUS.

1788. — I. Elenchus poenarum vindicativarum communium.

« Poenae vindicativae quae *omnes fideles* pro delictorum gravitate afficere possunt, in Ecclesia praesertim [3] sunt :

1° Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;

2° Interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris ;

3° Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis ;

4° Infamia juris ;

5° Privatio sepulturae ecclesiasticae, ad normam can. 1240, § 1 ;

6° Privatio Sacramentalium ;

7° Privatio vel suspensio ad tempus pensionis quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiae solvitur, vel alius juris seu privilegii ecclesiastici ;

8° Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis ;

9° Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quae statum clericalem non requirant, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos ;

---

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 491 ; SALUCCI, *o. c.*, p. 301 s.
2. SALUCCI, *o. c.*, p. 302.
3. Enumeratio ergo est tantum demonstrativa.

10° Privatio vel suspensio ad tempus muneris, facultatis vel gratiae jam obtentae ;

11° Privatio juris praecedentiae vel vocis activae et passivae vel juris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit.

12° Mulcta pecuniaria (can. 2291).

Codex speciales praescriptiones dein tradit circa quatuor poenas, nempe : poenalem suppressionem aut translationem sedis episcopalis aut paroecialis ; infamiam juris, inhabilitatem et mulctas pecuniarias.

1789. — II. « **Poenalis suppressio aut translatio sedis** *episcopalis* est Romano Pontifici reservata ; sedis autem *paroecialis,* a locorum Ordinariis decerni nequit nisi cum consilio Capituli » (can. 2292).

Ex can. 1421, *translatio* beneficii habetur cum beneficii sedes de alio in alium locum deducitur ; suppressio, cum prorsus exstinguitur. Poenalis translatio aut suppressio fit in expiationem delicti inobedientiae, resistentiae aliusve, cujus rea sit communitas. Poenalis translatio aut suppressio *sedis episcopalis* est causa reservata Romano Pontifici consequenter ad can. 248, § 3 ; sedis vero paroecialis Ordinariis locorum consequenter ad can. 1428. Consilium Capituli est expetendum *ad valorem.*

1790. — III. **Infamia juris.**

1° *Notio.* Infamia est privatio vel diminutio famae, seu bonae aestimationis de alterius excellentia.

2° *Divisio.* « Infamia est vel *juris* vel *facti* » (can. 2293, § 1).

a) « Infamia *juris* illa est quae casibus *jure communi* expressis statuitur » (can. 2293, § 2). Oritur proin directe et immediate ex dispositione legis, ob delictum cui ex jure communi aut *ipso facto* absque ulla sententia declaratoria etiam in casu delicti occulti [1], aut *per sententiam* judicis condemnatoriam poena vindicativa infamiae est inflicta [2].

Casus infamiae l. s. in codice expressae recensentur in can. 2320 ; 2328 ; 2343, § 1, n. 2, § 2, n. 2 ; 2351, § 2 ; 2356 ; 2357, § 1 ; quinam infames sint declarandi statuitur in can. 2314, § 1, n. 2 ; 2359, § 2. Sola infamia *juris* est vera poena.

b) « Infamia *facti* contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo judicium spectat ad Ordinarium » (can. 2293, § 3).

---

1. Cf. can. 2232, § 1.

2. Infamia juris canonici e condemnatione etiam ad poenam infamantem a *judice laico* non oritur, nisi jus commune ecclesiasticum infamiam pro casu expresse statuerit, uti in can. 2354, § 2. Haec condemnatio adducere tamen potest infamiam *facti ;* sicuti condemnatio ad poenam ecclesiasticam *infamantem,* uti degradationem, cf. tamen SOLE, *o. c.,* n. 274.

Nota. « Neutra afficit delinquentis consanguineos aut affines, firmo praescripto can. 2147, § 2, n. 3 [1] » (*ibid.*, § 4).

3° *Effectus infamiae.*

a) « Qui infamia *juris* laborat, non solum est irregularis ad normam can. 984, n. 5, sed insuper est *inhabilis* ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium juris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo » (can. 2294, § 1).

Quare *collatio* beneficii, officii, etc., *exercitium* actus legitimi ecclesiastici sunt *nullius valoris ;* at beneficia, pensiones, etc. prius habita non amittuntur ipso facto sed post sententiam, ex can. 2296, § 2 [2].

b) « Qui laborat infamia *facti,* repelli debet tum a recipiendis ordinibus ad normam can. 987, n. 7, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis » (can. 2294, § 2).

Maximum discrimen quod intercedit inter effectus utriusque infamiae, est *validitas* actuum quos posuerit infamis *facto,* et *validitas* collationis beneficii, officii, etc. Praefati actus et praedicta collatio irritari poterunt, imo et debebunt statim ac de infamia constabit.

4° *Cessatio infamiae.* « Infamia *juris* desinit *sola dispensatione* a Sede Apostolica concessa ; infamia *facti* cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adjunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuerit, prudenti Ordinarii judicio, recuperata » (can. 2295) [3].

1791. — IV. **Inhabilitas.**

Inhabilitas poenalis est poena gravissima qua quis ob aliquod crimen inhabilis et incapax jure ecclesiastico redditur muniis, officiis, juribus, privilegiis, gratiis ecclesiasticis [4] assequendis.

« Si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas *jure communi* [5] statuitur, inhabilitatis poenam infligere una Sedes Apostolica potest » (can. 2296, § 1) [6].

---

1. Quo statuitur bonae existimationis amissionem quae oriatur ex facto consanguineorum quibuscum parochus vivit, esse causam sufficientem ad amovendum parochum inamovibilem. Cf. etiam can. 987, 1°. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 494.
2. COCCHI, *o. c.*, p. 192. Applicationes hujus praescripti can. 2294, § 1 enumerantur in indice analytico-alphabetico codicis. Cf. etiam COCCHI, *l. c.*
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 495.
4. Cf. exempla, *ibid.*, n. 492.
5. V. gr., conditiones subjecti ad varia munia ecclesiastica.
6. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 280.

« Jura jam *quaesita* non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis » (*ibid.*, § 2).

1792. — IV. **Mulctae pecuniariae.** « Mulctas pecuniarias jure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem jure praefinita, aliasque jure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis » (can. 2297) [1].

CAPUT II.

DE PECULIARIBUS CLERICORUM POENIS VINDICATIVIS.

1793. — I. **Elenchus hujusmodi poenarum.**

« Poenae vindicativae quae clericis tantum applicantur, sunt :

1° Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia ;

2° Suspensio in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris ;

3° Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius [2] ;

4° Privatio alicujus juris cum beneficio vel officio conjuncti [3] ;

5° Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum [4] ;

6° Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione ;

7° Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio ;

8° Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio ;

10° Depositio ;

11° Privatio perpetua habitus ecclesiastici ;

12° Degradatio » (can. 2298).

Codex iterum specialiter agit de aliquibus harum poenis, signanter : de privatione, prohibitione deferendi habitum ecclesiasticum, prohibitione vel praescriptione commorandi in certo loco, depositione et degradatione. De singulis breviter.

1794. — II. **Privatio poenalis beneficii vel officii** [5].

1° « Si clericus beneficium *inamovibile* obtineat, eodem in poenam

---

1. Cf. *ibid.*, n. 282 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 493.

2. Haec prorsus differt a translatione oeconomica de qua supra n. 862.

3. V. gr., jus administrandi bona, fruendi reditibus, etc.

4. Verisimilius applicanda hic venit praescriptio can. 2296. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 497.

5. Omnino consulendus est index analytico-alphabeticus codicis v° Privatio, ut habeatur conspectus completus hujus materiae.

privari potest solum in casibus jure expressis ; si *amovibile,* etiam ob rationabiles causas » (can. 2299, § 1).

Rationabiles causae privationis *poenalis* sunt signanter inter enumeratas can. 2147, § 2 quae vera delicta constituunt [2].

2° « Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem conjuncto, ex. gr., ministerio praedicandi, confessiones audiendi, etc., prohiberi *ad certum tempus* [3] » (*ibid.*, § 2).

3° « Nequit clericus privari beneficio aut pensione *cujus titulo ordinatus fuit,* nisi aliunde ejus honestae sustentationi provideatur, salvo praescripto can. 2303, 2304 » (*ibid.*, § 3). Casus exceptus est ille quo quis delictum commiserit quod poena depositionis puniendum sit, de quo infra dicetur.

1795. — II. **Privatio ad tempus habitus ecclesiastici** [4].

« Si clericus [5] gravia scandala praebeat et monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri, potest interim privari jure deferendi habitum ecclesiasticum ; quae privatio, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem [6] privilegiorum clericalium » (can. 2300).

1796. — III. **Praescriptio vel prohibitio poenalis commorandi in certo loco** [7].

1° « Ordinarius nequit praescribere ut clericus certo in loco, *extra fines suae dioecesis,* commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci, vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore ejusdem consentiente » (can. 2301).

2° « Tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa, praesertim si diu duraturae sint, imponantur tantum in casibus gravibus, in quibus, prudenti Ordinarii judicio, eae poenae necessariae sint ad clerici emenda-

---

1. Cf. supra n. 863. Vide etiam can. 192 ; 1948, n. 1 ; 2401 quoad sanctionem contra ipsum qui a beneficio etc. privatus, in ea persistat.
2. Index analytico-alphabeticus enumerat casus quibus clerici *ipso facto* privati sunt beneficiis etc., vel quibus privandi sunt (omittitur can. 2406, § 1), aut privari possunt (omittitur can. 2406, § 2).
3. Quia si fieret in perpetuum, potius deveniendum esset ad privationem totalem poenalem vel administrativam.
4. Cf. exempla ap. *AAS.*, t. XVII, p. 69 s. ; t. XIX, p. 290.
5. Cf. can. 211, § 3, quoad clericos minores.
6. Potius auditur suspensio, ex can. 123. Cf. *AAS.*, t. XIX, p. 290.
7. Cf. de historia hujus poenae, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 107 ss.

tionem aut scandali reparationem » (can. 2302). Proinde regulariter haec poena imponi nequit, nisi postquam aliae poenae mitiores ad emendationem delinquentis obtinendam incassum inflictae fuerunt.

1797. — IV. **Depositio.**

1° Depositio est poena vindicativa quae « firmis *obligationibus* e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secumfert tum suspensionem ab officio, et inhabilitatem ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus » (can. 2303, § 1) [1].

Depositio *differt* a) a privatione beneficii de qua in can. 2299, quia inducit *suspensionem totalem* ab officio, i. e. ab omni actu ordinis et jurisdictionis necne administrationis ex officio competentis ; praeterea secumfert inhabilitatem ad quaecumque beneficia, imo et privationem illorum quae reus habeat, etiam si eorum titulo ordinatus fuerit ; b) a suspensione *generaliter lata,* quia suspensio, etiam si quandoque in perpetuum feratur, privat tantum exercitio ordinis ac officii, et fructibus beneficii ; depositio vero per se semper est perpetua, et privat ipsa radice seu ipso officio, et beneficio ; c) a degradatione, quia depositio non privat jure deferendi habitum ecclesiasticum et privilegiis clericalibus ; degradatio vero praeter effectus proprios privationis inducit perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem [2].

2° *Effectus* privationis facile ex data notione deducuntur. Casu quo clericus privetur officio cujus titulo ordinatus fuerit « si... vere indigeat, Ordinarius *pro sua caritate,* quo meliore modo fieri potest, ei providere curet ; ne cum dedecore statu clericalis mendicare cogatur » (can. 2303, § 2).

3° Poena depositionis gravissima est, ideo « infligi nequit, nisi in casibus jure expressis » (*ibid.,* 3), i. e., propter crimina enormia et valde scandalosa a jure praevisa [3].

Haec poena ob nullum delictum ipso facto incurritur ; quare sola sententia condemnatoria contrahitur, quae tribunali collegiali quinque judicum reservatur (can. 1576, § 1, 2°) [4].

1798. — V. **Privatio perpetua habitus ecclesiastici.**

1° « Si clericus *depositus* non det emendationis signa et praesertim si

---

1. Cf. de depositione et degradatione. KOBER, *Die Deposition u. Degradation nach den Grundsätzen des kirchlichen Rechts historisch-dogmatisch dargestellt,* Tübingen, 1867 ; *Diction. de théol. cath.,* v° déposition et dégradation des clercs ; WERNZ, *o. c.,* t. VI, p. 120 ss.

2. Quoties simpliciter prostat vox *degradatio* in antiquis canonibus, intelligenda est *depositio.* Cf. SOLE, *o. c.,* n. 291 s.

3. Cf. Index analytico-alphabeticus codicis, v° deposito.

4. Cf. COCCHI, *o. c.,* p. 199. — Cf. etiam can. 1948, 1° ; 2237, § 1, 3° ; 2288.

scandalum dare pergat *monitusque* non resipiscat, Ordinarius potest eum *perpetuo* privare jure deferendi habitum ecclesiasticum » (can. 2304, § 1).

2° Haec privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2 de subsidio caritativo quo clerici depositi indigentiae providere curat Ordinarius.

3° Haec privatio reservatur quoque tribunali collegiali quinque judicum.

4° Unica differentia quae intercedit inter depositionem addita poena privationis perpetuae habitus ecclesiastici et inter degradationem est quod haec praeterea inducit reductionem laici ad statum laicalem.

1799. — VI. **Degradatio.** 1° *Notio.* Degradatio est poena « quae in se continet depositionem, privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem » (can. 2305, § 1) [1].

Degradatus non liberatur ab obligationibus coelibatus et castitatis [2], etsi privatus remanet juribus et privilegiis clericalibus.

2° *Divisio.* « Alia est *verbalis* seu *edictalis,* quae sola sententia erogatur, ita tamen ut omnes suos effectus juridicos statim habeat sine ulla exsecutione ; alia *realis,* si serventur sollemnia praescripta in Pontificali Romano » (can. 2305, § 3). Degradatio *verbalis* seu *edictalis* fit et juridice perficitur per sententiam judicialem, qua sollemniter pronuntiatur rei degradatio ; *realis* quae etiam *sollemnis* dicitur est sententiae ita latae sollemnis exsecutio ad normam Pontificalis Romani [3].

a) Degradatio *verbalis* reservatur tribunali collegiali quinque judicum (can. 1576, § 1, 2°) [4].

b) Degradatio *realis* est actus ordinis episcopalis, et ideo ferri non potest, nisi ab Episcopo consecrato. Fieri debet in ecclesia, vel in alio loco sacro, juxta sollemnitates a Pontificali Romano [5] praescriptas. Degradandus adducitur coram Episcopo ejusque assistentibus, indutus sacris vestibus ordinis sui, in manu habens librum, calicem, aliudve instrumentum ordini suo congruum. Episcopus illi aufert gradatim omnia insignia ordinum, incipiendo ab eo, quod in ultima ordinatione ultimo loco suscepit,

---

1. Cf. REIFFENSTUEL, *o. c.*, l. V, tit. 37, n. 32 ; WERNZ, *o. c.*, p. 134 ss. Cf. supra n. 483 ss.

2. Cf. can. 213, § 2 ; 214. Num degradatus teneatur obligatione recitandi privatim saltem horas canonicas disputatur. Affirmant WERNZ, *o. c.*, p. 144 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 499. Hanc obligationem praetermittit BLAT, *o. c.*, p. 186 ; rationem dubitandi certe probabilem adducit COCCHI, ex can. cit. 213, § 2. Cf. declaratio S. Off., 12 jul. 1916, *AAS.*, t. VIII, p. 316.

3. Distinctio inter degradationem verbalem et realem introducta fuit ab Innocentio III et a Bonifacio VIII, cf. c. 27, X, V, 40 ; c. 2, in VI, V, 9.

4. Cf. quoad anteriorem disciplinam, DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1516.

5. P. III, *Ordo suspensionis,* etc. ; c. 2, in VI, V, 9 ; Conc. Trid., Sess. XIII, c. 4, de ref.

usque ad superpelliceum, quod cum prima tonsura acceperat. Tum raditur caput, ut nullum accepti clericatus signum appareat, et subjungit Episcopus : *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ac nostra, auferimus tibi habitum clericalem,* et deponimus, degradamus, spoliamus et exuimus te omni ordine, beneficio, et privilegio clericali.

3° Degradatio, quae omnium gravissima poena est « ferri solummodo potest propter delictum in jure expressum, aut, si clericus, jam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum per annum praebere pergat » (can. 2305, § 2) [1].

4° Poena degradationis remitti nequit ab Ordinario sed tantum a S. Sede (can. 2237, § 1, 3°).

TITULUS X.

DE REMEDIIS POENALIBUS ET POENITENTIIS.

Connexio et divisio materiae. Jus poenale optime complet titulus X *de remediis poenalibus* quae praeprimis sunt media praecavendi delicta, et *de poenitentiis* quae adhibentur ut delinquens poenam quam ob delictum meretur effugiat aut ut poenae contractae remissionem recipiat.

Hic titulus duobus capitibus absolvitur : primum agit de remediis poenalibus (can. 2306-2311), haec enumerans, horumque naturam et modum applicationis determinans ; aliud (can. 2312-2313) tractat de poenitentiis, harum scopum et applicationem decernens et praecipuas enumerans.

CAPUT I.

DE REMEDIIS POENALIBUS.

Praenotandum. 1° Conc. Trid. [2] jam horum remediorum usum implicite commendavit. Maxime S. Congr. EE. et Reg., instructione sua 11 jun. 1880 [3], hortata est Ordinarios ut remediis uterentur canonicis ad ordinis perturbationes praecavendas et ad lapsos ad resipiscentiam revocandos, et praecipua illa remedia enumeravit, sc. vigilantiam, exercitia spiritualia, monitiones et praecepta. Praescripta hujus instructionis reassumpsit S. Congr. de P. F., instructione a. 1883 [4]. Materiam de remediis poenalibus et poenitentiis [5] clarius et modo magis completo proponit Codex [6].

1. Degradatio in nullo canone tanquam poena l. s. occurrit. Cf. *index analytico-alphabeticus cod.*, v° *Degradatio,* ubi canones enumerantur quibus notantur crimina poena degradationis punienda.

2. Sess. XIII, c. 1, de ref.

3. Cf. *Coll. d. P. F.*, II, n. 1534. Commentarium hujus instructionis circa processum criminalem summarium in causis criminalibus et disciplinaribus clericorum invenies apud DROSTE, *Kirchliches Disciplinar- und Kriminalverfahren gegen Geistliche,* Paderborn, 1882 ; SMITH, *The new procedure in criminal and disciplinary causes of Ecclesiastics,* New-York, 1888 ; GENNARI, *Sulla privazione del beneficio ecclesiastico* [2], Roma, 1905 ; HEINER, *Der kirchl. Strafprozess,* etc.

4. Cf. *Coll. de P. F.*, II, n. 1586 ; *ASS.*, t. XXIV, p. 385 ss.

5. Notant VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 500 eadem opera sive tanquam remedia poenalia sive tanquam poenitentias praescribi posse.

6. Cf. *La cien. tom.*, 1927, t. XXXVI, p. 118 ss.

1800. — I. **Notio.** Remedia poenalia sunt : vel *praeventivae* provisiones quibus fideles praeveniuntur a delictis committendis, vel ordinationes *repressivae et medicinales* in poenam peccati quod tamen rationem delicti non habet. *Remedia* vocantur quia fideles praeservare student a delictis, remotis scandali stimulis, occasionibus voluntariis causisque ad delinquendum proximis [1] ; vocantur *poenalia* quia aliquam culpam *externam* praesupponunt eamdemque per aliquam poenalitatem compescere intendunt. Non agitur ergo de adhibendis illis remediis in publica delicta, ipso jure qualificata et poenis determinatis punienda, sed de illis applicandis in leviores transgressiones legis quibus clerici deficerent ab honestate vitae suae vel ab obligationibus officii sui clericalis, et quae natae sunt enervare disciplinam ecclesiasticam, scandalum movere in populo, aut ad proprie dicta impellere crimina [2].

1801. — II. **Remediorum poenalium enumeratio.** « Remedia poenalia sunt [3] : 1° Monitio ; 2° Correptio ; 3° Praeceptum ; 4° Vigilantia » (can. 2306).

Porro Ordinariis munus incumbit recensita remedia pro sua prudentia ac conscientia adhibendi, prout rerum et adjunctorum natura et canones ecclesiastici exigunt.

1802. — III. **Quandonam locus sit monitioni.**

Monitio canonica est actus auctoritatis publicae quo fidelem qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem gravis suspicio cadit delicti commissi, de necessitate aliquid faciendi vel omittendi, per se vel per interpositam personam moneat (can. 2307). Proinde monitio quae vocatur *canonica,* ideo quod procedat ab auctoritate publica Ordinarii, adhiberi potest adversus eum qui versatur in *proxima occasione* delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, *gravis suspicio* cadit delicti commissi, a qua sese purgare accusatus non valeat.

1803. — IV. **Quandonam locus sit correptioni.**

Correptio canonica addit monitioni increpationem fitque cum ex alicujus conversatione delictuosa interveniat ratio boni animarum aut boni communis ; etenim disponit can. 2308 : « Si ex alicujus conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni,

---

1. Cf. art. 2 instructionis S. C. EE. et Reg., a. 1880.
2. HEINER, *o. c.*, p. 91 ; COCCHI, *o. c.*, p. 205 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 501. Exempli gratia adduci possunt : frequentatio alicujus personae aut domus, carentia scientiae sufficientis, otiositas, negligentia, irreverentia in diversis obeundis officiis, etc.
3. Cf. can. 2313, § 2 ubi dicitur quod Ordinarius addere possit poenitentias poenali remedio monitionis et correptionis.

ab Ordinario per se vel per interpositam personam, etiam per epistolam faciendae, peculiaribus accommodatae conditionibus personae et facti de quo agitur. »

1804. — V. Modus procedendi legitimus in monitione et in correptione.

1° Has provisiones, utpote poenalis indolis, praecedere debet summaria, extrajudicialis et secreta facti *investigatio* et *verificatio* [1], nisi illud sit notorium aut omnino certum ; quae ab Ordinario scriptis est notanda, ut ad ulteriora procedere, quatenus opus sit, valeat et certiorem reddere queat Superiorem in casu legitimi recursus [2]. Ad hanc praeviam facti notitiam procedat Ordinarius sive per se, sive per personam sibi bene visam, via inquisitionis generalis aut specialis [3], juxta diversitatem casuum, curando ut omnibus secrete peractis, provideatur famae inquisiti. Si hac informatione finita, nulla aut levia tantum indicia culpabilitatis praeventi remaneant, vel si ille serio promittat ab incepto abstinere et malum reparare, abstineat ab ulterioribus Ordinarius, et actis quibuscumque in secreto curiae tabulario pro futuro quocumque eventu asservatis, interim vigilet et ad summum clericum incriminatum poenis negativis afficiat [4].

Si vero in praeventum gravis suspicio cadat delicti commissi, a quibus sese purgare non valeat, eum Ordinarius canonice moneat ; si vero ex ejus mala conversatione scandalum aut gravis ordinis perturbatio oriantur adhibeat correptionem.

2°« Tam monitio quam correptio potest esse *publica* vel *secreta* » (can. 2309, § 1), prout efficacior ab Ordinario judicatur.

a) *Secreta* est quae fit inter superiorem et subditum sine testibus [5]. Intelligitur ergo illa qua Ordinarius ut pater benigne monet filium aut ut Superior severe increpat subditum, sine ulla tamen in utroque casu poenae comminatione, ut ille spontanee suae conscientiae consulat, talem personam deserat, scandalum reparet, exercitia spiritualia peragat, etc. Utraque monitio et correptio ab actu judiciali aliena, in forma secreta intimatur, sive per ipsum Ordinarium, sive per litteras, sive per personam interpositam, ita tamen ut de illa « constare debeat ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando » (can. 2309, § 5).

b) Si incriminatus secretam monitionem aut correptionem spernat,

---

1. Cf. can. 2307 ; 2309, § 3.
2. Cf. art. 5 instruct. a. 1880.
3. Cf. supra n. 1627.
4. Conc. Amer. latin., n. 973.
5. « Canonicae monitiones, ait art. 6 instr. a. 1880, fiunt sive in forma paterna et secreta... sive in forma legali... »

aut etiam statim juxta varietatem casuum, Ordinarius adhibeat monitionem aut correptionem *publicam*. « Correptio vel monitio *publica*, fiat vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet » (can. 2309, § 2). Illud remedium, quod ut monitio aut correptio secreta pro scopo habet poenitentiam sponte incitare idemque ac prima praebet objectum, propius jam accedit ad administrationem justitiae ; etenim est aptum *legitimae probationi* [1] de facta monitione aut correptione in casu contumaciae.

3° « Correptio *publica* fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum » (can. 2309, § 3), post diligentem et accuratam inquisitionem circa existentiam et adjuncta violationis legis.

4° Correptio publica est « judicialis, si fiat a judice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem » *(ibid.)* [2]. « Correptio judicialis vel habetur loco poenae, vel fit ad augendam poenam, praecipue si agatur de recidivo » (*ibid.*, § 4). Haec facile intelliguntur, modo prae oculis habeantur can. 2223, § 3, 3° et can. 2224, § 2 [3] ; quorum in primo judex potest : « loco ipsius (sc. poenae), aliquod *remedium poenale* adhibere, aut aliquam poenitentiam injungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens... » ; in altero vero « ...prudenti judicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel *remedio poenali* », utique ad poenam augendam [4].

Saepius tamen occurrit correptio *extrajudicialis*.

5° « Tam correptio quam monitio fieri potest *semel* vel *pluries*, pro Superioris arbitrio et prudentia » (can. 2309, § 6). Imo, ex can. 2310, potest penitus omitti tam monitio quam correptio, si ex eisdem effectum sperare non liceat, et statim deveniri ad *praeceptum*.

1805. — VI. **Praeceptum.**

« Monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat, datur *praeceptum* quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis » (can. 2310).

Ad illud remedium, gravius monitione et correptione prae majore contumacia rei, non est deveniendum nisi adsit plena facti incriminati

1. Sive adsit notarius referens in *acta* textum monitionis aut correptionis, sive adhibeantur testes in testimonium adhibiti remedii, sive Ordinarius scriptis exaratum exhibeat textum monitionis aut correptionis et subscriptionem exigat illius cui facta est, aut alio documento probet eam fuisse intimatam.
2. Cf. can. 1947-1953, vide supra n. 1631 ss.
3. Cf. supra, n. 1712.
4. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 302.

probatio. Cum contineat comminationem poenae ecclesiasticae [1], quam, praefixo termino incurret reus in casu transgressionis, habet vim sententiae condemnatoriae sub conditione suspensiva editae.

Praeceptum dandum est ab Ordinario, excluso tamen Vicario Generali sine mandato speciali ex can. 2220, § 2.

Intimandum est in forma legitima ut de eo constare possit ad normam can. 24, nempe necesse est ut per legitimum documentum aut coram duobus testibus impositum sit [2].

1806. — VII. **Vigilantia** [3].

1° Illa vigilantia diversimode applicari potest juxta adjuncta rerum et personarum : vel erit prohibitio in certo loco comparendi aut commorandi, vigilante v. gr. parocho, vel obligatio in praefinitum locum recedendi ibique remanendi sub vigilantia pii, prudentis et discreti sacerdotis, etc. [4].

2° Quandonam illud remedium *locum habet,* definit can. 2311, § 1 : a) « Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de eo qui in periculo versetur relabendi in idem crimen, eum Ordinarius submittat vigilantiae. » Ut hoc remedium adhibeatur, aiunt Vermeersch-Creusen [5], requiritur aut gravior casus, nam poena est molesta, privationi honoris privationem libertatis addens, aut speciale relabendi in idem crimen periculum, unde necessitas oritur vitandae cujusdam gravis et proximae occasionis peccandi ; b) « Vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos » (*ibid.*, § 2) [6].

1807. — **Nota.** Illa remedia poenalia, impeti possunt per recursum in devolutivo [7].

CAPUT II.

DE POENITENTIIS.

1808. — I. **Notio.** Poenitentia canonica est opus aliquod laboriosum in foro externo a competente Superiore impositum ut delinquens illud sponte suscipiens poenam quam pro delicto meretur effugiat vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat (can. 2312, § 1) [8].

1. Generatim erunt poenitentiae aut poenae ordinariae medicinales quae modum in correctione servandum non excedunt. Si censura ut poena infligatur, observandus est can. 2233, § 2 de praevia monitione.
2. Cf. etiam can. 2309, § 2 ; art. 8 instr. a. 1880.
3. Cf. etiam can. 1946, § 2, 2° ; 1957 ; 2234.
4. Cf. Sole, *o. c.*, n. 303 ; Vermeersch-Creusen, *o. c.*, n. 505.
5. *O.* et *l. c.*
6. Cf. can. 2309, § 4 ; 2234.
7. Cf. Lega, *o. c.*, l. II, vol. IV, p. 361 ; Wernz, *o. c.*, p. 260.
8. Cf. circa historiam poenitentiarum, Cocchi, *o. c.*, p. 210 s.

Dicitur a) *in foro externo a competente Superiore impositum,* ut distinguatur a poenitentia privata quae in foro interno aut poenitentiali praescribitur ;

b) *delinquens,* quia poenitentia imponitur post delictum stricte dictum et certum, dum remedium poenale delictum stricte dictum vel saltem certum antecedit ;

c) *illud sponte suscipiens,* qua acceptatione delinquentis differt poenitentia a poena medicinali aut vindicativa quae applicantur quoque invitis. Exinde tamen nullo modo sequitur reum non posse cogi ad accipiendam poenitentiam sub minis infligendae aut non relaxandae poenae [1].

d) *ut poenam effugiat vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat.* Quibus verbis indicatur finis immediatus poenitentiae. « Sicut enim, ait Sole [2], Superior ad normam can. 2223, § 3, n. 3, potest a poena infligenda *abstinere,* si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit..., ita pariter ex praescripto can. 2312, § 1 potest reum *dispensare* a poena contracta vel *absolvere* a censura incursa (can. 2236, § 1) ob publicam poenitentiam quam reus acceptans, et suam emendationem ostendit et societatem delicto offensam aedificat. » Ita finis remotus poenitentiae est tum solida delinquentis emendatio, tum ordinis scandalo laesi restauratio.

1809. — II. **Divisio.** Poenitentia canonica dividitur in *occultam* et *publicam* prout exsecutio operis poenalis fit clam, vel ita palam ut in cognitionem fidelium devenire possit.

1810. — III. **Impositio poenitentiae.**

Principium est poenitentiam canonicam tum delicto tum praesertim personae et indoli delinquentis attemperandam esse [3]. Unde 1° « Ob delictum aut transgressionem *occultam* nunquam poenitentia *publica* imponatur » (can. 2312, § 2), ne inutiliter laedatur fama delinquentis. Imo ob delictum publicum non est necessario poenitentia publica imponenda, nisi adsit necessitas scandalum reparandi aut efficacius in delinquentis emendationem agendi.

2° « Poenitentiae non tam *secundum quantitatem delicti,* quam *secundum poenitentis contritionem* moderandae sint, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adjunctis » (*ibid.,* § 3). Quod patet attento scopo poenitentiae [4].

3° « Poenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis et correptionis » (can. 2313, § 2).

1811. — IV. « **Praecipuae poenitentiae** sunt praecepta :

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 252.
2. *O. c.,* n. 306.
3. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 506.
4. Cf. Trid., Sess. XIV, c. 8, de poenitentia ; c. 8, X, V, 38.

1° Recitandi determinatas preces ;

2° Peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera ;

3° Servandi peculiare jejunium ;

4° Erogandi eleemosynas in pios usus ;

5° Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies » (can. 2313, § 1).

PARS TERTIA.

DE POENIS IN SINGULA DELICTA.

1812. — Connexio et ordo materiae. 1° Absoluta in prima et secunda parte hujus Libri V tractatione fundamentali de delictis et de poenis tum in genere tum in specie, nunc facile patet aditus ad tertiam partem rite interpretandam, ubi in singula delicta appositae poenae sive vindicativae sive medicinales, sive latae sive ferendae sententiae constituuntur [1].

2° Tota materia in novem titulos distribuitur, quorum quinque priores respiciunt delicta *communia clericis et laicis* [2], quatuor posteriores vero delicta ut plurimum *clericis propria*. Nempe recensentur 1° delicta contra fidem et unitatem Ecclesiae (tit. XI, can. 2314-2319) ; 2° contra religionem (tit. XII, can. 2320-2329) ; 3° contra auctoritates, personas et res ecclesiasticas (tit. XIII, can. 2330-2349) ; 4° contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam et bonos mores (tit. XIV, can. 2350-2359) ; 5° crimen falsi (tit. XV, can. 2360-2363) ; 6° delicta in administratione et susceptione ordinum aliorumque sacramentorum (tit. XVI, can. 2364-2375) ; 7° delicta contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi (tit. XVII, can. 2376-2389) ; 8° delicta in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum (tit. XVIII, can. 2390-2403) ; 9° delicta per abusum potestatis vel officii ecclesiastici (tit. XIX, can. 2404-2414).

Magis juridicum nobis videtur sequi ordinem codicis, ut conspectus habeatur clarus et completus totius juris criminalis Ecclesiae. Quia tamen sacerdotes imprimis *censuras latae sententiae* cognoscere tenentur, de quibus monere, a quibus absolvere aut saltem absolutionem procurare tenentur [3], per modum appendicis harum poenarum elenchum in fine trademus.

PROOEMIUM.

1813. — I. Notae historicae [4]. Hucusque codificatio quaedam completa delictorum et poenarum in foro ecclesiastico, ad modum modernorum codicum criminalium, desiderabatur. Decretum Gratiani a codificatione juris poenalis prorsus alienum est. Liber V Decretalium, licet ad formam codicis criminalis propius accedat, tamen neque *completus* est codex, neque

---

1. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 310.
2. Ordinantur juxta gravitatem peccatorum eorumque oppositionem ad leges et virtutes, ita ut ordo codicis ad ordinem decalogi accedat, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 265.
3. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1305.
4. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 264 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o.* et *l. c.*

sat apto *ordine systematico* compositus. Bulla *in Coena Domini*[1] perfectam enumerationem poenarum non tradebat. Constitutione *Apostolicae Sedis,* 12 oct. 1869, Pius IX, occurrere volens incommodis tum ex censurarum numero, tum ex temporum morumque immutatione profluentibus, completam, authenticam et exclusivam recensionem fieri jussit omnium censurarum latae sententiae. His postea quaedam additae sunt per Bullam *Romanus Pontifex,* 28 aug. 1873, per Constitutionem *Officiorum ac munerum,* 25 jan. 1897, per Constitutionem *Vacante Sede Apostolica,* 25 dec. 1904, per Constitutionem *Pascendi* 8 sept. 1907, etc.

Totam materiam Codex denuo ordinat tradens completam et exclusivam compilationem omnium delictorum et omnium poenarum[2].

II. **Interpretationis principia.**

1° Cum censurae l. s. maxime ex parte a Constitutione *Apostolicae Sedis* depromantur, in his poenis interpretandis quae cum anteriori jure plane concordant, a recepta interpretatione recedendum non est.

2° Quoad applicationem poenarum ad casus particulares, quae supra de poenis et censuris in genere tradita sunt, singulis in casibus particulatim adverti debent, ut de vera et reali poenae incursione rite judicetur ; videlicet, duo semper attendi debent a) num conditiones in ratione *subjecti, causae ac formae* de jure requisitae, revera adsint ; b) nonne delinquens ob ignorantiam, metum, aliamve causam imputabilitatem auferentem aut minuentem, a poena imposita eximi queat.

Nec etiam repetemus quae supra dicta sunt de extensione poenae ad complices, nisi specialis adsit difficultas.

Nota. Casus qui apud nos in praxi occurrunt longius explicabuntur, dum pro aliis ea tantummodo tradentur quae scitu utilia sunt ad inveniendam alibi interpretationem.

TITULUS XI.

DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIAE.

1814. — I. **Apostasia, haeresis, schisma.** 1° « Omnes a christiana fide apostatae et omnes haeretici aut schismatici a) incurrunt ipso facto

---

1. Ita vocatur quia ter in anno et signanter in Coena domini sollemniter praelegebatur fidelibus ut ipsi excommunicationes l. s. Sedi Apostolicae reservatas compartum haberent. Prima quae cognoscitur auctorem habet Urbanum V, a. 1364 et septem casus continet ; ultima est Const. *Pastoralis* Urbani VIII, a. 1627 et viginti excommunicationes complectitur. Ultima vice Bulla praelecta est a. 1769. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 509 ; DE SMET, *Tract. de cas. reserv.*, p. 25.

2. Poenas l. s., quas abrogavit Codex enumerant VERMEERSCH-CREUSEN, *o. et l. c.*, qui etiam notant n. 510 : « in hac dispositione adornanda auctores codicis ordinem ab HOLLWECK, *Die kirchlichen Strafgesetze,* introductum imitati sunt. Cf. etiam WERNZ, *o. c.*, p. 264 ss.

excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ; b) nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur, c) si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt et, firmo praescripto can. 188, n. 4, monitione in cassum praemissa, degradentur » (can. 2314, § 1) [1].

1° **Notiones.** a) Quis sit apostata, haereticus et schismaticus definitur in can. 1325, § 2 [2]. Haereticis vel schismaticis plerumque adnumerandi erunt qui olim vocabantur *eis credentes* nempe qui haereticis vel schismaticis *qua talibus* fidem adhibent, externe assentiendo erroribus ab eis admissis vel propositis, sive in particulari, sive in communi, sive expresse, sive confuse [3]. Ad delictum constituendum requiritur ut apostasia, haeresis, schisma interne concepta aliquo signo exterius, etsi occulte manifestetur. Qui nati sunt in secta haeretica aut schismatica in eaque vivunt, veritate nunquam cognita ac proinde nec rejecta *pertinaciter,* excommunicationi non sunt obnoxii [4]. Ceterum quia delicta haeresis et schismatis *pertinaciam* requirunt, omnis ignorantia, nisi sit affectata, excusat a delicto et a poena.

b) Apostatae, haeretici, et schismatici *insordescentes* in suo delicto, novum delictum committunt. Idem dicendum si hujusmodi delinquentes sectae acatholicae [5] nomen dederint. Etsi probabilior nobis videatur sententia juxta quam agitur hic de quovis coetu religioso in quo apostatae, haeretici aut schismatici coadunantur, respuentes sive solum catholicismum sive etiam christianismum, tamen prohabilis et practice tuta apparet sententia Vermeersch-Creusen [6] qui opinantur sectam acatholicam esse coetum religiosum « qui, etsi christianum nomen retinet, catholicam fidem doctrina vel factis negat. Excludendae sunt ab hoc conceptu *religiones* non christianae, v. g. judaïsmus, manhumedanismus, etc., et societates quae nullam religionem profitentur, ut sunt societates massonum, anarchistarum, etc. »

2° Circa **absolutionem** haec tenenda sunt :

---

1. Cf. art. 1 Const. *Apost. Sed.* ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1440.
2. Cf. supra, n. 1235. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 113 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 208 ss. ; *Dict. de théol. cath.*, v° hérésie ; DE GUIBERT, *La notion d'hérésie dans S. Augustin ;* ap. *Bull. de littér. ecclés. de Toulouse,* 1920, p. 368 ss. ; JONE, *Kirchenaustritt,* ap. *Theol. prak. Quart.-schrift,* 1927, t. LXXX, p. 109 ss. — Qui plene et externe amplectitur *liberalismi* doctrinam seu ejus suprema capita, v. gr., plenam et absolutam independentiam Status ab Ecclesia, vel pejus subjectionem Ecclesiae auctoritati Status, ab haeresi excusari non potest. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 209, nota 7 ; SOLE, *o. c.*, n. 316.
3. Cf. NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 58 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 216.
4. Attamen si ad veram fidem convertantur, ab excommunicatione in foro externo absolvuntur.
5. Cf. *Nederl. kath. stemmen,* 1925, t. XXV, p. 8 ss., de significatione vocis « acatholici » in codice.
6. *O. c.*, n. 513. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 227.

a) « Absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in *foro conscientiae* impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2314, § 2). Applicanda ergo veniunt absolutioni hujusmodi censurae quae superius [1] ad can. 2252-2254 dicta fuere.

b) Absolutio fit reservata *Ordinario loci,* si casus *ad forum externum* ejusdem Ordinarii deducatur, etenim : « si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum *quovis modo* deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abjuratione *juridice* peracta aliisque servatis de jure servandis, sua auctoritate *ordinaria* in foro exteriore absolvere potest ; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abjuratio vero habetur *juridice* peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel ejus delegato et saltem duobus testibus. » *(ibid.)* [2].

Quocirca notandum est : α) Deductio ad forum externum Ordinarii loci seu notitia delicti ab Ordinario loci habita contingere potest per quamcumque privatam aut publicam denuntiationem, per voluntariam etiam rei confessionem, licet extrajudicialem, Ordinario loci factam ; β) Ordinarius loci cui reservatur absolutio est quilibet Ordinarius loci ad normam can. 198, § 1, quin opus sit recursu ad Ordinarium proprium ratione domicilii aut quasi-domicilii ; γ) Potestas haec est ordinaria, ergo delegabilis ; δ) Absolutio a censura data pro foro externo, valet etiam *pro foro interno;* qua data cessat reservatio peccati ; ε) Verba *servatis servandis,* praeter inquisitionem ante omnia faciendam de valididate baptismi in haeresi susceptí [3], significant apostatae vel haeretico injungenda praesertim esse : salutarem poenitentiam pro gravitate culpae ; scandali reparationem ; denuntiationem juxta praescriptum can. 2336, § 2 ; rescissionem cujuslibet pacti cum secta aut forsan cum daemone ratione haereticalis superstitionis [4] ; ζ) Qui gaudent facultate concessa in pagella n. 3 S. Poenitentiariae, possunt absolvere a censura incursa propter haeresim, et quidem sive occultos sive publicos haereticos, dummodo ne sint dogmatizantes, dummodo sc. notorium non sit eosdem falsa dogmata spargere [5].

---

1. Supra, n. 1744 ss.

2. Cf. S. Off., 19 feb. 1916, *AAS.,* 1916, t. VIII, p. 61.

3. Cf. De Smet, *De Sacramentis in genere. De baptismo et confirmatione,* editio altera, Brugis, 1925, ubi n. 304 ss., totus processus sequendus in reconciliandis haereticis describitur et explicatur. Cf. praeter auctores ibid. citatos Boehm, *Konversion eines vierzehn-järigen Mädschens,* in *Th. prakt. Quartalschrift,* 1923, t. LXXVI, p. 118 ss. Minores natu infra annum decimum quartum abjuratione non tenentur sed professione fidei tantum, nec absolutione a censuris indigent. Cf. etiam *Collect. Mechlinien.,* 1927, t. I, p. 274 s.

4. Cappello, *o. c.,* n. 215.

5. Cf. S. Poenit., 26 mart. 1894, 3 mart. 1880 ; Cappello, *o. c.,* n. 215, nota (23).

1815. — II. **Suspicio de haeresi.** « Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis ; quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius » (can. 2315).

1° Agitur hic de praesumptione juris seu quae ab ipsa lege statuitur contra eum qui ex modo loquendi aut agendi haeresim profiteri videtur [1]. Sunt taxative octo casus in quibus quis a jure suspectus habetur de haeresi : a) casus sequentis can. 2316, nempe ejus qui quovis modo haeresis propagationem juvat aut qui active communicat in divinis cum haereticis ; b) casus pacti initi in matrimonii celebratione de educatione acatholica prolis (can. 2319) ; c) casus illius qui scienter filios suos ministro acatholico tradit baptizandos *(ibid.)* ; d) casus parentum aut eorum locum tenentium qui liberos in religione acatholica educandos vel instruendos scienter tradunt *(ibid.)* ; e) casus eorum qui sacras species abjiciunt aut sacrilege tractant (can. 2320) ; f) casus appellantium ad Conc. Oecumenicum a decretis R. Pontificis (can. 2332) ; g) casus illius qui obdurato animo per annum insorduerit in censura excommunicationis (can. 2340) ; h) casus illorum qui simoniace ordinant, ordinantur, aut alia sacramenta ministrant vel recipiunt (can. 2371) [2].

2° Delictum specificum fit post monitionem juridicam seu canonicam [3].

3° Poenae prohibitionis ab actibus legitimis aut suspensionis sunt *ferendae sententiae* ; at *ipso facto* contumaciae perdurantis per sex menses a contractis illis poenis completas, delinquentes excommunicationem incurrunt speciali modo R. P. reservatam.

1816. — III. **Cooperatio in haeresi.** « Qui *quoquo modo* haeresis propagationem *sponte* et *scienter* juvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, suspectus de haeresi est » (can. 2316).

1° Agitur de illo qui publice aut privatim, palam aut clam, verbis, scriptis aut actibus [4] auxilio est haereticis ut hi suos errores disseminare valeant. At necessarium est ut hujusmodi auxilii praestatio formalis sit, seu ut praestetur haeretico in ipsa ejus haeresi propaganda. Hinc

---

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 514.
2. Catholici qui acatholicos ministros vocant ut ritum haereticum adhibeant in sepeliendis iis qui ecclesiastica sepultura privantur, sunt suspecti de haeresi et obnoxiii poenis ferendae sententiae can. 2315, S. Off., 23 feb. 1926, ap. *Arch. f. kath. Kr.*, 1926, t. CVI, p. 191 ss.
3. CAPPELLO, *o. c.*, n. 218.
4. Probabilius qui negative haereticum juvat v. gr. per omissionem denuntiationis, non incurrit poenas suspecti de haeresi.
5. Cf. *Le canoniste*, 1926, t. XLIV, p. 358 ss.

poenas non incurrit qui eum recipit hospitio ex amicitia, aut qui eum adjuvat ad rem domesticam amplificandam ; nec imo qui ei hospitium praebet unice ut effugiat manus judicum. Praeterea omnino requiritur ut haeresis, reipsa propagetur seu divulgetur ex praestito auxilio ; secus, effectu non secuto, huic juris praescripto locus non fit, cum versemur in odiosis [1].

2° Vetita communicatio est activa assistentia sacris acatholicorum [2].

1817. — IV. **Defensio doctrinae damnatae.** « Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non ut formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit » (can. 2317) [3].

Ad has poenas incurrendas, requiritur :

1° Ut quis *pertinaciter,* seu ea animi dispositione qua quis sciens et volens adversetur auctoritati Ecclesiae, quatenus suae opinioni adhaereat, non obstante quod noverit eam Ecclesiae auctoritati opponi [4] :

2° *sive publice* v. gr., coram numeroso auditorio, sive *privatim* puta coram uno alterove tantum, verbis aut scriptis *doceat,* i. e., non simpliciter doctrinam asserat ut eidem se adhaerere ostendat, sed tali animo asserat ut eamdem in aliorum mentem ingerere atque insinuare studeat ; vel *defendat,* sc. doctrinam damnatam veluti veram et minime damnandam tueri nitatur, atque adeo doctrinae damnatae patrocinium suscipiat ;

3° *doctrinam,* seu propositionem doctrinalem, non praescriptionem vel prohibitionem [5] ;

4° *quae ab Apostolica Sede,* id est a Romano Pontifice vel a Congr. S. Officii nomine et auctoritate Pontificis [6], *vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non ut formaliter haeretica,* sed ut haeresi proxima, temeraria, errorem sapiens, etc. [7].

---

1. CAPPELLO, *o. c.,* n. 222. — Cf. quoad jus codici anterius DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* t. II, n. 780 ; t. III, n. 1440.
2. Cf. supra, n. 1252 s.
3. Cf. Const. *Apost. Sed.,* II, 1, ubi legebatur : docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas *sub excommunicationis poena latae sententiae.*
4. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 209. Pertinacia in docendo vel defendendo supponit talem monitionem Ordinarii qua certo constat de existentia criminis in casu. Sufficit vero monitio canonica privata.
5. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 516.
6. Non sufficit damnatio lata ab aliqua Congregatione cum approbatione communi R. P.
7. Desideratur elenchus harum propositionum. Elenchus propositionum damnatarum sub excommunicatione l. s., traditur a PENNACCHI, *o. c.,* t. I, p. 168 ss. ; LEHMKUHL, *o. c.,* t. II, n. 942 ; HOLLWECK, *o. c.,* § 99, nota 4. Addendae sunt

Notandum est quod praeter poenas ferendae sententiae can. 2317, remaneant poenae quas sententia damnationis forte statuerit [1], signanter poena excommunicationis sub qua multae propositiones a Sede Apostolica damnatae fuerunt. Potest praeterea Ordinarius alias poenas addere, quas post monitionem canonicam inutiliter factam, necessarias ad reparandum scandalum duxerit.

1818. — V. Editio et usus quorumdam librorum prohibitorum. 1° « In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici juris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes » (can. 2318, § 1).

2° « Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam » (*ibid.*, § 2).

Cf. interpretationem harum sanctionum supra, n. 1384 ss.

1819. — VI. Participatio religioni acatholicae.

« Subsunt **excommunicationi latae sententiae** Ordinario reservatae catholici :

1° « Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, § 1 » (can. 2319, § 1, 1°).

Hanc excommunicationem contrahit catholicus [2], non apostata, haereticus vel schismaticus, qui consensum matrimonialem praestat aut renovat coram ministro acatholico uti sacris addicto, non tanquam officiali civili.

2° « Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam » (*ibid.*, 2°).

a) Pactum debet *praecedere* aut saltem *concomitari* celebrationem matrimonii, ita ut matrimonium contrahatur cum iniquo pacto [3]. b) Matrimonium

---

propositiones, opiniones, doctrinae sub eadem poena damnatae decreto *Lamentabili*, 3 jul. 1907 et encyclica *Pascendi*, 8 sept. 1907. Cf. Motu proprio *Praestantia*, 18 nov. 1907, ap. *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 6 s.

1. Cf. can. 6, 5°.

2. Si utraque pars est catholica non incurritur excommunicatio, ex can. 2319, § 1, 1° juncto cum can. 1063, § 1 et 2219, § 3. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 369. — Censet idem auctor censuram probabilius etiam referri ad casum impedimenti *disparitatis cultus*.

3. Ideo si pactum initum fuerit sed ante matrimonium tollatur, non contrahitur censura. Ita SOLE, *o. c.*, n. 321 ; in alium sensum CAPPELLO, *o. c.*, n. 370.

intelligitur verum, sive mixtum sit, sive non ; c) Verius verba « extra catholicam Ecclesiam », debent audiri, ut colligitur ex contextu, de educatione in religione acatholica, non de impia, extra omnem religionem educatione [1],

3° « Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt » (*ibid.*, n. 3°) [2].

4° « Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt » (*ibid.*, 4°).

a) Parentum locum tenentes sunt omnes qui ex lege, vel ex pacto vel de facto parentum vices gerunt in prole educanda ; b) oportet ut hoc delictum perpetretur *scienter*, seu cum cognitione tum facti, tum legis, tum censurae; c) verba « educandos vel instituendos, merito observant VERMEERSCH-CREUSEN [3], vere electa sunt, ut omnis institutio moralis et religiosa designaretur, sive in scholis, sive privatim, sive cum institutione in litteris, sive absque ea sejuncta provideatur » ; d) eadem controversia viget circa verba « in religione acatholica » [4].

Nota. — « Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi » (*ibid.*, § 2).

TITULUS XII.

DE DELICTIS CONTRA RELIGIONEM.

1820. — I. **Profanatio sacrarum specierum.** « Qui species consecratas abjecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi ; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam ; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus » (can. 2320).

a) *Abjicere* dicitur qui sacras species in locum vilem, sordidum vel cum dedecore projicit [5] ; b) *abductio ad malum finem* est auferre sacras species a loco [6] in quo legitime reperiuntur et alio portare cum intentione mali finis aut saltem cum cognitione hujusmodi finis quem alius

---

1. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, CAPPELLO, *ll. cc.*, contradicente BLAT, *o. c.*, p. 207. Cf. etiam decr. S. O., 8 maii 1907, ap. *Coll. Brug.*, t. XIV, p. 102.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 372.
3. *O. c.*, n. 518.
4. Etiam haec intelligitur a CAPPELLO, *o. c.*, n. 373, de quavis religione acatholica.
5. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 520. CAPPELLO, *o. c.*, n. 202 intelligit *abjectionem* sensu latiori de quavis gravi irreverentia, ejus v. gr., qui sacras species in tabernaculo sputo aut sordibus foedaret.
6. V. gr., a tabernaculo, manibus ministri, ore communicantis.

intendit ; c) *retinens ad malum finem* sacras species potest esse tum persona quae eas prius abduxit, tum alia persona. Si una et eadem persona est abducens et retinens duas contrahit excommunicationes, ex can. 2244, § 1 et 2. At profecto *talis* retentio consideranda est, quae distinguatur ab ipsa abductione ; requiritur proinde tractus temporis successivus, ex quo actus *retentionis* habeatur distinctus ab actu abductionis [1].

1821. — II. **Missae celebratio contra canonicas praescriptiones.** « Sacerdotes qui contra praescripta can. 806, § 1, 808 *praesumpserint* Missam eodem die iterare [2] vel eam celebrare non jejuni [3], suspendantur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adjuncta praefiniendum » (can. 2321).

1822. — III. **Exercitium ordinis presbyteralis a non-sacerdote.** « Ad ordinem sacerdotalem non promotus : 1° Si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit, speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ; et insuper *laicus* quidem privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur ; *clericus* vero deponatur ; 2° Si alia munia sacerdotalia usurpaverit, ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur » (can. 2322) [4].

a) Incurritur haec poena *ab omni et solo non promoto ad ordinem sacerdotalem* qui b) *missae celebrationem simulaverit* seu qui ad altare ita paratum se sistit atque ita se gerit ut adstantes aut saltem quidam eorum putare debeant illum vere celebrare missam, etsi forte verba consecrationis non legerit, aut materia utatur invalida [5] ; c) *aut sacramentalem confessionem exceperit.* Confessio haec *sacramentalis* dicitur ex parte poenitentis, et est confessio unius saltem peccati veri vel existimati, facta cuidam qui creditur esse sacerdos, in ordine ad absolutionem obtinendam [6].

1823. — IV. **Blasphemia et perjurium.** « Qui blasphemaverit vel perjurium extra judicium [7] commiserit, prudenti Ordinarii arbitrio puniatur, maxime clericus » (can. 2323) [8].

---

1. Ita recte CAPPELLO, *o. c.*, n. 204, contra SOLE, *o. c.*, n. 335 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 520.
2. Cf. supra, n. 850 ss.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, n. 79 ; CAPPELLO, *De Sacramentis*, t. I, n. 497 ss.
4. Quoad vetus jus cf. SOLE, *o. c.*, n. 337 ; quoad irregularitatem, cf. can. 985, 7°.
5. Cf. CAPPELLO, *De censuris*, n. 239.
6. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1312 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 240.
7. Perjurium in judicio ad normam can. 1743, § 3 puniendum est.
8. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. III, n. 523 ; DIGNANT, *De virt. relig.*, n. 231 ss. ; HOLLWECK, *o. c.*, § 128, 197 ; WERNZ, *o. c.*, p. 316 ss.

1824. — V. **Delicta circa missarum stipendia.** « Qui deliquerint contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione » (can. 2324) [1].

Can. 827 omnino prohibet quamlibet etiam speciem negotiationis vel mercaturae circa stipendia Missarum. Can. 828 jubet tot celebrare et applicare Missas quot stipendia etiam exigua data et acceptata fuerint. Juxta can. 840, § 1, qui Missarum stipes *manuales* ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae [2]. Ad poenam legitime inferendam requiritur a) *gravitas materiae*. Jam vero graviter peccat qui etiam unam missam omittit [3] contra praescriptum can. 828. Si vero agatur de illo qui partem stipendii illegitime retineat aut qui circa stipendia Missarum exerceat etiam speciem negociationis vel mercaturae, oportet quaestus tantus sit qui sufficiat ad grave peccatum furti ; b) ut, ubi agatur de specie negotiationis vel mercaturae, actus sint *repetiti*. Ceterum Ordinarii est de exsistentia delicti judicare, cum poenae sint ferendae sententiae [4].

1825. — VI. **Superstitio et sacrilegium.** « Qui superstitionem exercuerit vel sacrilegium perpetraverit, pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur, salvis poenis jure statutis contra aliquos actus superstiosos vel sacrilegia [5] » (can. 2325).

Ad superstitionem, qua creaturae exhibetur cultus soli Deo debitus aut qua Deus modo indebito et circumstantiis non probatis colitur, reducuntur divinatio, sortilegium, magia, evocatio spirituum aliaque id genus [6]. Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio personae, rei aut loci sacri, seu quae publica auctoritate Deo dicata sunt.

1826. — VII. **Falsarum reliquiarum abusus.** « Qui falsas reliquias vel conficit, aut *scienter* vendit, distribuit vel publicae fidelium veneration exponit [7], ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit » (can. 2326).

---

1. Cf. const. *Apost. Sed.*, II, 12 ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1463 ; Leon. XIII *Vigilanti*, 25 maii 1893, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXV, p. 354 ss. ; decretum S. C. C., *Ut debita*, 11 maii 1904, ap. *Coll. Brugen.*, t. IX, p. 595.
2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, n. 105, 6° ; 106 ; 107, 3°.
3. Cf. tamen VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*, n. 106, 1°.
4. Cf. circa poenas anterioris juris nunc abrogatas, DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, t. III, p. 312, 318, 327.
5. Cf. can. 2320, 2329, 2343, 2345. Cf. De sacrilegio, DIGNANT, *De virt. relig.*, ed. 3, n. 332 ss. ; HOLLWECK, *o. c.*, § 110 ; WERNZ, *o. c.*, p. 327 ss.
6. Cf. supra n. 1370. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 344 s. ; HOLLWECK, *o. c.*, § 109 ; WERNZ, *o. c.*, p. 320 ss.
7. Cf. supra n. 1268. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 349 s. ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 374 ss.

1827. — VIII. **Quaestus ex indulgentiis.** « Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata » (can. 2327) [1].

1828. — IX. **Violatio cadaverum vel sepulcrorum.** « Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur » (can. 2328).

Hic agitur de violatione cujuslibet cadaveris aut sepulcri.

1829. — X. **Violatio Ecclesiae vel coemeterii.** « Ecclesiae vel coemeterii violatores de quibus in can. 1172, 1207 [2], interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur » (can. 2329).

TITULUS XIII.

DE DELICTIS CONTRA AUCTORITATES, PERSONAS, RES ECCLESIASTICAS.

1830. — I. **Delicta in electione R. P.** « Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, unice standum est const. Pii X *Vacante Sede Apostolica,* 25 Dec. 1904 » (can. 2330).

Porro in hac constitutione octo excommunicationes l. s., et una in constitutione *Commissum Nobis,* 20 jan. 1904, confirmata a const. *Vacante Sede,* feruntur, quae aliquo sensu sunt *specialissimo modo* reservatae Sedi Apostolicae, cum « censuratus a nullo, ne a Majori quidem Poenitentiario, cujuslibet facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit » [3].

1831. — II. **Inobedientia R. Pontifici aut Ordinario. Conspiratio contra ipsorum auctoritatem. Provocatio ad inobedientiam erga ipsos.** 1° « Qui Romano Pontifici vel proprio Ordinario aliquid legitime praecipienti vel prohibenti *pertinaciter* non obtemperant, congruis poenis, censuris non exclusis, pro gravitate culpae puniantur » (can. 2331, § 1) [4].

---

1. Cf. const. *Apost. Sed.,* II, 11, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1462 ; SOLE, *o. c.,* n. 351 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 293 s.
2. Cf. supra n. 1132, 1178.
3. C. *Vacante Sede Apostolica,* tit. 2, c. 4, n. 51. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 207, 565 ss. Cf. supra, n. 496 ss.
4. Cf. decret. *Maxima cura,* 20 aug. 1910, can. 1, n. 9. Cf. supra, n. 361.

2° « Conspirantes vero contra auctoritatem Romani Pontificis ejusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, itemque subditos ad inobedientiam erga ipsos provocantes, censuris aliisve poenis coerceantur ; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici ; voce **activa et passiva atque officio**, si religiosi, priventur » (*ibid.*, § 2).

Poenis ferendae sententiae puniendum est a) crimen *conspirationis* seu illorum qui collatis consiliis et viribus nituntur quomodocumque labefactare auctoritatem aut legitima mandata R. Pontificis ejusve Legati vel proprii Ordinarii [1] ; b) crimen *provocationis* subditorum ad inobedientiam, licet provocatio sine effectu maneat [2].

1832. — III. **Appellatio a R. Pontifice ad universale Concilium.** « Omnes et singuli, cujuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ; Universitates vero, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, interdictum speciali modi Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt » (can. 2332) [3].

1833. — IV. **Delicta circa litteras vel acta Apostolicae Sedis.** « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab ejusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subjaceant excommunicationi Sedi Apostolicae specialiter reservatae » (can. 2333) [4].

Excommunicantur hoc canone :

a) *Recurrentes* omnes, quocumque modo, *ad laicam potestatem*, quaecumque illa fuerit, sive civilis, sive militaris, *ad litteras vel acta quaelibet*, cujuscumque naturae vel formae, *a Sede Apostolica*, sive immediate sive etiam mediate a Dicasteriis Curiae Romanae [5], *vel ab ejusdem Legatis* ad

---

1. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 355.
2. Cf. COCCHI, *o. c.*, p. 261.
3. Cf. Const. *Apost. Sed.*, I, n. 4 ; VI, n. 1, cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1443, 1484. Cf. supra n. 518 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 242 ss. ; SOLE, *o. c.*, n. 357, qui ex can. 2231, merito tenet in excommunicationem quoque incurrere illos qui principaliter ad delictum perpetrandum concurrerint.
4. Consonat fere in omnibus cum const. *Apost. Sed.*, I, n. 8.
5. Cf. S. Off., 13 jan. 1892, ad 2, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXIX, p. 169 s.

normam can. 266, 267 [1], profecta seu jam exarata, *impedienda,* ut sc. promulgatio sensu juridico accepta vel exsecutio litterarum vel actorum impediatur ;

b) Magistratus [2] praedictorum actorum *promulgationem* vel *exsecutionem directe vel indirecte* auctoritate prohibentes, v. gr., *Exsequatur* aut *Placitum regium* praerequirendo ;

c) *Eorum* actorum *causa, sive eos ad quos pertinent litterae vel acta* seu personas quarum interest ut praefatae litterae vel acta promulgentur aut exsecutioni mandentur, *sive alios,* quos accipere debemus eos, ad quos pertinet actorum publicatio vel exsecutio, veluti procuratores, notarios, tabelliones, exsecutores, etc. *laedentes* seu ii, qui damno notabili eos afficiunt in bonis corporis, fortunae, famae ; tandem *perterrefacientes,* nempe qui verbis vel factis, aut alia ratione, valde gravem timorem eis injiciunt.

d) Controvertitur utrum necesse sit ad incurrendam excommunicationem ut recursus, prohibitio, laesio aut perterrefactio effectum suum obtinuerint nec ne [3]. Dicamus cum Sole [4] : hic adest dubium juris et proinde quod minimum est, sequimur.

1834. — V. **Delicta circa libertatem et jura Ecclesiae et circa exercitium jurisdictionis ecclesiasticae.** « Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur :

1° Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem et jura Ecclesiae [5] edunt (can. 2334, § 1).

a) *Edentium* nomine, veniunt omnes qui pollentes auctoritate legislativa aut administrativa, hujusmodi leges, mandata, decreta condunt sive voluntate individua, sive communi suffragio ; non vero hoc nomine intelliguntur qui legem aut mandatum applicant vel urgent, uti judices, officiales ordini servando praepositi [6]. Notandum tamen est quod cooperatores ad normam can. 2209, § 1-3 et can. 2231 eadem poena plectantur [7].

b) *Leges* sunt ordinationes potestatis legislativae ; *mandata et decreta* ea comprehendunt quae a magistratibus quibuslibet vi potestatis administrativae, vel modo generali vel pro una persona aut uno casu, feruntur, Unde etiam hoc canone attinguntur decreta comitiorum provincialium et municipalium necnon decreta et mandata a ministris, gubernatoribus vel burgi-magistris edita.

---

1. Comprehenduntur etiam *delegati Apostolici.*
2. Cf. supra, n. 261. Probabilius omnino censura non afficit prohibentes auctoritate privata. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 251 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 133.
3. Cf. PIAT, *o. c.,* p. 67 ss. ; LEHMKUHL, *o. c.,* t. II, n. 933 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 65 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 247, 251, 253 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 532.
4. *O. c.,* n. 358.
5. Cf. const. *Apost. Sedis,* I, 7, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1446.
6. Cf. GODSCHALK, *De censuris in particulari,* p. 37, Gestel Sti Michaëlis, 1874 ; SOLE, *o. c.,* n. 359 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 256 ; BOUDINHON, *Biens d'églises et peines ecclésiastiques,* p. 18, 29, 32. Cf. S. Poenit., 20 maii 1908, *ibid.,* p. 155.
7. Ita qui auctoritate sua promulgat legem, saltem ut cooperator excommunicatur.

c) *Contra libertatem aut jura Ecclesiae.* « Haec verba, ait D'Annibale [1], patent latissime, et omne prorsus feriunt legum vel decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticae, sive jurisdictionis sive ordinis, sed quodvis aliud jus intercipitur, restringitur, perturbatur ; ut puta jus docendi, promovendi ad ordines, publicas supplicationes extra templa, vel noctu obeundi ; ecclesias, beneficia, pia sodalitia excitandi ; beneficia conferendi sine ullo interventu potestatis laicae ; immo et jura quae Ecclesiae, non uti Ecclesiae, sed uti societati competunt, veluti jus acquirendi, actibus seu ultimae voluntatis seu inter vivos ; alienandi, elocandi bona sua ultra novennium, etc. ; quippe sine his societas, atque ideo Ecclesia, brevi interiret. »

2° « Qui impediunt directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem » (*ibid.*, § 2) [2].

a) Impediunt *directe* qui in ipsam personam Episcopi, parochi, etc., verbis, scriptis aut factis injuste agunt ne illi jurisdictione uti incipiant vel pergant ; impediunt *indirecte* si vexant subditos, agentes, consanguineos magistratus ecclesiastici aut ipsius bona sequestrant, vel iis omnibus nocent ad eumdem finem [3] ;

b) *exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori.* Canon respicit omnes et solos actus *jurisdictionis* interni et externi fori, sive ordinariae sive delegatae, sive voluntariae sive contentiosae ; non vero actus potestatis ordinis aut potestatis pure administrativae [4] ;

c) *ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.* Ergo novo jure hi tantum hac censura plectantur qui exercitium jurisdictionis impediunt recurrendo ad potestatem laicalem latissime accipiendam, sive legiferam, sive judicialem, sive exsecutivam, sive militarem.

d) Plerique constitutionis *Apostolicae Sedis* commentatores requirebant ut recurrentes mandatum obtinuerint potestatis laicalis quo impediretur exercitium jurisdictionis ecclesiasticae ; immo plures, negantibus aliis, affirmabant excommunicationem non incurri, nisi mandatum obtentum exsecutioni sit datum [5]. Non est cur recedamus ab hac interpretatione. Tunc denique recurrentes praefatum exercitium revera impediunt [6].

---

1. *Commentarius Reatinus in c. Apost. Sed.*, n. 66.
2. Cf. const. *Apost. Sed.*, I, 6, cujus comparatio cum can. 2234, § 2 multum confert ad hujus praescripti rectam interpretationem ; cf. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1445.
3. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 257.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 534 ; cf. tamen CAPPELLO, *o. c.*, n. 258. Hic auctor *l. c.* notat : « Non agitur de exercitio *privilegiorum*, quibus gaudent Superiores religiosi, nisi tamen referenda sint ad *jurisdictionem* ecclesiasticam. » Hoc saltem videtur admittendum agi etiam de jurisdictione juris communis Praelatorum regularium. Cf. tamen SOLE, *o. c.*, n. 360.
5. Cf. PIAT, *o. c.*, p. 57 ; LEHMKUHL, *o. c.*, n. 929 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 127 ; HOLLWECK, *o. c.*, § 132, nota 9.
6. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 360 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 257.

1835. — VI. **Adscriptio sectae massonicae.** « Nomen dantes sectae massonicae aliisve ejusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam » (can. 2335) [1].

a) Supra vidimus [2] *quaenam societates ejusdem generis ac sectae massonicae* [3] habendae sint et quid censendum sit de *socialistis* [4]. Propter ultro agnitam probabilitatem sententiae eorum qui tenent socialistas potius *fractionem politicam* quam *sectam* efformare, a qua aliena est praeterea *secreta temperatio* societatis, quam praefati auctores ut notam exigunt ut sit secta aliqua ejusdem generis ac secta massonum, censemus socialistas pro praxi immunes dici posse ab excommunicatione can. 2335, etsi probabilior nobis videatur contraria sententia.

b) *Nomen dantes* illi sunt qui, notum habentes scopum societatis et excommunicationem sub qua prohibetur, quovis praetextu vel quaesito colore, ejus socii seu membra efficiuntur. Si quis bona fide hujusmodi societati nomen dederit, eamque comperta veritate non deserit, incurrit censuram, nisi invitus ad effugienda gravissima mala in ea remaneat donec absque gravi incommodo eam deserere possit [5].

c) Juvat hic exscribere quae habent Vermeersch-Creusen [6] de *reconciliatione* Massonum cum Ecclesia, supposita evidenter debita facultate in

---

1. Cf. const. *Apost. Sed.*, II, 4, ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1457. Discrimen inter textum C. *Apost. Sed.* et can. 2325 in hoc est : quod omittantur explicita mentio sectae *Carbonariae*, necnon verba *seu palam seu clandestine* ante vocabulum *machinantur* et quod non amplius jure positivo imponatur obligatio denuntiandi harum societatum occultos coryphaeos ac duces.

2. N. 1232. Cf. etiam n. 1371.

3. Cf. de illis societatibus sub censura prohibitis, *Nouv. rev. théol.*, t. VIII, p. 587 ss. ; *Rev. théol. franç.*, t. IV, p. 480 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 74. Cf. de discrimine inter has societates et societates simpliciter prohibitas, instruct. S. O., 10 maii 1884, ap. *Nouv. rev .théol.*, t. XVII, p. 44 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 171 s. Inter societates simpliciter prohibitas, nisi sectae massonicae sese aggregaverint, veniunt : societates quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera, cf. supra n. 1168 ; societates americanae « Odd Fellows », « Sons of temperance », « Knights of Pithias », cf. S. O., 21 aug. 1850, 20 aug. 1894, ap. *Anal. eccles.*, 1895, p. 196 ; societas « Independent Order of Good Templars », cf. S. O., 9 aug. 1893, 17 aug. 1899, cf. de hac societate *Nederl. kath. stemmen*, 1926, t. XXVI, p. 184 ss. ; societates biblicae, cf. Pii IX const. *Qui pluribus*, 1846. Circa has societates simpliciter prohibitas vide etiam S. O., 18 jan. 1896, ap. *Le can. contemporain*, 1896, p. 298 ; et decret. ejusd. Congr., s. d., 1903, *ibid.*, 1913, p. 736 ; cf. etiam A. SCHMITT, *Austritt aus einem kirchenfeindlichen Verein*, ap. *Theol. prak. Quartalschr.*, 1927, t. LXXX, p. 328 ss.

4. Cf. etiam CAPPELLO, *o. c.*, n. 298. Merito notat NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 74 : « qui tamen his societatibus (socialistarum), earum principia et finem cognoscentes, adhaerent, excommunicationem R. P. speciali modo reservatam, *propter haeresim* incurrunt. »

5. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 296.

6. *O. c.*, n. 535 ; cf. etiam NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 76 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 302 ; COCCHI, *o. c.*, n. 171.

absolvente : « Debent reipsa sese omnino separare a secta[1] ; promittant se nunquam amplius soluturos requisitam contributionem, et removeatur scandalum eo meliori modo, quo fieri potest ; animo sint parati ad nomen suum revocandum si et quando id facere absque gravi incommodo potuerint (Instr. S. O., 7 mart. 1883, *ASS.*, XVI, 21). Dummodo noverint saltem poenas graves in actum suum latas fuisse, detur a censura absolutio quae opportuno recursu valida fiat in foro externo, si adhaesio publica fuerit. Praeterea ne omittant codicillo vel speciali documento revocare voluntatem funeris irreligiosi, si quam expresserint. Tandem generatim insignia, libri, documenta Superiori ecclesiastico vel ejus delegato tradenda sunt[2]. Separatio a secta et revocatio impii testamenti semper exigendae sunt ; alia *per se* quantum fieri potest obtinenda. »

1836. — **Nota.** 1° « *Clerici* qui delictum commiserunt de quo in can. 2334, 2335, praeter poenas citatis canonibus statutas, poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant ; *religiosi* autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum plectantur » (can. 2336, § 1).

2° « Insuper clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii » (*ibid.*, § 2).

Haec denuntiatio sub gravis peccati reatu imposita, facienda est directe vel per ministerium Ordinarii loci[3], ad S. Officium.

1837. — VII. **Delictum parochi aut sacerdotis impedientis exercitium ecclesiasticae jurisdictionis.**

1° « Si *parochus*, ad impediendum exercitium ecclesiasticae jurisdictionis, *ausus fuerit* turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, pro gravitate culpae, secundum prudens Ordinarii judicium, puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione » (can. 2337, § 1)[4].

Unice adnotandum est hic agi non tantummodo de casu parochi qui turbas moveret ad impediendam oeconomicam suam remotionem uti in can. 18 decreti *Maxima cura* provisum erat ; sed de quovis casu quo parochus supradictis modis praesumeret impedire exercitium legitimum jurisdic-

1. Cf. S. O., 5 aug. 1898.
2. Aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, destruenda sunt. Cf. const. Pii XI, *Si unquam*, n. 4, 15 jul. 1924, *AAS.*, t. XVI, p. 311. Haec constitutio imponit tantum obligationem denuntiandi clericos et religiosos qui sectae adscripti cognoscuntur, ad normam can. 2336, § 1.
3. Cf. can. 501, § 2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*
4. Cf. decret. S. C. Consist., *Maxima cura*, can. 18, § 1, 20 aug. 1910.

tionis ecclesiasticae, v. gr., occasione visitationis Episcopi, inquisitionis judicialis, etc.

2° « Eodem modo puniat Ordinarius *sacerdotem* qui multitudinem quoquo modo excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum vel oeconomum » (*ibid.*, § 2).

1838. — VIII. **Absolutio ab excommunicatione sine facultate.** « Absolvere *praesumentes* sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae *specialissimo* vel *speciali modo* Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam » (can. 2338, § 1) [1].

1839. — IX. **Illegitima communicatio cum vitando.** « Impendentes *quodvis* auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit ; itemque clerici *scienter et sponte* in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam » (*ibid.*, § 2) [2].

a) In prima parte hujus paragraphi, exigitur ad incurrendam hanc censuram, mortaliter mala cooperatio qua excommunicato praebeatur auxilium aut favor cujuslibet naturae vel generis [3], ut persistat in crimine propter quod excommunicatus fuerit [4].

b) Quoad secundam partem notandum venit : α) censuram infligi *clericis*, h. e., omnibus qui saltem primam tonsuram receperunt, sive sint saeculares aut religiosi ; β) requiri communicationem *in divinis* in ipso canone descriptam, eam nempe quae committitur *recipiendo in divinis officiis* [5]. *Recipere in officiis divinis* dicitur ex quadam potestate admittere personam de qua agitur in illis functionibus sacris *obeundis* quae a solis clericis fieri queunt [6]. Unde hujusmodi delictum committi potest tantum a clerico cum clerico, et quidem quatenus clericus vitandus aut simul cum recipiente aut solus ex venia recipientis, aliquid sacri facit, non vero quatenus *passive* tantum assistit, quin repellatur [7].

1840. — X. **Violatio interdicti localis aut censurae per sententiam latae.** « Scienter celebrantes vel celebrari facientes in locis interdictis

---

1. Cf. Const. *Apost. Sedis*, in fine tit. I, ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1452.
2. Cf. Const. *Apost. Sed.*, II, 16 et 17, *ibid.*, n. 1467.
3. Etiam consilium juxta plerosque, negantibus aliis. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 307.
4. Cf. *ibid.*, n. 308. Cf. exempla apud COCCHI, *o. c.*, p. 271.
5. Ita jam intelligebatur sub jure Const. *Apost. Sedis*.
6. Cf. 2256, 1°.
7. CAPPELLO, *o. c.*, n. 310. Jam plures olim sic interpretabantur const. *Apost. Sed.*

vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure contrahunt, donec, arbitrio ejus cujus sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint » (can. 2338, § 3) [1].

Hoc articulo subjiciuntur interdicto personali speciali, nempe ab ingressu ecclesiae [2] :

a) Omnes et singuli, sive saeculares sive regulares, *scienter celebrantes* seu divina officia, extra casus a jure permissos, peragentes, vel *celebrari facientes* seu ab aliis peragi ex officio seu auctoritative curantes [3], effectu secuto, in quibuscumque *locis* quovis modo *interdictis* [4].

b) Censuratos *post sententiam* ad divina officia *admittentes*. Illi sunt qui auctoritative possunt admittere aut non admittere seu prohibere, quales sunt rectores, parochi et alii quorum curae ecclesiae vel oratoria vel coemeteria commissa sunt.

Interdictum illud ab ingressu ecclesiae non est reservatum ; absolutione remitti potest, statim ac delinquentes congruam satisfactionem praestiterint, arbitrio ejus determinandam cujus sententiam contempserint [5].

1841. — XI. **Causam dantes interdicto.** « Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti » (can. 2338, § 4).

Causam dantes illi dicuntur qui delictum formaliter patrarunt, sive seorsim sive simul cum aliis, propter quod interdictum in locum vel in communitatem latum est.

Interdictum illud, cujus effectus supra determinavimus [6], non est reservatum.

1842. — XII. **Violatio prohibitionis ecclesiasticae sepulturae.** « Qui *ausi fuerint* mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § 1, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam ; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum » (can. 2339) [7].

---

1. Cf. const. *Apost. Sedis,* VI, 6, ap. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 1485.
2. Cf. can. 2277, supra n. 1775.
3. Sunt qui non excipiunt laicos celebrari facientes jussu, minis, etc. Non est cur recedatur ab accepta interpretatione.
4. Cf. Cappello, *o. c.*, n. 488 s.
5. Cf. *ibid.*, n. 491.
6. Cf. supra n. 1773.
7. Cf. const. *Apost. Sed.*, IV, 1 ; VI, 2, vide De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 1472 et 1485.

Dicitur a) Qui *ausi fuerint mandare seu cogere.* Mandare idem est ac auctoritative jubere quod proprium est auctoritatem habentium. Igitur subsunt censurae omnes legislatores, magistratus, syndici, etc., dummodo isti ne agant ex officio coacti, quia tunc deest ausus temerarius [1]. Cogere est vi aut metu compellere. Non desunt auctores qui propter verba *mandare seu cogere,* excipiunt omnes cogentes *privata auctoritate* [2] ;

b) *tradi ecclesiasticae sepulturae* h. e., depositioni cadaveris in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis, etiam absque ritu sacro [3] ;

c) *Sponte* vero eisdem sepulturam donantes sunt clerici qui nulla lege, vi aut metu coacti, praedictis ecclesiasticam sepulturam donaverint.

1843. — XII. **Insordescentia in excommunicatione aut suspensione.** 1° « Si quis, obdurato animo, per annum insorduerit in sententia excommunicationis, est de haeresi suspectus » (can. 2340, § 1) [4].

Ut quis *insordescens* dicatur, oportet lata fuerit nominatim in ipsum sententia excommunicationis et obstinato animo per annum integrum in excommunicatione manserit [5].

2° « Si clericus in censura suspensionis per semestre perseveraverit, graviter moneatur ; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privetur beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat » (*ibid.*, § 2).

1844. — XIII. **Violatio privilegii fori.** « Si quis contra praescriptum can. 120 [6] *ausus fuerit* ad judicem laicum trahere a) aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae vel Officialibus majoribus Curiae Romanae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ; b) si alium Episcopum etiam mere titularem, vel Abbatem aut Praelatum *nullius* vel aliquem ex supremis religionum juris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ; c) demum si, non obtenta ab Ordinario licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus

---

1. CAPPELLO, *o. c.*, n. 401.
2. Cf. *ibid.* ; BUCCERONI, *Theol. mor., tract. de censuris,* n. 84.
3. Ita interpretatio communior veteris juris, quam propter serias rationes amplectuntur multi moderni. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 538 ; SOLE, *o. c.*, n. 367 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 97 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1323 ; BLAT, *o. c.*, p. 230. Non desunt tamen qui propter can. 1204 ubi legalis traditur notio sepulturae ecclesiasticae, tenent hic agi de celebratione totius ritus sacri sepulturae ecclesiasticae in praefato canone descripti. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 401 ; COCCHI, *o. c.*, n. 179.
4. Cf. Trid., Sess. XXV, c. 3 de ref.
5. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 161.
6. Cf. supra n. 353.

quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur » (can. 2341) [1].

Sufficiunt ad explicationem hujus textus perspicui quae supra exposuimus [2], notando tamen has poenas non obtinere in locis, uti apud nos, ubi privilegium fori legitime abrogatum est.

1845. — XIII. **Violatio clausurae.** « Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata :

1° « Clausuram monialium violantes, cujusque generis aut conditionis aut sexus sint, in earum monasteria sine legitima necessitate ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes ; quod si clerici sint, praeterea suspendatur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum » (can. 2342, 1°) [3].

Delictum sub poena excommunicationis prohibitum est proin *ingressus* graviter illicitus personarum cujuscumque generis, conditionis aut sexus, quocumque fine aut praetextu, in clausuram monialium quae vota sollemnia non tantum ex instituto sed de facto habent [4], absque legitima licentia, quae praeter casus a jure praevisos, tantummodo concedi potest a S. C. de religiosis ; pariter *introductio* earumdem personarum a quolibet vel *admissio* ab eo quae eos ex officio prohibere potest et debet. Ergo *introducentes vel admittentes* sunt qui *active* influunt in talem ingressum, ut sunt, v. gr., invitantes, auferentes impedimenta, januam aperientes, eos recipientes et auctoritative permittentes ut intrent.

2° « Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas *cujuscumque aetatis* introducentes et admittentes ; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa et passiva » (*ibid.*, 2°) [5].

3° « Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601 [6] » (*ibid.*, 3°).

---

1. Cf. const. *Apost Sed.*, I, 7 ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1446 ; S. O., 23 jan. 1886, ap. *ASS.*, t. XVIII, p. 416 ; Motu proprio *Quantavis diligentia*, 9 oct. 1911, ap. *AAS.*, t. III, p. 555 s. ; S. O., 11 martii 1912 ap. *Il monit. eccles.*, t. XXIV, p. 4 s. ; S. C. Consist., 14 maii 1914, ap. *AAS.*, t. VI, p. 277.

2. N° 353. Cf. etiam CAPPELLO, *o. c.*, n. 263 ss., 312 ss., 534 ss. ; SOLE, *o. c.*, n. 371 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 68, 79, 123.

3. Cf. const. *Apost. Sed.*, II, 6, ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1459. Cf. supra quae diximus de clausura, n. 1021 ss. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 312 ss.

4. Ideo quae hic decernuntur non respiciunt generatim moniales Belgii et Galliae.

5. Cf. const. *Apost. Sed.*, II, 7, *ibid.*, n. 1460. Cf. supra n. 1022 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 320.

6. Cf. supra, n. 1022.

1846. — XIV. **Violatio privilegii canonis** [1].

1° « Qui violentas manus in personam *Romani Pontificis* injecerit : a) excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservatam et est ipso jure vitandus ; b) est ipso jure infamis ; c) clericus est degradandus » (can. 2343, § 1).

2° « Qui in personam S. R. E. *Cardinalis* vel *Legati* Romani Pontificis: a) in excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam ; b) est ipso jure infamis ; c) privetur beneficiis, officiis, dignitatibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat » (*ibid.*, § 2).

3° « Qui in personam *Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi* etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam » (*ibid.*, § 3).

4° « Qui in personam *aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum*, subjaceat ipso facto excommunicationi *Ordinario proprio* reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eos puniat » (*ibid.*, § 4) [2].

Merito CAPPELLO [3] ab excommunicatione immunem habet qui in *novitios* et in sodales qui in communi vivunt *sine votis* violentas manus injecerint, cum hi nomine *religiosorum* non veniunt, etsi ultro admittat eos privilegio immunitatis personalis gaudere. Aliud est enim privilegium canonis, aliud sanctio poenalis hujus privilegii.

1847. — XV. **Injuria verbalis et excitatio odii contra Superiores ecclesiasticos.** « Qui Romanum Pontificem, S. R. E. Cardinalem, Legatum Romani Pontificis, Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apostolicae, eorumque officiales majores, proprium Ordinarium publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte, injuriis affecerit, aut simultates vel odia contra eorumdem acta, decreta, decisiones, sententias excitaverit, ab Ordinario non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisve congruis poenis vel poenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur » (can. 2344).

His sanctionibus poenalibus indeterminatis et ferendae sententiae protegitur *auctoritas* Magistratuum ecclesiasticorum contra injurias

---

1. Cf. const. *Apost. Sed.*, I, 5 ; II, 2, ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1444, 1455. Cf. de privilegio canonis supra, n. 352. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 376 ss. ; COCCHI, *o. c.*, n. 187 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 197 ss., 270 ss., 377 ss.

2. Cf. CAPPELLO in *Jus Pontificium*, 1926, t. VI, p. 29 ss.

3. *De censuris*, n. 382. Cf. tamen VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 542.

publice, scriptis aut concionibus, in eos directe aut indirecte [1] illatas et contra simultates et odia in eorumdem acta quaelibet reipsa excitata et mota.

1848. — XVI. **Usurpatio bonorum aut jurium Ecclesiae Romanae.** « Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subjaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae ; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur » (can. 2345) [2].

Hac sanctione defenditur dominium sive principatus civilis Romani Pontificis.

Dicitur a) *Usurpantes*. Usurpatio denotat actionem qua quis rem alienam occupat tanquam propriam, sive publica sive privata auctoritate agat, sive vi, fraude, quovis titulo aut praetextu, etsi non hostiliter [3]. Differt usurpatio a furto et praedatione, cum fures et praedones rem invadant tanquam alienam, neque jus aliquod in ipsam praetendant [4] ;

b) *Detinentes* illi sunt qui actu servant, possident eadem bona ac jura usurpata, etsi alii ea usurpaverint, sed ea ab usurpatoribus immediate aut mediate quovis titulo acceperint, haereditate, donatione, venditione, etc. [5] ;

c) *per se vel per alios*. Quae verba respiciunt usurpationem et retentionem. Excommunicatio proin incurritur etiam ab illo qui usurpat et retinet per alium sed nomine et auctoritate sua ;

d) *bona et jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia*. Intelliguntur bona temporalia omnia et jura civilia, quae *ad civilem principatum Romani Pontificis spectant*. Nec tantummodo bona et jura possessa hac censura proteguntur, sed ea quoque vindicantur, quorum dominium legitimum est penes Ecclesiam Romanam, licet ab aliis jam usurpata fuerint et detineantur [6].

Codex silet de cooperatoribus, cum hi ex principio generali comprehendantur [7].

1849. — XVII. **Conversio in proprios usus et usurpatio bonorum ecclesiasticorum.** « Si quis bona ecclesiastica cujuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare *praesumpserit* aut impe-

---

1. *Directe* si ipse magistratus aut ipsum collegium injuriis lacessitur ; *indirecte* si personae eis subjectae aut conjunctae vel ea quae ab ipsis pendent ita injuriose tractentur ut ipsa eorum auctoritas labefactetur.
2. Cf. const. *Apost. Sed.*, I, 12, ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1451; SOLE, *o. c.*, n. 383.
3. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 384 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 276. Censent VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 548 usurpationem sine auctoritate publica vix fieri posse.
4. Cf. S. O., 9 mart. 1870, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. VII, p. 27.
5. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 277.
6. Cf. *ibid.*, n. 278.
7. Quinam hi sint exponunt VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 545.

dire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, excommunicationi tandiu subjaceat, quandiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sancta Sede Apostolica absolutionem impetraverit ; quod si ejusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam jure patronatus eo ipso privatus exsistat ; clericus vero, hoc delictum committens vel in eodem consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur » (can. 2346) [1].

Dicitur [2] a) *si quis ;* quicumque is sit, laicus, clericus, religiosus, etiam Episcopus ; sive auctoritate publica agat sive privata.

b) *bona ecclesiastica cujuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia, sive incorporalia.* Sunt ergo bona illa, quae, ad normam can. 1497, § 1 [3] pertinent ad omnia entia moralia *ecclesiastica,* sive rationem personae moralis habeant ex ipsa ordinatione divina aut ex jure communi, sive per formale decretum Superioris ecclesiastici competentis erigantur ad finem religiosum vel caritativum. *Piae fundationes* [4] sunt certo bona ecclesiastica. Legatum pium in patrimonio Ecclesiae versatur, etiam ut bonum incorporale ante traditionem, simul atque morte testatoris dies legati cedit [5]. Non comprehenduntur bona quae ad patrimonium aut quasi-patrimonium privatum clericorum aut religiosorum spectant [6]. Requiritur et sufficit ad constituendum delictum, ut materia sit gravis *ratione furti,* cum omissa sint verba Trid. Synodi [7], quae bona tantum pretiosa vel magni momenti designabant ;

c) *per se vel per alios.* Nihil interest igitur an quis per se agat, an per alium, auctoritate et nomine suo ;

d) *in proprios usus convertere et usurpare.* Verba illa simul sunt sumenda. Proinde haud satis est ad hanc excommunicationem incurrendam, ut quis quoquo modo convertat haec bona in proprios usus, ex. gr., ex furto ; sed requiritur ut quis convertat in proprios usus praedicta bona *modo usurpatorio,* auctoritative, seu quasi jure proprio utens, ideoque bona convertat in proprios usus, quasi ad se pertinentia [8]. Certe hanc

---

1. Cf. const. *Apost. Sed.,* § 1, 11, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1450 ; Trid., Sess. XXII, c. 2, de ref., *ibid.,* p. 342 s. Illi textus, paucis mutatis, in can. 2346 componuntur.

2. Sequemur ut plurimum interpretationem a CAPPELLO traditam, *o. c.,* n. 328 ss. Cf. SOLE, *o. c.,* 305 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 546.

3. Cf. supra, n. 1445 ss.

4. Cf. supra, n. 1499.

5. CAPPELLO, *o. c.,* n. 331.

6. Bonis ecclesiasticis non accensentur *jura stolae,* nisi ad ecclesiam, aut beneficium aut monasterium, seu ad personam moralem ecclesiasticam, pertineant, *ibid.,* n. 334.

7. Sess. XXII, c. 11 de ref.

8. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 385.

excommunicationem contrahunt qui publica auctoritate praefata bona usurpant et de iis disponant ad usus publicos qui merito auctoritati publicae proprios dicuntur [1]. At etiam excommunicatione plectitur privata persona, quae, jus proprium praetendens, potest alienum bonum invadere et ad usus suos convertere. Ideo qui bona ecclesiastica ab usurpatoribus emerint vel alio ex se legitimo titulo donationis, haereditatis, etc. acquisiverint censuram non aufugiunt, cum ea bona quasi ex jure occupent et ad usus proprios convertant [2]. Ita etiam *conductores* fundorum usurpatorum censura tenentur [3] ; at, consiliarii municipales qui bonum aliquod ecclesiasticum a republica aerario addictum *in communes urbis usus* acquirunt a censura eximuntur [4], sicuti et liquidatores, notarii, etc. qui bona usurpata administrant aut vendunt [5] ;

e) *aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur.* Conc. Trid., l. c., habebat : « usurpare praesumpserit *seu* impedire ne » etc., ita ut juxta plures impedire citra usurpationem non intelligeretur. Hic in canone habetur *aut,* quae particula disjunctive, non explicative est intelligenda et duas delicti species exprimit [6].

Impedit sensu canonis atque idcirco subest censurae α) qui vi, fraude, dolo fructibus quibuslibet (sive pendentibus, sive separatis, sive percipiendis, sive exstantibus) eum interdicit, qui in illos jure potitur ; β) qui dolo vel calumnia directe agit, ut v. g., clericus fructus sui beneficii non percipiat, aut iis spolietur a gubernio civili ; γ) qui dolo, fraude, etc., ita agit ut fructus legati pii personis moralibus, ad quas jure pertinent, non cedant ; δ) qui sequestrat, destruit, aut furatur fructus (dummodo ne agatur de fructibus jam *perceptis*) quia ipsi reipsa *impediunt* ne reditus percipiantur ab iis ad quos pertinent [7].

f) *Praesumpserint,* quod verbum refertur tam ad *convertere et usurpare,* quam ad *impedire.*

g) *Absolutio* a censura S. Sedi simpliciter reservata concedi non potest nisi prius delinquens bona ecclesiastica integre restituat, aut impedimentum perceptioni redituum a quibus jure pertinent removeat. Si autem poenitens haec statim agere nequeat, sufficit seria promissio. Quae conditio etiam urget si confessarius utatur facultate absolvendi in casibus urgentioribus ex can. 2254.

---

1. Hoc capite excommunicationem incurrerunt auctores legis separationis Reipublicae Gallicanae a. 1905. Cf. S. Poenit., 20 maii 1908, ap. BOUDINHON, *Biens d'églises et peines canoniques,* p. 155, Paris, 1909.

2. Ita SOLE, *o.* et *l. c. ;* CAPPELLO, *o. c.,* n. 336 ; ejusd. auct. art. in *Jus Pontific.,* 1925, t. V, p. 125 ss. ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 81. Hodie accedit *authentica* confirmatio ex const. Pii XI *Si unquam,* 15 jul. 1924, ad V, ap. *AAS.,* p. 311. Cf. in alium sensum VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 546 ; CREUSEN, in *Nouv. rev. théol.,* 1922, p. 204 ss., et alios ibid. citatos.

3. S. Poenit., 15 jul. 1907, ap. BOUDINHON, *o. c.,* p. 148 s.

4. S. Poenit., 3 jan., 8 mart. 1906 ad I, *ibid.,* p. 141 ss.

5. S. Poenit., 17 sept. 1906, ad I ; 5 aug. 1907, ad II, *ibid.,* p. 148 s.

6. Ita CAPPELLO, *o. c.,* n. 339 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o.* et *l. c. ;* VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.* Cf. in alium sensum SOLE, *o.* et *l. c. ;* anceps haeret COCCHI, *o. c.,* n. 191.

7. Ita CAPPELLO, *o.* et *l. c.*

Quia casus saepius erit *publicus* et non raro necessitas cogat *compositionis* faciendae, saepe absolutio in foro sacramentali non sufficiet et recurrendum erit ad Ordinarium vel ad S. Sedem [1]. Plures instructiones a S. Sede datae sunt de compositione cum illis qui delictum efficaciter et plene reparare nequeunt [2].

1850. — XVIII. **Alienatio bonorum ecclesiasticorum.**

« Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita et reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare *praesumpserit* aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534, § 1, et can. 1532 :

« 1° Si agatur de re cujus pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur :

2° « Si agatur de re cujus pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur patronus jure patronatus ; administrator, munere administratoris ; Superior vel oeconomus religiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas ; Ordinarius vero aliique clerici, officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae ; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum ;

3° « Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit *scienter* praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet *praeterea* excommunicatio latae sententiae memini reservata » (can. 2347) [3].

Hic sufficiunt explicationes superius traditae de vetita alienatione bonorum ecclesiasticorum [4].

Notanda tamen hic sunt a) ut delictum committatur requiritur alienatio *perfecta ;* perfecta autem est cum vi contractus initi *juxta leges uniuscujusque regionis,* ad normam can. 1529, dominium rei de se censeri debet translatum, aut post consensum, aut post traditionem, aut post inscriptionem, juxta diversitatem casuum ; b) verba « *scienter* praetermissum » referuntur tum ad dantes, tum ad recipientes, tum ad consensum praebentes.

1851. — XIX. **Negligentia in adimpletione legati aut donationis ad pias causas.** « Qui legatum vel donationem ad pias causas sive actu

---

1. *Ibid.*, n. 342.
2. Cf. BOUDINHON, *o. c.*, in appendicibus.
3. Cf. const. *Apost. Sed.*, IV, 3, cf. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1474. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 386 ss. ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 404 ss.
4. N° 1482 ss.

inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam, obtinuerit et implere negligat, ab Ordinario, etiam per censuram, ad id cogatur » (can. 2348) [1].

1852. — XX. **Recusatio debitarum praestationum.** « Recusantes praestationes debitas ad normam can. 463, § 1, 1507, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint » (can. 2349) [2].

TITULUS XIV.

DE DELICTIS CONTRA VITAM, LIBERTATEM, PROPRIETATEM BONAM FAMAM AC BONOS MORES.

1853. — I. **Procuratio abortus.** « Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam ; et si clerici sint praeterea deponantur » (can. 2350, § 1) [3].

Textus hujus canonis satis indicat requiri :

a) Proprie dictum *abortum,* seu praematuram foetus humani ejectionem *talem,* ut mors ipsius inde sequi nata sit. Hic ergo non attingitur immediata post copulam seminis ejectio ; nec foetus *mortui* expulsio ; nec etiam *partus praematurus,* uti vocant, quo nempe, prole jam vitali (id quod fit circiter inde a fine septimi mensis gestationis), ejusdem partus, ad praevenienda majora pericula, per artis remedia, aliquantulum anticipatur [4]. Ad *embryotomiam* seu *craniotomiam* quod spectat, vel aliam quamcumque operationem chirurgicam directe occisivam foetus jam vitalis, certum est eam esse graviter illicitam [5] ; sed cum haec operatio potius directum homicidium [6] dicendum sit quam proprie dicta procuratio abortus, non plectitur excommunicatione qua feriuntur procurantes abortum [7].

---

1. Cf. notiones et jus vigens supra, n. 1464 ss. Vide etiam SOLE, *o. c.*, n. 388. Cf. decl. S. C. Conc. 12 apr. 1927, *AAS.*, t. XIX, p. 281.
2. Cf. supra n. 837, 1455 ss.
3. Cf. const. *Apost. Sed.*, II, 2, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1470. Textus erat olim « Procurantes abortum, effectu secuto ». Cf. hac de re WERNZ, *o. c.*, t. VI, 367 s.; HEIDENREICH, *Dissertatio in casum alterum Const. Pii IX,* Moguntiae, 1890 ; *Coll. Tornacen.*, t. XIX, p. 165 ss., p. 271 ss. ; *La Vie diocésaine,* 1921, t. X, p. 329 ss. ; *Theologie und Glaube,* 1923, p. 93 ss. Vide etiam *Conc. Mechlinien. IV,* n. 87.
4. Cf. S. O., 4 maii 1898, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXXI, p. 276.
5. Cf. Decreta S. Off., 28-31 maii 1884, 19 aug. 1889, 24 jul. 1895, quorum tenor invenitur ap. LEHMKUHL, *o. c.*, t. I, n. 848, 844. Cf. etiam decr. cit., 4 mail 1898 ; decret. 5 mart. 1902, ap. *Coll. C. de P. F.*[2], t. II, n. 2131.
6. Ideo qui foeticidium per craniotomiam patrant, poenas homicidarum incurrunt, cf. WERNZ, *o. c.*, t. VI, p. 370, coll. p. 369.
7. WAFFELAERT, *De jure et justitia,* t. II, n. 99 ; GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.*, t. II, n. 607 ; *Nouv. rev. théol.*, t. XVIII, p. 579 ; *Theol. prakt. Quartalschr.*, 1910, p. 586 ss. ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 218 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 385 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 92 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 551 ; COCCHI, *o. c.*,

b) Veram ac proprie dictam abortus *procurationem,* qua nempe quis data opera, sive studio et ex proposito, opere de se efficaci, « percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri praegnanti impositis, aut aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus »[1], efficit ut foetus praematuré ex utero pellatur. Hinc abortus directe voluntarius, non vero indirecte volitus et in causa praevisus, habet poenam[2].

Olim disputabatur num mater in se procurans abortum incurreret in excommunicationem[3] ; huic novo jure expresse subjicitur. Verum praesertim quoad matrem ponitur quaestio num *metus gravis,* quamvis a gravissimo peccato non excuset, excuset *a censura.* Affirmandum est cum plerisque, propter can. 2229, § 3, 3° ubi hoc diserte asseritur[4].

Mandantes et cooperatores poenam incurrunt ad normam can. 2209, § 1-3 et 2231. « Proinde, ait Cappello[5], *mandantes* certe incurrunt ; *consulentes* abortum, item pharmacopolae, remedium ad illum vendentes, excusari nequeunt a censura, si absque eorum opera delictum commissum non fuisset ; *medici et obstetrices* non effugiunt, utpote physice cooperantes in delictum. »

c) *Ut abortus de facto sit secutus,* seu ut ejectio praematura foetus realiter contigerit et quidem certo ex actione procurantis ; non enim incurritur excommunicatio nisi *effectu secuto.* Unde colligitur *a/* quamvis actio procurantis sit de se efficax ad abortum causandum, si tamen foetus praematura ejectio causa quacumque etiamsi miraculosa impediatur, censura non incurritur ; *b/* si ante abortum secutum delinquens factus sit poenitens a quocumque confessario absolvi potest cum censura nondum sit incursa ; post abortum secutum, excommunicatio verius tenet, praesertim ex can. 2209, § 5, ubi legitur : qui suum influxum in delictum patrandum ... non abduxerit *plene,* retractatio minuit, non aufert culpabilitatem. » Atqui delinquens, quantumvis poenitens, ex natura rei suum influxum *plene et efficaciter* abducere nequit ; ergo remanet culpabilitas seu delictum et proin censura[6]. Attamen, practice, cum versemur in odiosis sententiam negantem[7] tuto sequi licet. Nec ille postea, effectu secuto, juxta sententiam

---

n. 198 ; SOLE *o. c.,* n. 390, etc. Alii tamen aliter opiniantur Cf. *Nouv. rev. théol.,* t. XI, p. 31 ; WERNZ, *o. c.,* p. 370 s., cum ibid. cit. ; EICHMANN, *Das strafgesetz des Codex j. c.,* p. 176, Paderborn, 1920.

1. Sixtus V, const. *Effrenatam,* § 1, 29 oct. 1588. Causa potest etiam esse *moralis* indolis, v. gr. terror, dummodo de se vere efficax.

2. Cf. COCCHI, *o.* et *l. c.,* de quibusdam operationibus chirurgicis, quas cum SEBASTIANI non censet esse procurationem abortus. Circa quod omnino consulendus est MERCHELBACH, *Quaestiones de embryologia,* p. 34 ss., Liége, 1927.

3. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o.* et *l. c.*

4. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 385 cum *ibid.* citatis ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.,* n. 1322 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 92 ; COCCHI, *o. c.,* n. 200. In sensum contrarium SOLE, *o. c.,* n. 390.

5. *O. c.,* n. 387.

6. CAPPELLO, *o. c.,* n. 386 ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 92 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 551, etc.

7. Cf. S. ALPHONSUS, *o. c.,* l. VII, n. 40, aliique citati a CAPPELLO. Cf. etiam GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.,* t. II, n. 572.

quam S. Alphonsus [1] certo probabilem vocat, excommunicationem contrahet, utpote jam non contumax eo tempore quo peccatum dici potest opere consummatum ; *c/* si abortus secutus quidem fuerit, sed saltem probabiliter ex alia accidentali causa provenerit, rursus non incurritur censura ; d) *Ordinarius,* cui est reservata haec censura, non est *Ordinarius proprius,* sed quicumque hoc nomine jure venit.

Nota. Omnes qui abortum procuraverint, omnesque cooperatores sunt irregulares ex delicto (can. 985, 4°).

1854. — II. **Suicidium vel conatus suicidii.** « Qui in seipsos manus intulerint, si quidem mors secuta sit, sepultura ecclesiastica priventur ad normam can. 1240, § 1, n. 3 [2] ; secus, arceantur ab actibus legitimis ecclesiasticis et, si sint clerici, suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum, et a beneficiis aut officiis curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus removeantur » (can. 2350, § 1).

1855. — III. **Duellum.** « Servato praescripto can. 1240, § 1, n. 4 [3], duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cujusque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae » (can. 2351, § 1).

« Ipsi vero duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames » (ibid., § 2) [4].

a) *Duellum* [5] *proprie dictum* est pugna quacumque ex causa inita inter

---

1. *O. c.,* l. VII, n. 40.
2. Cf. supra, n. 1234. Cf. *Stat. dioeces.,* n. 159, 1°. Cf. *Arch., f. kath. Kr.,* 1926, t. CVI, p. 587 s.
3. Cf. supra n. 1235.
4. Cf. const. *Apost. Sed.,* II, 3, ap. De Brab.-Van Coillie, *o. c.,* n. 1456. Uterque textus re concordat.
5. Cf. Piat, *o. c.,* p. 134 ss. ; *Nouv. rev. théol.,* t. XXII, p. 582 ss. ; Wernz, o. c., p. 375 ; Hilarius a Sexten, *o. c.,* p. 163 ss. ; *Diction. de théol. cath.,* v° duel ; *Theol.-prakt. Quart.-schrift.,* 1913, t. LXVI, p. 623 ss. ; Schwentner, *Das Zweikampfdelikt in kanonischen Recht,* Münster, 1922 ; ejusd. auct., *Der Codex j. c. und die Mensuren,* in *Theol. und Glaube,* 1923, p. 103 ss. ; Vermeersch, *De duello,* ap. *Period. de religiosis,* 1924-1925, t. XIII, p. 181 ss. ; ejusd. auct., *De hodierna pseudo-philosophia duellorum, ibid.,* 1925-1926, t. XIV, p. 148 s. ; Schorn, *Duell und Mensur,* Köln, 1926 ; *Il monit. eccles.,* 1926, t. XXXVIII, p. 267 ss. ; *Theol. und Glaube,* 1926, p. 308 ss. ; Tzoebl, *Die Mensur im staatlichen und kirchl. Strafrecht,* Gelbe Hefte, t. III, 1927, p. 1, 73 ss. ; *La documentation catholique,* 1927, t. XVIII, col. 1170 ss. — Circa mensuras academicas seu pugnas quae a scholaribus Universitatum Germaniae committuntur, habemus seriem resolutionum S. C. C., 9 aug. 1890, ap. *ASS.,* t. XXIII, p. 234 ; 23 jan. 1904, ap. *Il monit. eccles.,* 1904-1905, t. XVI, p. 49 ss. ; 10 feb. 1923, *AAS.,* t. XV, p. 154 ss. ; 4 april.-13 jun. 1925, *ibid.,* t. XVIII, p. 132 ss. Haec ultima decisio quae omnes praecedentes confirmat in eodem quidem sensu sic effertur : Emi Patres... ad dubium quod sequitur, nimirum : An declarationes S. C. C., anni 1890 et 1923, quibus mensurae in Universitatibus Germaniae usita-

duos vel plures in pari numero[1], privata auctoritate, ex condicto seu ex conventione de tempore, loco et armis, cum periculo occisionis, gravis mutilationis aut vulneris.

Jam vero ad tramites hujus canonis poenam excommunicationis incurrunt :

b) Duellum, sive simplex, sive sollemne[2], *perpetrantes,* aut *simpliciter* ad illud *provocantes,* sive alter acceptet sive non, modo tamen locum, tempus et arma determinent aut saltem horum electionem adversario relinquant ; vel ipsum *acceptantes*[3], licet pugna quacumque ex causa secuta non sit, modo verificentur ea quae de determinatione loci, temporis et armorum dicta sunt[4].

c) *Quamlibet operam aut favorem praebentes,* scilicet duellantium patrini, aut testes, necnon consulentes, dummodo eorum actio in duellum, vel in provocationem, vel in acceptationem influxerit ; mandantes quoque, si mandatum efficax fuerit, nec revocatum fuerit, saltem ante provocationem aut duelli acceptationem ; adjumentum materiale aut commodum quodvis pro tutiori et faciliori sceleris exsecutione, *praebentes.* Tales sunt, v. g. qui litteras provocatorias scribunt, dictant, deferunt, evulgant, imprimunt, aut haec mandant vel suadent ; qui locum armaque designant aut ministrant ; qui duellantes ad locum certaminis ducunt vel comitantur ; qui ipsis animos addunt aliaque praestant quae realem influxum in vetitum factum demonstrant[5]. Tales in specie sunt, et excommunicationem incurrunt α) medicus qui, rogatus a duellantibus, duello assistit cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi — vel qui in domo vicina vel in loco vicino sistit, proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium si duellantibus opus fuerit, quatenus hoc fiat *ex condicto ;* β) confessarius qui ex condicto cum duellantibus,

---

tae, quae speciali nomine *Bestimmungmensuren* vocantur, poenis ecclesiasticis subjiciuntur, illas tantummodo mensuras respiciant, juxta nonnullorum recentiorum sententiam, quae *cum periculo gravis vulneris* committuntur, vel etiam complectantur eas, quae *sine periculo gravis vulneris fiunt in casu,* « responderi mandarunt : *Negative* ad primam partem. *Affirmative* ad alteram. » Quae resolutiones habent vim interpretationis authenticae comprehensivae, quae vim legis non habent sed ligant tantum personas atque afficiunt res pro quibus datae sunt (can. 17, § 3). Et eo majoris ponderis sunt, quo quater fuerunt eodem sensu repetitae, ita ut certe videantur pro tota Germania habere vim obligatoriam, et maxime attendendum prae se ferant momentum pro interpretatione doctrinali. Juvat hic excribere ex synopsi disceptationis (*AAS., l. c.,* p. 136) rationes quibus nititur haec resolutio : « Nominatim in re poenali potest auctoritas legitima decernere eadem mulctari poena actus, in quibus, juxta doctores (qui requirebant periculum gravis vulneris), non verificetur ratio perfecta criminis pro quo directe est poena constituta : sive propter peculiarem relationem, quam hi actus habent cum eo crimine (huic enim favent, immo sunt ejusdem *proxima* praeparatio), sive propter rationem scandali et damni praecavendi (c. 2218) ». Si aliis in adjunctis aliquis iniret pugnam singularem a qua aliena esset gravis vulneris periculum, non incurreret in excommunicationem, seclusa pro casu interpretatione authentica.

1. Ita ut unus adversus alterum dimicet. Cf. SOLE, *o. c.,* n. 393.
2. Hoc est : adhibitis patrinis, arbitris, medicis.
3. Cf. de acceptatione duelli, HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 166 ss.
4. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 380, nota (22).
5. Cf. PIAT, *o. c.,* p. 142.

quin duello sit praesens, sistit in loco vicino paratus ad praebendum suum ministerium si opus fuerit [1].

Juxta plures auctores [2], complices et operam vel favorem praestantes incurrunt excommunicationem, etiamsi duellum reapse secutum non sit, modo provocatio vel duelli acceptatio eorum influxu locum habeat. Hodie tamen sententia communior probabilius contradicit [3].

d) *De industria spectantes,* ii sunt qui, praesentes et aspicientes, duellantes ad pugnam excitare videntur ; non vero illi qui secreto seu ex loco occulto solum spectant, aut obiter et casu transeuntes ex curiositate respiciunt, et alii hujusmodi spectatione sua ad ineundam vel acuendam pugnam nihil conferentes.

e) *Permittentes,* non quivis, sed soli actoritate publica instructi. *vel* pro officio *quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint,* etiam regalis vel imperialis.

1856. — IV. **Coactio ad amplectendum statum clericalem aut religiosum** [4]. « Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes [5], qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporalem » (can. 2352) [6].

a) Coactio injusta fieri potest vel *physice* per vim vel *moraliter* per fraudem, per metum gravem etiam tantum reverentialem, et etiam per preces importunas, dummodo hae coactionem inducant. Coactio potest esse *directa* si fiat personis a quibus deliberationem hujusmodi quis extorquere vult ; aut *indirecta,* v. gr. si fiat conjunctis harum personarum.

b) Requiritur ut effectus sit secutus. Porro status clericalis suscipitur per receptionem tonsurae ; ingressus in religionem habetur per ingressum in novitiatum [7].

1857. — V. **Raptus mulieris.** « Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem *nolentem* vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis *consentientem* quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso jure exclusus habeatur ab actibus legiti-

---

1. Decr. S. O., 28 maii 1884, ap. *Nouv. rev. théol.,* t. XVI, p. 369.
2. Cf. PIAT, *o. c.,* p. 142 s.
3. Ita censent D'ANNIBALE, *o. c.,* t. II, n. 288-290 ; LEHMKUHL, *o. c.,* t. II, n. 949 ; PENNACCHI, *o. c.,* t. I, p. 580 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.,* p. 169 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 347 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 553, etc.
4. Cf. PEZZANI, *De coactione in ordinibus suscipiendis.*
5. Cf. Trid. Sess. XXV, c. 18 de reg., ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.,* p. 347.
6. Excipiuntur soli Cardinales ex can. 2227, § 2.
7. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 417 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 554 ; SOLE, *o. c.,* n. 395.

mis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur » (can. 2353) [1].

Agitur hic de raptu qua delicto, non de raptu qua impedimento matrimonii, et quidem a) de *raptu violentiae,* quae est violenta abductio mulieris invitae, libidinis explendae aut matrimonii contrahendi causa, et b) *de raptu seductionis,* qua abducatur eodem fine puella consentiens minoris aetatis sc. infra vicesimum primum annum expletum, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus. Poena non attingitur violenta mulieris retentio, quae tamen quoad impedimentum matrimonii raptui par habetur [2].

1858. — VI. **Delicta mixti fori.** « Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus [3], venditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae, ipso jure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna » (can. 2354, § 1).

« Clericus vero qui aliquod delictum commiserit de quibus in § 1, a tribunali ecclesiastico puniatur, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis, et, si res ferat, etiam depositione ; reus vero homicidii culpabilis degradetur » (*ibid.*, § 2).

a) Delicta in § 1 enumerata sunt delicta *mixti fori,* in quo utraque potestas, tum laica tum ecclesiastica, aeque competens est, in quibus judicandis et puniendis, si reus laicus est, datur locus praeventioni ; hinc si potestas laica *praeveniat,* Ecclesia illius sententiam, si legitima seu justa ad normam legis regionis fuerit, agnoscit ipsique addit supra citatas poenas.

b) Clericus haec crimina committens subest ecclesiasticae potestati ratione fori, salvo tamen contrario indulto aut contraria consuetudine. Quodsi laica potestas clericum delinquentem puniat, Ecclesia cum aequitate procedit juxta can. 2223, § 3, 2° [4].

c) Quoad notionem canonicam horum delictorum conferantur et canonistae et moralistae [5].

---

1. Cf. Trid. Sess. XXIV, c. 6, de ref. matr., ap. De Brab.-Van Coillie, *o. c.*, p. 344.
2. Cf. De Smet, *De Matrimonio,* ed. 4, n. 654. Cf. Simon, *Les actions du chef de séduction devant les juridictions ecclésiastiques* (XVII[e] et XVIII[e] s.), Bruxelles, 1924.
3. Secluso fine libidinis explendae aut matrimonii contrahendi.
4. Cf. supra n. 1712.
5. De homicidio, cf. Waffelaert, *De jure et just.*, t. II, n. 48 ss., 81 ss. ; Hollweck, *o. c.*, § 162 s. ; Wernz, *o. c.*, p. 362 ss. ; de furto et rapina, cf.

1859. — VII. **Delicta contra bonam famam.** « Si quis non re, sed verbis vel scriptis, vel alia quavis ratione injuriam cuiquam irrogaverit vel ejus bonam famam laeserit, non solum potest ad normam can. 1618, 1938 [1] cogi ad debitam satisfactionem praestandam damnaque reparanda, sed praeterea congruis poenis ac poenitentiis puniri, non exclusa, si de clericis agatur et causa ferat, suspensione aut remotione ab officio et beneficio » (can. 2355) [2].

1860. — VIII. **Bigamia.** « Bigami, idest qui, obstante conjugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames ; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur » (can. 2356) [3].

1861. — IX. **Delicta laicorum contra VI decalogi praeceptum.**

« Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas judicaverit » (can. 2357, § 1).

« Qui publicum aldulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae poenitentiae dederint » (*ibid.*, § 2) [4].

Delicta hic recensita mixti fori omnia sunt ; « ex eis tamen duo sunt quibus pleraeque leges civiles nimis indulgent, sc. adulterium et concubinatus. Immo lege divortii, concubinatus sanctione poenali destituitur et formis legalibus indutus publica auctoritate protegitur. Quare codex, dum in ceteris delictis condemnationi legitimae poenas suas addit, adulterium

---

WAFFELAERT, *o.* et *l. c.*, n. 187 ss. ; HOLLWECK, *o. c.*, § 185 s. ; WERNZ, *o. c.*, p. 392 ss. ; de usura, cf. supra n. 1497 ; WAFFELAERT, *o. c.*, t. I, n. 749 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 402 ss. ; COULTON, *An episode in canon law*, in *Rev. hist.*, 1921, nouv. sér., t. VI, p. 67 ss. ; LAUGHLIN, *De usura et interesse*, ap. *Eph. theol. Lovanien.*, 1925, t. III, p. 229 ss. ; HUERTH, *Um das Wesen von Darlehen und Zins*, ap. *Scholastik*, 1926, t. I, p. 422 ss. Cf. etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 557.

1. Cf. supra n. 1547, 1626.

2. Cf. causa S. R. R. diffamationis, 30 déc. 1912, ap. *Le can. contemporain*, 1916, t. XXXIX, p. 321 ss. ; causa S. R. R., *Lausannen. et Geneven.*, 30 dec. 1912, *ibid.*, 1920, t. XLIII, p. 51 ss. Cf. WAFFELAERT, *o. c.*, t. II, n. 142 ss. ; HOLLWECK, *o. c.*, § 197 s. ; WERNZ, *o. c.*, p. 412 ss. ; SOLE, *o. c.*, n. 399 ss.

3. Bigami recensendi sunt inter publicos et manifestos peccatores, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, cf. can. 1240, § 1, 6°. — De bigamia prout est causa *irregularitatis*, cf. can. 984, 4°.

4. Quoad delicta venerea, cf. HOLLWECK, *o. c.*, § 174 s. ; WERNZ, *o. c.*, p. 383 ss. ; quoad notiones canonicas cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 559 s. Vide etiam moralistas.

publicum et publicum concubinatum ab Ordinariis immediate puniri jubet[1]. »

1862. — X. Delicta clericorum contra VI decalogi praeceptum.

1° « Clerici *in minoribus* ordinibus constituti, rei *alicujus* delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adjuncta id suadeant, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit » (can. 2358).

Clerici proinde, etiam propter admissa crimina contra sextum quae non recensentur in can. praecedenti[2], pro diversa criminis gravitate, mitius aut gravius puniendi sunt, etiam dimissione e statu clericali, ii, nempe quos Ordinarius, omnibus perpensis, judicaverit non posse cum decore ordinis clericalis ad ordines promoveri[3]. Praeterea, si crimen a clerico in minoribus constituto admissum eorum sit quae in can. 2357 recensentur, iisdem poenis debet coerceri.

2° « Clerici in *sacris* sive saeculares sive religiosi *concubinarii*[4], monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare, suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181[5] » (can. 2359, § 1).

« Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur » (*ibid.*, § 2).

« Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant » (*ibid.*, § 3).

TITULUS XV.

DE CRIMINE FALSI.

1863. — Praenotanda. 1° Crimen *falsi* communiter definitur[6] : a) dolosa b) veritatis immutatio vel suppressio c) in damnum alterius aut sui

1. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 559.
2. Verbi gratia fornicatio, actus etiam inconsummatae luxuriae.
3. Cf. can. 212, § 1 ; 1363, § 1.
4. Cf. supra n. 1674, ubi datur discrimen inter concubinarium stricte dictum et concubinarium praesumptum.
5. Cf. supra, n. 1675 s.
6. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 410 ; HOLLWECK, *o. c.*, § 197 ; WERNZ, *o. c.*, p. 412 ss.

commodum [1] facta. Tria illa elementa concurrere debent ut crimen falsi stricto sensu habeatur.

2° Variis modis fieri potest : a) *dicto,* ita falsi testes ; b) *facto et usu,* ita falsificatores monetarum, mercium ; c) *usu,* ita utentes falsis litteris ; d) *scripto,* ita falsificatores scriptorum.

3° Codex, relicta juri civili damnatione falsificationis monetarum, ponderum, mercium, agit tantum de falsificatione documentorum ecclesiasticorum et de falsa denunciatione sollicitationis [2].

1864. — I. **Fabricatio aut falsificatio litterarum Apostolicarum.** « Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam » (can. 2360, § 1).

« Clerici delictum de quo in § 1 committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt ; religiosi autem priventur omnibus officiis quae in religione habent et voce activa et passiva, praeter alias poenas in propriis cujusque constitutionibus statutas (*ibid.*, § 2) [3].

a) Excommunicatione attinguntur *fabricatio* seu integra confectio litterarum, earum *falsificatio* seu quaevis adulteratio in re substantiali ; earum *usus* seu exhibitio ut effectum habere possint, etsi de facto, falsitate v. gr., deprehensa, non habeant.

b) Verbis *litterae, decreta vel rescripta Sedis Apostolicae* intelliguntur omnia et singula acta publica quae sub forma litterarum, decreti aut rescripti [4] a Sede Apostolica seu a R. Pontifice et a Dicasteriis Romanis expediuntur [5].

c) Necesse est ut quis his actis utatur *scienter.* Falsificatores qui praeterea utuntur documentis falsis aut falsatis, ex duplici capite hac censura tenentur.

1865. — II. **Obreptio vel subreptio in precibus ad rescriptum.** « Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum *fraude* vel *dolo* verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri salvo praescripto can. 45, 1054 » (can. 2361) [6].

1866. — III. **Falsificatio aliorum documentorum ecclesiasticorum.**

---

1. Licet per accidens neutrum sequatur.
2. De crimine falsi in judicio, cf. can. 1743, § 3 ; 1755, § 3 ; 1624 ; 1625 ; 1626.
3. Cf. const. *Apost. Sed.*, I, 9, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1448. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 412 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 280.
4. Cf. supra, n. 22 s., 289.
5. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 412 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 281.
6. Cf. ea quae supra exponuntur de rescriptis, n. 289 ss., 295 ss.

« Litterarum vel actorum ecclesiasticorum tam publicorum quam privatorum [1] fabricatores vel falsarii vel hujusmodi documentis scienter utentes, pro gravitate delicti coerceantur, firmo praescripto can. 2406, § 1 [2] » (can. 2362).

Agitur hic de actibus cujusvis auctoritatis ecclesiasticae Sede Apostolica inferioris, ut sunt acta Episcoporum, documenta paroecialia, etc.

1867. — IV. **Falsa denuntiatio sollicitationis.** « Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi et diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894 » (can. 2363) [3].

Cum ex professo agatur de crimine sollicitationis in tractatu de poenitentia, haec explicationis causa sufficient :

Dicitur a) *Si quis per seipsum aut per alium,* dummodo influxus in alius denuntiationem sit efficax ;

b) *de sollicitationis crimine ;* agitur de crimine sollicitationis ad turpia, de quo agunt etiam can. 904 et 2368 ;

c) *apud Superiores,* qui sunt ex can. 894 *loci Ordinarius* vel *S. Officium;* non vero Vicarius Generalis, nisi sit speciali mandato instructus ;

d) *falso* seu calumniose, unde necesse est ut *ex dolo* vel *gravi culpa* denuntiatio fiat ;

e) *denuntiaverit* nempe *juridice* seu *judicialiter,* h. e. coram Episcopo ejusve Delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, et cum juramento necnon cum expressione et subscriptione sui nominis [4] ;

f) A qua nequit *ullo in casu* absolvi nisi α) falsam denuntiationem retractaverit *formaliter,* i. e., per se coram Superiore ejusve delegato facienda est et scripto consignanda [5] ; β) damna reparaverit *pro viribus ;* cum haec autem plerumque statim reparari nequeant, satis erit poenitenti reparationem possibilem statim perficere, reliquam vero serio promittere ; γ) imponatur *gravis* et *diuturna* poenitentia [6] ;

g) firmo praescripto can. 894, qui decernit peccatum falsae denuntiationis esse *ratione sui* reservatum Sanctae Sedi. Cum censura sit reservata

---

1. Cf. supra n. 1585.
2. Quoad falsificationem vel adulterationem documentorum ab iis peractam qui officio tenentur ea conficere, conscribere, conservare.
3. Cf. CERATO, *De crimine sollicitationis,* Patavii, 1922 ; DE SMET, *De absolutione complicis et sollicitatione,* Brugis, 1921 ; CAPPELLO, *o. c.,* n. 284 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 565.
4. Cf. Inst. S. O., 20 feb. 1867, n. 6, ap. DE SMET, *o. c.,* n. 196 ; 20 jul. 1890, *ibid.,* n. 202. Cf. CAPPELLO *o. c.,* n. 289, nota (189).
5. Quomodo facienda sit in periculo mortis aut in casu urgenti vide ap. COCCHI, *o. c.,* n. 226 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.,* ; DE SMET, *o. c.,* n. 128.
6. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 290 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

S. Sedi *speciali modo*, merito censetur peccatum, jure novo, eodem modo esse reservatum, non vero, ut antea *specialissimo modo* [1]. *Reservatio casus*, contra ac censurae, ignorantia poenitentis effectu suo non privatur [2], admissa tamen probabilitate oppositae sententiae [3]. At igorantia rarissime aderit eo quod judex denuntiantem certiorem facere debet de hac reservatione.

TITULUS XVI.

DE DELICTIS IN ADMINISTRATIONE VEL SUSCEPTIONE ORDINUM ALIORUMQUE SACRAMENTORUM [4].

1868. — I. **Sacramentorum administratio indignis.** « Minister qui *ausus fuerit* Sacramenta administrare illis qui jure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis Sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua hujus generis delicta jure statutis » (can. 2364).

a) *Jure divino* Sacramenta recipere prohibentur infideles nisi agatur de baptismate ; ii qui rite dispositi non sunt quoad sacramenta mortuorum ; ii qui sunt in statu peccati mortalis quoad sacramenta vivorum. *Jure vero ecclesiastico* a sacramentis suscipiendis arcentur qui sectis acatholicis etiam bona fide adscripti sunt (can. 731, § 2) ; qui excommunicatione (can. 2260, § 1) vel interdicto personali (can. 2275, 2°) innodantur ; saltem ab Eucharistia, publici peccatores (can. 855, 1°) [5] ; ab Ordinibus vero irregulares et impediti.

b) *Peculiares poenae* a jure statutae sunt : suspicio de haeresi pro illis qui communicant in divinis cum haereticis, ex can. 2316 ; excommunicatio pro illis qui in divinis communicant cum excommunicato vitando, ex can. 2338, § 2.

1869. — II. **Administratio confirmationis sine facultate.** « Presbyter qui nec a jure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens sacramentum confirmationis ministrare *ausus fuerit*, suspendatur ; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi *praesumpserit*, eadem facultate eo ipso privatus exsistat » (can. 2365) [6].

---

1. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 291.
2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.* ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 72.
3. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 1320 ; COCCHI, *o. c.*, n. 225.
4. Cf MURPHY, *Delinquencies and penalties in the administration and reception of the Sacraments*, Washington, 1923, Cf. C. Conc., 18 nov. 1922, ap. *Il monitore eccles.*, 1923, p. 237 s.
5. Quoad occultos peccatores, cf. can. 855, 2°.
6. Cf. can. 782, § 2. DE SMET, *De Sacramentis in genere, Baptismo et Confirmatione*, ed. altera, n. 399, 400, 401, Brugis, 1925.

1870. — III. **Administratio poenitentiae sine jurisdictione.** « Sacerdos qui sine necessaria jurisdictione *praesumpserit* sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis ; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus » (can. 2366).

Dicitur a) quoad primum casum : sacerdos qui praesumpserit *audire* confessiones ; hinc in censuram incurrit etiam qui non absolvit aut qui fingit absolvere ;

b) *sine necessaria jurisdictione.* In casu dubii positivi et probabilis sive juris sive facti, usus jurisdictionis quam ad cautelam supplet Ecclesia semper est licitus[1]. Quid, si jurisdictio certa desit, etsi Ecclesia suppleat ob errorem communem ? *In casu necessitatis vel saltem rationabilis causae* sese habentis ex parte poenitentis, confessarius carens jurisdictione potest uti suppletione Ecclesiae et in poenam non incurrit ; extra hunc casum res controvertitur. Nobis probabilior sententia videtur quae hunc confessarium eximit a praedicta suspensione, cum in errore communi certissime suppleat Ecclesia et ideo non careat hujusmodi absolvens necessaria potestate[2].

c) *A peccatis reservatis,* h. e., a peccatis reservatis ratione sui aut ratione censurae[3] sive jure communi, sive jure particulari.

d) In utroque casu requiritur *praesumptio ;* ideo ab hac suspensione excusat ignorantia etiam crassa vel supina, non tamen affectata.

1871. — III. **Absolutio complicis in peccato turpi.**

1° « Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam ; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessionem, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri » (can. 2367, § 1).

2° « Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est » (*ibid.*, § 2)[4].

---

1. Cf. supra, n. 482.

2. Cf. VERMEERSCH, *Epitome jur. can.*, t. II, n. 157 ; COCCHI, *o. c.*, n. 229. Cf. tamen in alium sensum praesertim CAPPELLO, *o. c.*, n. 544.

3 Cf. CAPPELLO, *o.* et *l. c.*, qui refellit opinionem VERMEERSCH et CREUSEN censentium hic agi tantum de peccatis *ratione sui* reservatis. Cf. COCCHI, *o. c.*, n. 229.

4. Cf. const. *Apost. Sed.*, § 1, n. 10 ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1449 ; DE SMET, *Tractatus de sollicitatione et de absolutione complicis,* ed. altera, Brugis, 1921 ; ARENDT, *De absolutione complicis,* in *Jus Pontificium,* 1923, t. III, p. 22 ss. ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 163 ss. ; NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.*, n. 55 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 570.

Cum ea quae ad hanc censuram spectant explicantur in praelectionibus theologiae moralis, pauca tantummodo hic proponuntur. Dicitur nempe[1] :

a) *absolvens,* ergo qui *audit* confessionem complicis, at non absolvit non plectitur censura ; nec qui absolvit complicem qui a peccato complicitatis *directe* jam fuit absolutus[2] ;

b) vel *fingens absolvere,* seu ita simulans quovis modo absolutionem, ut *poenitens* erronee putet se vere absolvi.

In textu const. *Sacramentum Poenitentiae* Bened. XIV[3] ponebatur « *praesumentes absolvere* » ; illud verbum non comparat in const. *Apost. Sed.,* nec in Codice. Unde non excusat ignorantia crassa seu supina; contra excusat ignorantia simpliciter culpabilis, cui assimilatur inadvertentia, aut mentis perplexitas.

c) *Complicem.* Complicitas qualificata de qua hic agatur est in eamdem actionem inhonestam externus mutuusque consensus confessarii et alius personae sive viri, sive feminae, sive puberis sive impuberis. Ut habeatur peccatum complicitatis, oportet ut α) peccatum sit materialiter et formaliter *grave* et quidem ex utriusque parte[4] ; ita delictum non exsistit si committatur cum persona amente, dormiente, decepta, ignorante ; β) ut peccatum sit ex parte utrius *externum* et grave *qua tale ;* deest proinde complicitas si committatur peccatum internum, etiam externe manifestatum, aut si persona cum qua sacerdos peccat *exterius* resistat, licet *interius* consentiat, aut si merito dubitetur utrum peccatum fuerit grave quoad opus externum ; γ) ut non adsit tantummodo cooperatio, quamtumvis proxima, ad peccatum alterius, v. gr., praebendo alteri librum inhonestum, sed ut verificetur complicitas immediata in ipsa actione turpi. Attamen si actus seu verba quibus cooperatio exprimitur sint *graviter ac mutuo inhonesta,* ut vix non semper accidere solet, certe habetur complicitas, non quidem ratione cooperationis, sed ratione eorumdem actuum seu verborum quae externam ac mutuam culpam gravem ex se ipsis constituunt[5].

d) *In peccato turpi.* Peccatum turpe intelligitur quodvis peccatum contra sextum praeceptum, sive consummatum, sive non consummatum, ex utraque parte *certum, grave* et *externum*[6]. Nec requiritur ut peccatum commissum sit *post sacerdotium ;* etiam urget prohibitio et censura si absolvitur complex quocum confessarius peccaverit ante ordines sive sacerdotium.

e) *Etiam in mortis articulo,* cui certo aequiparatur *periculum mortis*[7]. In articulo mortis sacerdos ex can. 884 *valide* absolvit, at illicite et contrahit censuram. Excipiuntur quatuor casus[8] ; α) si nullus alius sacerdos adsit aut vocari possit ; β) si alius sacerdos confessionem excipere recuset;

---

1. Cf. can. 884.
2. Quoad liceitatem, cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 186.
3. Ad calcem codicis.
4. Non tamen requiritur ut uterque operetur ; sufficit ut unus agat, et alter externe consentiendo passive se habeat. Consensum autem exterius manifestare censetur, qui externe non resistit. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 175.
5. Ita recte NOLDIN-SCHOENEGGER, *o. c.,* n. 54.
6. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 177.
7. Cf. v. gr. can. 884.
8. CAPPELLO, *o. c.,* n. 180 ; cf. etiam VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 570.

γ) si alius quidem sacerdos vocari quidem possit, at non sine scandalo vel infamia[1] moribundi et sacerdotis complicis ; δ) si moribundus recuset alteri sacerdoti confiteri. Plures theologi tenent, praeterquam in articulo mortis, licere sacerdoti complicem absolvere etiam *in gravissima* hujus *necessitate,* v. gr., si ob loci circumstantias, quod praesertim in missionibus contingere potest, complex alium sacerdotem habere nequeat, nec spes sit eum unquam adfuturum. Multi idem censent de casu quo sacerdos non possit *sine gravissimo infamiae periculo ineluctabili* ab excipienda confessione complicis et danda absolutione abstinere. Casus erit sacerdotis qui aliter ab absolvendo abstinere nequit, quin suum peccatum revelet poenitenti complici, quatenus huic ignota est atque ignota manebit complicitas sacerdotis, qui supponitur cum poenitente peccasse, v. g., alieno habitu indutus[2].

f) *Eamdem excommunicationem non effugit absolvens* qui directe aut indirecte complicem induxerit ad peccatum complicitatis reticendum. « *Directe* autem confessarius inducit poenitentem quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. g. illud jam novit et declaratio illius esset inutilis. *Indirecte* vero inducit, quando confessarius suadere conatur[3] poenitentem, sive quod actio turpis cum eo commissa non sit peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat ; unde poenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera abstinet[4]. »

1872. — V. **Delictum sollicitationis**[5].

1° « Qui sollicitationis crimen de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro rei gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subjiciatur » (can. 2368, § 1).

2° « Fidelis vero, qui *scienter* omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus,

---

1. Ratio infamiae aut scandali debet esse vera seu talis ut prudenter praevideatur exoritura. Juxta Bened. XIV infamia debet esse publica et communis aut saltem ad plures extensa. Certe non sufficit timor dedecoris apud alium confessarium incurrendi.

2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 182 ; COCCHI, *o. c.*, n. 233 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.* ; DE SMET, *o. c.*, n. 12 ; qui auctores examinant praeterea quaestionem num absolutio in casu sit *directa* vel *indirecta.*

3. Post patratum peccatum quod supponitur ab eo commissum fuisse tanquam formaliter grave.

4. S. Poeniten., 19 febr. 1896, ap. *Nouv. rev .théol.*, 1896, t. XXVIII, p. 205 : ex quo decreto desumpta est § 2 can. 2367.

5. Cf. CERATO, *De delicto sollicitationis,* Patavii, 1922 ; cf. auctores cit. supra p. 268, n. 3 ; WERNZ, *o. c.*, p. 441 ; SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. V, p. 228 ; GÉNICOT-SALSMANS, o. c., t. II, n. 394 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, n. 187 ss. ; t. III, n. 571.

nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit » (*ibid.*, § 2) [1].

a) Ad normam can. 904, crimen sollicitationis committit sacerdos qui personam quamlibet quovis modo ad peccatum grave contra castitatem inducere conatur in actu aut occasione vel sub praetextu confessionis [2].

b) Nulla poena latae sententiae contra gravissimum hoc crimen statuta est, sed omnes poenae sunt ferendae sententiae, quae quidem ferendae sunt servata proportione ad gravitatem delicti post denuntiationem fidelibus sollicitatis impositam et servatis normis judicialibus in Instr. S. O., 20 febr. 1866 statutis [3] ; quod quidem factum est ad tuendum, quantum possibile est, confessarium a falsis denuntiationibus, cum nullus alius testis haberi possit praeter poenitentem, cumque jus habeat sacerdos denuntiatus ut huic unico testi non credatur, nisi prius res prudentissime et strictissime discussa sit in foro judiciali [4].

c) Solus poenitens sollicitatus confessarium sub poena excommunicationis denuntiare tenetur. Ab hac poena incurrenda excusatur omnis causa imputabilitatem imminuens ad normam can. 2229, § 2 [5].

1873. — VI. **Violatio sigilli aut secreti confessionis.**

1° « Confessarium, qui sigillum sacramentale *directe* violare *praesumpserit*, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata ; qui vero *indirecte* tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1 » (can. 2369, § 1).

a) *Sigillum sacramentale* [6] est inviolabilis religionis et justitiae obligatio ex jure naturali divino et positivo, confirmante jure ecclesiastico, confessariis imposita servandi secretum circa ea omnia quae *ex scientia sacramentali* cognoscuntur, ex ea nempe scientia quae confessario a poenitente datur circa peccata et dispositiones, in ordine ad absolutionem sacramentalem [7].

b) *Directe* violat sigillum confessarius, qui revelat cum designatione personae [8] ea quorum cognitionem ex scientia sacramentali acquivisit.

Indirecta vero violatio sensu proprio habetur, ubi revelatio ista ex modo loquendi aut reticendi, faciendi aut omittendi confessarii deduci, divinari aut suspicari possit, aliis verbis quando sermone aut silentio,

---

1. Cf. const. *Apost. Sed.*, IV, 4, ap. De Brab.-Van Coillie, *o. c.*, n. 1475.
2. Vermeersch-Creusen, *o. c.*, t. II, n. 571.
3. *Coll. de P. F.*, n. 1282.
4. Cocchi, *o. c.*, n. 235 ; Sole, *o. c.*, n. 424.
5. De ipsa denuntiationis obligatione, cf. moralistae. Cf. etiam Cocchi, *o. c.*, n. 237 ss. ; Vermeersch-Creusen, *o. c.*, t. II, n. 191 ss. ; De Smet, *o. c.*, n. 88 ss.
6. Cf. Honoré, *Le secret de la confession, étude historico-canonique*, Bruges, 1924 ; *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 384 ss. ; Vermeersch-Creusen, *o. c.*, t. II, n. 167 ss. ; t. III, n. 572 ; Cappello, *o. c.*, n. 189.
7. Cf. *Collat. Brugen.*, l. c.
8. Sive eam nominando, sive eam ex adjunctis manifestando.

actione aut omissione periculum exsurgit ne aliis manifestetur ea scientia quam confessario dedit poenitens in confessione suorum peccatorum aut dispositionum in ordine ad obtinendam absolutionem. Istud fiet, quando vel materia narratur sine aperta personae designatione sed cum periculo hanc manifestandi vel quando persona designatur sine materiae indicatione, sed cum periculo ingerendi suspicionem materiae [1].

Ut violatio indirecta sigilli non est habendus usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis [2], excluso quovis revelationis periculo. Qui usus a can. 890 prohibetur at nullis poenis additis ;

c) In utroque casu requiritur *praesumptio ;*

d) Poena excommunicationis specialissimo modo R. P. reservatae est latae sententiae ex modo quo reservatur [3].

2° « *Quicumque* praescriptum can. 889, § 2 *temere* violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena quae potest esse etiam excommunicatio » (can. 2369, § 2).

Vi can. 889, § 2 obligatione servandi sigillum, praeter confessarium tenentur :

a) *interpres* forte ad confessionem instituendam adhibitus ;

b) *Aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit,* nempe α) Superior a quo confessarius facultatem petit absolvendi a casu aliquo reservato ; β) quicumque a confessario consulitur cum poenitentis licentia ; γ) quicumque consulto, aut casu, quantumvis sine culpa, audit aliquid de actuali confessione quam poenitens instituit ;) omnes quibus aliquid directe vel indirecte, culpabiliter vel inculpabiliter, de scientia sacramentali communicatum est [4].

1874. — VII. **Episcopi consecratio sine apostolico mandato.** « Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vero vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953 [5], ipso jure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit » (can. 2370).

1875. — VIII. **Simonia in sacramentis administrandis vel recipiendis.** « Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines *scienter* promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta

---

1. Ita fere VERMEERSCH, *Epitome*, t. II, n. 167. Nullo modo concordant auctores in determinatione hujus modi indirecti violandi sigillum. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 194 qui etiam includit in notione violationis indirectae quae prohibuit Instr. S. O., 9 jun. 1915, ap. *Nouv. rev. théol.* 1921, p. 165, p. 531 ; 1922, p. 263. Cf. etiam SOLE, *o. c.*, n. 426 ; WERNZ, *o. c.*, p. 442 ss.

2. Cf. *Coll. Brugen., l. c.*, p. 391 ss. ; 1926, t. XXVI, p. 130 s.

3. Cf. supra n. 1708, 4°.

4. Cf. *Coll. Brugen.*, t. XXVI, p. 128 ss.

5. Reservans Romano Pontifici consecrationem episcopalem per se vel per alium ex ejus mandato.

ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi ; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam » (can. 2371).

a) Agitur hic de simonia juris divini, quae est in casu studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali administrationem aut receptionem sacramentorum [1] ;

b) ubi sermo est de *ordinibus* conferendis vel suscipiendis, excluditur probabiliter collatio vel susceptio tonsurae [2] ;

c) suspicionem de haeresi contrahunt omnes delinquentes praeter Cardinales ; suspensionem vero omnes et soli *clerici,* exceptis Cardinalibus et Episcopis [3].

1876. — IX. **Ordinum susceptio ab indigno ministro.** « Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico ; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti, donec dispensetur » (can. 2372) [4].

a) Prima pars hujus canonis clara est. In ordinibus non comprehenditur tonsurae receptio, nec probabilius consecratio episcopalis [5].

b) Secunda pars ita est intelligenda ut qui bona fide, proin absque culpa, ordinem receperint ab indigno ministro, *prohibeantur* simpliciter ab exercendis functionibus ordinis suscepti adeoque peccent si illas exerceant. Haec autem prohibitio ab Ordinario proprio dispensatione tolli potest.

1877. — X. **Illicita ordinum collatio.**

« In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt :

1° « Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint » (can. 2373, 1°) [6].

Litterae dimissoriae sunt scriptum quo Ordinarius subditi promovendi alieno Episcopo licentiam concedit ordines ei conferendi [7].

---

1. Cf. supra n. 1098, 1106 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 509 ss., 511. Ibidem examinatur quaestio num clerici emolumenta exigentes, occasione administrationis sacramentorum, absque canonico titulo aut praeter taxam praefinitam committat simoniam.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 510.
3. *Ibid.*
4. Cf. const. *Apost. Sed.*, V, 6, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1482.
5. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 514.
6. Cf. const. *Apost. Sed.*, V, 3, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1479.
7. Quinam illas litteras possint concedere pro clericis saecularibus dicitur can. 958, pro religiosis vero can. 964. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, n. 241.

2° « Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, n. 4, 994 » (*ibid.*, 2°) [1].

a) *Litterae testimoniales* seu commendatitiae sunt litterae quibus Ordinarius fidem facit de ordinandi natalibus, aetate, vita, moribus, ordinibus jam susceptis ut cognoscatur ipsum carere irregularitate aut impedimento, dignumque esse cui ordines conferantur. Quibus legitime deficientibus, opus est juramento suppletorio (can. 994, § 2).

b) Tempus moraliter continuum quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere est, *regulariter,* pro militibus *trimestre,* pro aliis *semestre* post pubertatem (can. 994, § 1) [2].

3° « Qui aliquem ad ordines majores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7 » (*ibid.*, 3°) [3].

Titulus canonicus est, legitime constituta, secura pro tota ordinati vita et vere sufficiens cautio ad ipsius congruam sustentationem. Hujusmodi titulus *pro clericis saecularibus* est beneficium, patrimonium, pensio (can. 979, § 1) ; his deficientibus est titulus servitii dioecesis, et in locis missionum, titulus missionis (can. 981, § 1) ; *pro regularibus* vero est titulus paupertatis (can. 982, § 1) ; *pro religiosis votorum simplicium perpetuorum* est titulus mensae communis, Congregationis, vel alius similis (*ibid.*, § 2) ; *ceteri religiosi* jure saecularium reguntur (*ibid.*, § 3).

4° « Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissioralibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can. 966 » (*ibid.*, 4°).

Quod praescriptum ex can. 966 sufficienter explicatur [4].
Poena ferit tantummodo ordinantem [5].

1878. — XI. **Illicita ordinum receptio.** « Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum [6] ad ordines *malitiose* accesserit, est ipso facto ab recepto ordine sus-

---

1. Cf. const. *Apost. Sed., l. c.*
2. Cf. S. O., 11 maii 1892 ; S. C. Conc., 9 sept. 1893 et 26 jan. 1895, ap. *Nouv. rev. théol.*, t. XXVI, p. 9, 317 ; t. XXVII, p. 360 s. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, n. 263.
3. Cf. const. *Apost. Sed.*, V, 2, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1478. Ratio discriminis inter utrumque textum patet ex can. 980, § 2 et 3.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, n. 241 ; t. III, n. 576.
5. Quoad poenas latas in *Superiores* religiosos agentes contra praescriptum can. 965-967, cf. can. 2410.
6. Cf. Trid., Sess. XXIII, c. 14 de ref.

pensus ; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adjuncta puniatur » (can. 2374).

Notandum tantum venit : a) verbum *malitiose* referri ad omnes casus in can. expressos. Malitia idem est ac mala fides graviter culpabilis [1] ; b) Promotum per saltum seu uno alterove ordine praetermisso, non posse ministrare in ordine suscepto antequam ordinem omissum post obtentam absolutionem receperit.

1879. — XII. **Celebratio matrimonii mixti absque dispensatione.** « *Catholici* qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire *ausi fuerint,* ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et Sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint » (can. 2375).

Post contractum valide, etsi illicite, matrimonium mixtum, conjux catholicus, si vera resipiscentiae signa dederit et cautiones de educatione catholica liberorum, quantum in se est, praestiterit, ad sacramenta admitti potest, non autem ad actus legitimos et ad sacramentalia ante dispensationem Ordinarii [2].

TITULUS XVII.

DE DELICTIS CONTRA OBLIGATIONES PROPRIAS STATUS CLERICALIS VEL RELIGIOSI.

1880. — I. **Omissio a sacerdote examinis triennalis.** « Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen de quo in can. 130 [3] facere *renuerint,* ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur » (can. 2376).

Vox *renuere* non significat meram negligentiam sed positivam renitentiam, post Ordinarii monitiones.

1881. — II. **Absentia ex contumacia a collationibus seu conferentiis.** « Sacerdotes contra praescriptum can. 131, § 1 [4] *contumaces,* Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat ; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat » (can. 2377).

---

1. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 546.
2. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 578 ; SOLE, *o. c.*, n. 436.
3. Cf. supra, n. 362, 2°.
4. Cf. *ibid.*, 3°.

Contumacia supponit canonicas monitiones.

1882. — III. **Neglectus rituum ac caeremoniarum in sacro ministerio.** « Clerici majores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate » (can. 2378).

a) Punienda est gravis et cum contumacia conjuncta rituum et caeremoniarum negligentia quae scandalum pariat vel decorem cultus divini graviter laedat vel contemptum aut defectum fidei sapiat, praesertim in S. Missae sacrificio litando et in Sacramentis conficiendis et administrandis [1];

b) Puniendi sunt ab Ordinario loci clerici majores hac in re graviter delinquentes tum *saeculares,* tum *religiosi,* licet exempti, qui extra suam domum aut in suis ecclesiis publicisque oratoriis ministerio sacro fungantur [2].

1883. — IV. **Contemptus cultus exterioris ecclesiastici.** « Clerici, contra praescriptum can. 136, habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem non gestantes, graviter moneantur ; transacto inutiliter mense a monitione, quod ad clericos *minores* attinet, servetur praescriptum ejusdem can. 136, § 3 ; clerici autem *majores,* salvo praescripto can. 188, n. 7 [3], ab ordinibus receptis suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur » (can. 2379).

De obligatione deferendi habitum ecclesiasticum et tonsuram sufficienter supra diximus [4]. Notandum venit *vitae genus a statu clericali alienum* esse, v. gr., capessere militiam, medicinam exercere, artes viliores obire, etc.

Ad rem faciunt litterae circulares S. C. Conc., 1 jul. 1926 [5] de sacerdotibus valetudinis vel rusticationis animique causa extra suam diocesim se conferentibus. Quarum vigore, Ordinarii locorum, ut praefati sacerdotes, etiam ergo peregrini, « facilius in officio contineantur, opportunas poenas constituant quibus afficientur si scandalum dederint, vel si quoquo modo aliquid egerint quod sacerdotali munere indignum sit. Comminari etiam possunt *suspensionem ipso facto incurrendam* si publica theatra, cinematographa, ludos saltatorios ceteraque hujusmodi profana spectacula adeant, vel si talarem vestem deponant. Denique poenis, ad sacrorum canonum praescripta, hos ecclesiasticos reapse multent, si hujusmodi praescriptis ceterisque Ecclesiae legibus non obtemperaverint. »

---

1. Cf. can. 818 ; Trid., Sess. VII, c. 13 de sacr. ; COCCHI, *o. c.,* n. 252.
2. Cf. can. 1261.
3. Cf. supra, n. 426, quoad tacitam renuntiationem officiis ecclesiasticis.
4. Cf. supra, n. 367.
5. Cf. *AAS.,* t. XVIII, p. 312 s. ; *Collat. Brugen.,* t. XXVI, p. 426 ss.

Praeterea hic recolendae sunt sanctiones quas, ut haec praescripta de cultu externo ecclesiastico stricte serventur, promulgavit Conc. Mechlinien. IV, decret. 131, 4° : « Si quis clericus, in majoribus ordinibus constitutus, vestibus *laicalibus ad finem inhonestum* indutus in publicum prodit, ipso facto suspensionem a divinis incurrit » ; decr. 133, 4° : « Clerici qui sine justa causa tabernam cujusvis generis ingressi fuerint, vel ibi scandalose se gesserint, sciant se, absque ulteriore monitione, poena ad arbitrium Ordinarii loci corripiendos esse » ; decr. 136, 3° : « Si quis clericus, in majoribus ordinibus constitutus, graves illas prohibitiones (de non adeundis spectaculis in publico theatro aut in locis publicis vulgo *cinema* dictis) transgreditur, ipso facto suspensionem a divinis incurrit. » Cf. etiam *Stat. dioec.*, a. 1926, n. 3, 38, 39.

1884. — V. **Prohibitum exercitium mercaturae vel negotiationis.** « Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se vel per alios exercentes contra praescriptum can. 142 [1], congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur » (can. 2380).

1885. — VI. **Violatio legis residentiae.** « Qui officium, beneficium, dignitatem obtinet cum onere residentiae, si illegitime absit :

1° Eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimae absentiae, eosque tradere debet Ordinario, qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat ;

2° Officio, beneficio, dignitate privetur, ad normam can. 2168-2175 » (can. 2381).

a) Lege residentiae [2] tenentur omnes qui officium, vel beneficium obtinent cum cura animarum omnesque illi qui officium, beneficium aut dignitam habent quibus ex jure vel ex fundatione haec obligatio adnexa est. Sunt autem Cardinales Curiae, Cardinales Episcopi suburbicarii, Episcopi residentiales eorumque vicarii, parochi, canonici. Hac autem lege tenentur juxta modum et mensuram a jure statutam. Excipiuntur tamen a poenis incurrendis Cardinales [3]. Poenae hujus canonis etiam tenent in foro externo, in casu non-residentiae non graviter culpabilis vel materialiter tantum non formaliter culpabilis et notoriae, quousque non probatur defectus seu absentia deliberatae voluntatis violandi legem ; nam posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur [4].

b) Delinquens contra legem residentiae tenetur tradere *Ordinario* fructus quibus privatur ; attamen si ita agere non possit quin sese infamet, ipse per se fructus distribuere potest ecclesiae vel loco pio vel pauperibus.

---

1. Cf. supra n. 385 ss.
2. Cf. supra, n. 839 ss.
3. Cf. Cocchi, *o. c.*, n. 255.
4. Cf. *causa Toletana et aliarum* S. C. Conc., 10 jul. 1920, ad 2, *AAS*, t. XII, p. 357.

c) Privatio fructuum pro rata illegitimae absentiae ipso facto et ante omnem sententiam judicis locum habet[1].

d) De procedura contra clericos non residentes cf. supra n. 843.

1886. — VII. **Neglectus in adimpletione officii paroecialis.**

1° « Si parochus graviter neglexerit Sacramentorum administrationem, infirmorum assistentiam, puerorum populique institutionem, concionem diebus dominicis ceterisque festis, custodiam ecclesiae paroecialis, sanctissimae Eucharistiae, sacrorum oleorum, ab Ordinario coerceatur ad normam can. 2182-2185[2] » (can. 2382).

2° « Parochus qui paroeciales libros diligenter, ad normam juris, non conscripserit aut servaverit, a proprio Ordinario pro gravitate culpae puniatur » (can. 2383)[3].

1887. — VIII. **Negligentia canonici theologi et poenitentiarii in munere obeundo.** « Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis negligentes, Episcopus gradatim compellat monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum iis assignandae qui illorum vices suppleant ; et perdurante per integrum annum negligentia post monitionem, suspensione a beneficio plectat ; negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet » (can. 2384)[4].

1888. — IX. **Apostasia a religione.** « Firmo praescripto can. 646[5], religiosus, apostata a religione ipso jure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori majori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus ;

---

1. Cf. causa cit. *Toletana et aliarum*, ad 7 — Ad dubium 3 : « utrum post vigentem can. 2381, beneficiarius vel canonicus illegitime absens retinere possit fructus respondentes *privatae* recitationi officii divini, » respondit S. C. « Negative ». — Ad 4 : « Utrum, ex fructibus praebendae adhuc possessae salvanda sit et a possessore (licet illegitime absente) retinenda portio quaedam ab Ordinario designanda et ad ipsius praebendati sustentationem sufficiens », responsum est « negative ». — Ad 5 : « Utrum, attentis fabricarum indigentiis, possint statuta capitularia cum Ordinarii approbatione statuere fructus amissos esse Fabricae ecclesiae tradendos in toto vel in parte », responsum est : « standum dispositioni can. 1475, § 1 et 2381. » — Ad 6 : « Utrum absentiae tempus sit per dies an per horas canonicas supputandum et quoties dies illegitimae absentiae requirantur ut quis irresidens censeatur, ac contra eum procedi possit ad normam can. 2168-2175, responsum est : « esse supputandum per dies integros et tempus illegitimae absentiae computari statim a tempore transacto trium mensium, seu alio, legitimae vacationis ». Circa quae legendum omnino est votum consultoris.

2. Cf. supra n. 1676 s. et tractatum de parochis, n. 854 ss., 857, 858 etc.

3. Cf. supra, n. 859.

4. Cf. supra, n. 758 et 759.

5. Respicit dimissionem religiosorum *ipso facto* ob graviora crimina, si v. g. religiosus fugam arripuerit cum muliere, aut religiosa cum viro. Cf. n. 1057.

et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum » (can. 2385).

a) Conferenda sunt quae supra n. 1054 diximus de apostasia a religione.

b) Animus malitiosus non redeundi externo signo debet *manifestari*[1]; jure autem praesumitur si infra mensem religiosus nec reversus fuerit, nec Superiori animum redeundi manifestaverit (can. 644, § 2).

c) Etiam religiosae subsunt huic censurae[2].

1889. — X. **Fuga a religione.** « Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat et in suspensionem proprio Superiori majori reservatam, si sit in sacris ; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior major pro gravitate culpae poenas infligat » (can. 2386)[3].

a) Delictum consummatur statim ac religiosus suo agendi modo prodit intentionem se subtrahendi per aliquod tempus, ut puta per duos tresve dies, potestati Superiorum[4].

b) Per interpretationem extensivam Com. ad interpret. cod. can.[5], alumni fugitivae societatis clericalis sine votis subsunt huic suspensioni, dummodo sint in sacris et jam aggregati societati.

c) Suspensio est reservata *Superiori majori.* Quod quidem nullam facit difficultatem si agatur de religione clericali exempta. At superior religionis clericalis non exemptae caret jurisdictione in foro externo, et superior laicus religionis laicalis est incapax jurisdictionis. Videtur in primo casu propter indubia verba can. 2386 concedi posse Superiori religionis clericalis non exemptae usum hujus facultatis ; in secundo casu vero absolutionem suspensionis reservari Ordinario loci[6].

1890. — XI. **Dolosa professio religiosa.** « Religiosus clericus cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abjiciatur ; si in majoribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit » (can. 2387).

---

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 589.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 389 ; COCCHI, *o. c.*, n. 261.
3. Cf. supra n. 1055.
4. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 590.
5. Resp., 2-3 jun. 1918, *AAS.*, t. X, p. 118.
6. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

Dicitur : a) religiosus clericus. Intelligitur religiosus clericus cujuslibet religionis et etiam sodalis societatis clericalis sine votis [1] ;

b) cujus *professio,* nempe quaelibet, etiam probabilius temporaria professio quae votis perpetuis praemittenda est, contradicentibus tamen aliis auctoribus [2] ;

c) *ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata,* ad normam can. 572, § 1, 4°. Professio ob dolum a religioso admissum nulla erit declaranda, si mendacio vel callidis artibus admissionem ad professionem obtinuerit, quae, cognita veritate, non fuisset concessa [3]. Casu quo admissio in novitiatum ob dolum a candidato admissum nulla fuerit [4] si causa repulsus exeunte novitiatu manserit, etiam professionis nullitas ob dolum erit declaranda ; qua declaratione facta, incurritur poena [5] ;

c) suspensio, quae incurritur statim ac facta est a Superioribus declaratio nullitatis professionis, est poena vindicativa.

1891. — XII. **Attentatio matrimonii a aut cum clerico majori vel religioso professo.**

1° « Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere *praesumentes,* incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adjunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188, n. 5 [6] » (can. 2388, § 1) [7].

a) Excommunicatione R. P. simpliciter reservata punitur violatio tum legis divinae, qua vota servanda sunt, tum legis ecclesiasticae qua impedimentum dirimens habetur ex ordine sacro et ex sollemni professione religiosa.

b) In hanc poenam incurrunt clerici in sacris constituti et regulares aut moniales qui votum sollemne castitatis valide emiserunt et praeterea omnes sive mares sive foeminae, qui cum illis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumpserint.

c) Ex eo quod requiritur attentatio *matrimonii,* sequitur censuram non contrahi ab iis qui in concubinatu vivunt, neque etiam quando ex alterutra saltem parte defuit consensus ad matrimonii etiam speciem necessarius, aut ille fuerit errore aut metu gravi vitiatus, aut simulatus dummodo simulatio certo in foro externo constet [8].

---

1. Cf. resp. cit. Com. ad interpr. cod. can., 2-3 jun. 1918.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.,* n. 528.
3. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 591.
4. Cf. can. 542, 1°.
5. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. cit.
6. Firma nempe amissione officii ecclesiastici, si quod habeant.
7. Cf. const. Apost. Sed., III, 1, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1469.
8. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 592.

d) Oportet ut adsit *praesumptio* in actu ineundi matrimonii [1].

2° « Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata » (*ibid.*, § 2).

a) Hac excommunicatione punitur violatio can. 1058, § 1 quo votum *simplex* castitatis, virginitatis, etc. constituit impedimentum impediens matrimonii.

b) Tenentur censura α) professi utriusque sexus votorum simplicium perpetuorum tam in ordinibus quam in Congregationibus religiosis [2]; non vero sodales societatum sine votis publicis aut religiosi qui vota tantum temporaria emiserunt; β) omnes sive viri sive foeminae qui cum praefatis perpetuo professis matrimonium etiam civiliter contrahere praesumunt.

c) Haec excommunicatio reservatur *Ordinario,* qui est Superior major et Ordinarius loci si agatur de religione clericali exempta; Ordinarius loci vero quoad alias omnes religiones.

1892. — XIII. **Violatio vitae communis.** « Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii » (can. 2389).

Sodales societatis clericalis sine votis qui vitam communem ex constitutionibus servant, huic canoni sunt obnoxii [3].

TITULUS XVIII.

DE DELICTIS IN COLLATIONE, SUSCEPTIONE ET DIMISSIONE DIGNITATUM, OFFICIORUM ET BENEFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

1893. — I. **Violatio libertatis in electione canonica.**

1° « Libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores vel electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur » (can. 2390, § 1).

2° « Quod si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragen-

---

1. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 356.
2. CAPPELLO, *o. c.*, n. 395 merito censet practice ab excommunicatione immunes esse eos qui *ante codicem* vota simplicia triennalia sed ex parte voventis perpetua in ordine nuncuparunt, novitiatu peracto, antequam ad professionem admitterentur.
3. Resp. cit. Com. ad interpr. cod. can., 2-3 jun. 1918.

dae, laici vel **saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam,** immiscere *praesumpserint,* electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice jure eligendi ; qui vero suae electioni taliter factae *scienter* consenserit, fit ad officium vel **beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis** » (*ibid.*, § 2) [1].

1894. — II. **Electio aut praesentatio indigni. Neglectus formae substantialis electionis.**

1° « Collegium quod indignum *scienter* elegerit, ipso facto privatur pro ea vice jure ad novam electionem procedendi » (can. 2391, § 1).

Indignus ille est qui caret qualitatibus a jure communi vel particulari aut a lege fundationis ad determinatum officium requisitis (can. 153, § 1). Jamvero hujusmodi electio erit vel nulla, si ita cautum sit jure communi vel particulari aut lege fundationis, vel saltem per sententiam a legitimo Superiore irritari poterit (can. 153, § 2) [2]. Casu quo hujusmodi electio nulla aut rescissa a collegio *scienter* facta fuerit, jus ad novam electionem procedendi pro hac vice devolvitur ad eum Superiorem a quo confirmanda esset electio vel cui jus providendi successive competit (can. 178) [3].

2° « Singuli vero electores qui substantialem electionis formam *scienter* non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri » (*ibid.*, § 2) [4].

3° « Clerici et laici qui indignum *scienter* praesentaverint vel nominaverint, jure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent » (*ibid.*, § 3).

1895. — III. **Simonia in quibuslibet officiis, beneficiis, dignitatibus.**

« Firmo praescripto can. 729, delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis :

1° Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ;

2° Ipso facto privati in perpetuum manent jure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant ;

3° Si clerici sint, praeterea suspendantur » (can. 2392) [5].

Fuse hac de re actum est supra, n. 1098 ss., praesertim, n. 1112.

---

1. Cf. supra n. 407 ss., praesertim n. 411, 413. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 452 s. ; COCCHI, *o. c.*, n. 270.
2. Cf. MAROTO, *o. c.*, t. I, n. 661.
3. Cf. supra, n. 419, 409.
4. Cf. MAROTO, *o. c.*, n. 660 ; supra, n. 415.
5. Cf. const. *Apost. Sed.*, II, 8, 9 ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1491.

1896. — IV. **Neglectus auctoritatis Superioris confirmantis aut instituentis.** « Omnes qui jure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre *praesumpserint,* suo jure pro ea vice ipso facto privati maneant » (can. 2393) [1].

1897. — V. **Illegitime officia occupantes aut sese in ea ingerentes.** « Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit [2] vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorumdem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit [3], easque illis ostenderit quibus de jure debet :

1° Sit ipso jure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur ;

2° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere ;

3° Capitula vero, conventus aliique omnes ad quos spectat, hujusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a jure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant, ad beneplacitum Sedes Apostolicae » (can. 2394) [4].

1898. — VI. **Acceptatio officii non vacantis.** « Qui *scienter* acceptat collationem officii, beneficii vel dignitatis *de jure* non vacantis et patiatur se in ejus possessionem immitti, sit ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda aliisque poenis pro modo culpae puniatur » (can. 2395).

Conferantur ea quae superius n. 397 dicta sunt de vacatione officii.

1899. — VII. **Detentio duorum officiorum incompatibilium.** « Clericus qui assecutus pacificam possessionem officii vel beneficii cum priore incompatibilis, prius quoque retinere *praesumpserit* contra praescriptum can. 156 [5], 1439 [6], utroque privatus ipso jure exsistat » (can. 2396) [7].

---

1. Cf. supra, n. 396.
2. Cf. can. 1437 et 1443 ; 147, § 2.
3. Cf. can. 176, § 3 ; 293, § 2 ; 313, § 1 ; 334, § 3 ; 353 ; 1443 ; 1444. Cf. supra ad hos canones.
4. Cf. const. *Apost. Sed.*, V, 1°, ap. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1477. Cf. COCCHI, *o. c.*, n. 278.
5. Cf. supra, n. 403.
6. Cf. supra n. 1417.
7. Cf. Conc. Trid., Sess. VII, c. 4 de ref. ; can. 188, 3°, supra, n. 426.

1900. — VIII. **Recusatio juramenti a promoto ad dignitatem cardinalitiam.** « Si quis ad dignitatem cardinalitiam promotus, jusjurandum de quo in can. 234 [1], emittere recusaverit, ipso facto cardinalitia dignitate privatus perpetuo maneat » (can. 2397).

1901. — IX. **Negligentia in suscipienda consecratione a promoto ad episcopatum.** « Si quis ad episcopatum promotus, contra praescriptum can. 333 [2] intra tres menses consecrationem suscipere neglexerit, fructus non facit suos, fabricae ecclesiae cathedralis applicandos ; et si postea in eadem negligentia per totidem menses perstiterit, episcopatu privatus ipso jure manet » (can. 2398) [3].

1902. — X. **Desertio officii a clerico majore.** « Clerici majores, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine ejusdem Ordinarii licentia, deserere *praesumentes,* suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum » (can. 2399).

Hic sufficiunt explicationes quae superius n. 361 et 992 dantur ad canones 128 et 542, 2°. Quoad *clericos minores* officium suum deserentes, sat provisum est can. 211, § 2.

1903. — XI. **Resignatio officii in manus laicorum.** « Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit » (can. 2400) [4].

1904. — XII. **Illegitima detentio officii.** « Si quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat, ea, praemissa monitione, deserere cogatur per suspensionem a divinis aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa » (can. 2401) [5].

Agitur de amissione officii etc., per sententiam judicialem vel per decretum remotionis administrativae ad normas juris latum et *contra quod nullum amplius datur remedium juridicum ;* non autem de remotione oeconomica parochorum, *pendente recursu ad S. Sedem,* quae nondum est amotio *plena,* cum beneficium alii stabiliter conferri nequeat (can. 2146, § 3). Tamen clericus amotus, debet hoc in casu quamprimum derelinquere paroecialem domum et omnia quae ad paroeciam pertinent vicario oeconomo

1. Cf. supra, n. 557.
2. Cf. supra, n. 673.
3. Cardinales, cum in can. 333 nominentur, quo ambitus delicti can. 2398 determinatur, poenis hujus canonis subduntur, cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 603; in alium sensum SOLE, *o. c.,* n. 462.
4. Cf. supra ad can. 187, n. 427.
5. Cf. decret. *Maxima cura,* 20 aug. 1910, can. 18, § 1 ; can. 29, § 1.

tradere (can. 2156, § 2). Ad quod observandum etiam gravi poena cogi potest [1].

1905. — XIII. **Neglecta receptio benedictionis abbatialis.** « Abbas vel Praelatus *nullius* qui contra can. 322, § 2 benedictionem non receperit, est ipso facto a jurisdictione suspensus » (can. 2402) [2].

1906. — XIV. **Neglecta professio fidei.** « Qui contra praescriptum can. 1406 [3] fidei professionem sine justo impedimento emittere negligat, moneatur, praefinito quoque congruo termino ; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, muneris puniatur ; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos » (can. 2403).

TITULUS XIX.

DE ABUSU POTESTATIS VEL OFFICII ECCLESIASTICI.

Praenotandum. Ut ex textu canonum [4] apparet, agitur in hoc titulo etiam de officio ecclesiastico *lato sensu* intellecto ad normam can. 145.

1907. — I. **Abusus potestatis ecclesiasticae.** « Abusus potestatis ecclesiasticae, prudenti Superioris arbitrio, pro gravitare culpae puniatur, salvo praescripto canonum qui certam poenam in aliquos abusus statuunt » (can. 2404) [5].

a) Agitur in hoc canone de abusibus potestatis ecclesiasticae tum ordinis, tum jurisdictionis, tum administrationis, tum etiam dominativae ; qui merito compescuntur, cum delictum augetur « ex abusu auctoritatis vel officii ad delictum patrandum » (can. 2207, 2°).

b) Interpretes Decretalium [6] multa tradunt exempla delictorum quae in usu potestatis a Praelatis sive superioribus sive inferioribus perpetrari possunt, v. gr., si Praelati subditos suos indebitis oneribus et exactionibus gravent, injustis censuris affligant, illorum jura minuant aut privilegia laedant ; si vicarius sibi vindicet jura rectoris principalis, si clerici festa et censuras ab Episcopo statutas negligant atque contemnant ; si judices denegent justitiam, etc.

c) In praecedentibus [7] et sequentibus canonibus non pauci abusus speciales certis poenis puniuntur,

---

1. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 606.
2. Cf. COCCHI, *o. c.*, n. 286.
3. Cf. supra, n. 1390.
4. Cf. can. 2411 ss.
5. Decret., tit. 31 libri V, de excessibus Praelatorum, etc. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 432 ss.
6. Cf. WERNZ, *o.* et *l. c.* ; SANTI-LEITNER, *o. c.*, t. V, p. 170 s.
7. Cf. can. 2365, 2366, 2367, 2368, 2390, 2391, etc.

1908. — II. **Substractio, dectructio, celatio, immutatio documentorum Curiae episcopalis.** « Vicarius capitularis, aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii plecti poterunt » (can. 2405).

a) Probabilius censura dumtaxat incurritur *Sede vacante* [1].

b) Necesse est ut agatur de documento *alicujus momenti* in ordine ad probationem veritatis et justitiae, ita ut grave damnum pro Curia aut privatis sequi possit ex ejusdem substractione, etc. [2].

c) Actiones sub censura prohibitae *ex dolo* seu malo fine poni debent.

d) Ordinarius relate ad Vicarium Capitularem erit, sede vacante, S. Sedes ; sede autem plena, novus loci Ordinarius [3].

1909. — III. **Varia delicta circa documenta, acta, libros Curiarum ecclesiasticarum et libros paroeciales.**

1° « Quicumque officio tenetur acta vel documenta seu libros Curiarum ecclesiasticarum vel libros paroeciales conficiendi, conscribendi aut conservandi, si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare *praesumpserit,* suo officio privetur, aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur » (can. 2406, § 1).

a) Agitur de omnibus illis qui ex officio tenentur eadem acta vel libros conficere, conscribere, vel conservare, uti sunt cancellarii, notarii, actuarii, parochi, administratores bonorum ecclesiasticorum, Superiores vel oeconomi religiosi, etc.

b) Nomen curiae ecclesiasticae sese extendit ad omne genus curiae ecclesiasticae, v. gr. romanae, dioecesanae, abbatialis, religiosae [4].

2° « Qui vero acta, documenta vel libros hos legitime petenti exscribere, transmittere seu exhibere dolose [5] detrectaverit aliove quovis modo officium suum prodiderit, privatione officii vel suspensione ab eodem et mulcta ad arbitrium Ordinarii pro gravitate casus puniri potest » (*ibid.*, § 2) [6].

---

1. Cf. can. 435, § 3 ; CAPPELLO, *o. c.*, n. 365. Cf. etiam COCCHI, *o. c.*, n. 290.
2. Cf. CAPPELLO, *o. c.*, n. 366 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 611. Non requiritur ut damnum vere secutum sit. Cf. tamen COCCHI, *o. c.*, n. 291.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*
4. Excludunt VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 612 curias religionis laicalis et religionis non exemptae.
5. Verbum *dolose*, gravem culpam significat non ausum temerarium.
6. Cf. supra n. 733 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

1910. — IV. **Corruptela officialium.** « Qui Curiae officiales seu administros, judices, advocatos vel procuratores donis aut pollicitationibus ad actionem vel omissionem officio suo contrariam inducere tentaverit, congrua poena plectatur et ad reparanda damna, si qua illata sint, compellatur » (can. 2407) [1].

1911. — V. **Illegitima taxarum exactio.** « Taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augentes aut ultra eas aliquid *exigentes*, gravi mulcta pecuniaria coerceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod injuste perceperint » (can. 2408).

Recolenda sunt dicta superius, n. 1455, 1106.

Ex hoc delicto duplex oritur imputabilitas, alia *poenalis* quae per mulctam, poenam delicto analogam, punitur et pro recidivis per suspensionem vel remotionem ab officio ; alia *civilis*, quae obligat ad restituenda injuste percepta [2].

1912. — VI. **Indebita concessio dimissoriarum pro ordinatione.**

1° « Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3, ipso facto subjacet suspensioni a divinis » (can. 2409).

In cit. can. decernitur : « Litteras dimissorias pro saecularibus dari possunt... 3° de capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante ; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicujus officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum. »

2° « Superiores religiosi qui, contra praescriptum can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere *praesumpserint*, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione » (can. 2410).

Religiosi, etiam exempti, salvo privilegio, ab Episcopo territorii in quo eorum domus sita est, ordinari debent (can. 965). Possunt tamen ad alium mitti cum venia sui Episcopi, vel si diversi ritus fuerint, vel ob varias causas quae ad nimiam ordinationis procrastinationem reducuntur (can. 966). Canon 967 prohibet ne Superior religiosus in fraudem Episcopi dioecesani impedimentum creet eo fine ut subditos ad Episcopum non proprium dimittat [3].

---

1. Cf. SOLE, *o. c.*, n. 472 ; COCCHI, *o. c.*, n. 294.
2. Cf. COCCHI, *o. c.*, n. 295.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 615 ; BLAT, *o. c.*, n. 256 ; COCCHI, *o. c.*, n. 297.

Hi canones aeque servari debent a societate clericali sine votis publicis, quae privilegio gaudet dimissorias concedendi suis subditis [1].

1913. — VI **Indebita admissio ad novitiatum vel ad professionem.** « Superiores religiosi qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542 [2], aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544 [3], ad novitiatum receperint, vel ad professionem contra praescriptum can. 571, § 2 [4] admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione » (2411).

Poenae feruntur a Superiore supremo si delinquens sit Superior major in religione sive exempta sive juris pontificii; a Congregatione de religiosis, si delinquens sit Superior supremus in eadem religione ; ab Ordinario loci si religio sit juris dioecesani aut si agatur de monialibus ipsi subjectis.

1914. — VII. **Vetita impensio dotis et omissa voluntatis exploratio.** « Religiosarum etiam exemptarum Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur :

1° Si contra praescriptum can. 549 [5] dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint, salva semper obligatione de qua in can. 551 [6] » (can. 2412, 1°).

Haec sanctio respicit quamcumque religionem mulierum et fertur contra omnes antistites.

2° « Si contra praescriptum can. 552 [7] omiserint Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicujus admissione ad novitiatum vel ad professionem » (*ibid.*, 2°) [8].

1915. — VIII. **Frustratio visitationis canonicae.**

1° « Antistitae quae post indictam visitationem [9] religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem, ob responsa quae Visitatori dederint, molestiam, sub quovis

---

1. Com. ad interpr. cod. can., 2-3 jun. 1918.
2. Cf. supra, n. 990 ss.
3. Cf. supra, n. 994.
4. Cf. supra, n. 1005.
5. Cf. supra n. 995.
6. Cf. *ibid.*
7. Cf. supra, n. 996.
8. Cf. Trid., Sess. XXV, c. 17, de ref.
9. Cf. supra, n. 958.

praetextu, attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secumferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quo funguntur, priventur » (can. 2413, § 1).

2° « Quae in superiore paragrapho praescripta sunt, etiam virorum religionibus applicentur » (*ibid.*, § 2) [1].

Hic canon applicatur etiam societatibus clericalibus sine votis [2].

1916. — IX. **Violatio libertatis circa sacramentales confessiones.** « Antistita quae contra praescriptiones can. 521, § 3, 522, 523 [3] se gesserit, a loci Ordinario moneatur ; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis » (can. 2414).

Citantur a VERMEERSCH-CREUSEN [4] exempla delictorum quae ab Antistitis contra libertatem confessionis committi possunt :

a) Non vocare confessarium ex determinatis ab Ordinario, quem religiosa petierit.

b) Petitionis rationem exquirere.

c) Ostendere quavis ratione se subditae petitionem aegre ferre.

d) Prohibere ne religiosa adeat confessarium pro mulieribus approbatum, in loco propriae domus pro confessionibus mulierum vel religiosarum designato.

e) Prohibere ne religiosa quae legitime extra domum versatur, confessarium pro mulieribus approbatum in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semi-publico, adeat.

Supponitur religiosam legitime versari in loco ubi sit talis ecclesia, ita ut ab itinere notabiliter discedere non debeat ut confessarium adeat.

f) Inquirere rationem cur religiosa illos confessarios (sub d et e) adierit vel adire velit ; exigere ut sibi, sive a poenitente sive ab ejus socia, de hac re referatur ; ostendere se eum agendi modum aegre ferre.

g) Impedire quovis modo ne religiosa, durante gravi morbo, confiteri possit apud quemlibet confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum.

Quam gravia sint hujusmodi delicta patet ex obligatione Ordinarii loci, monendi illico, repetito delicto, S. Congregationem de religiosis.

1917. — **Scholion.** — **Elenchus censurarum latae sententiae** ad normam codicis, cum indicatione numeri ubi interpretatio reperitur.

I. **Excommunicationes.**

---

1. Cf. circa interpret. hujus canonis VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 618 ; COCCHI, *o. c.*, n. 302.
2. Com. ad interpr. cod. can., 2-3 jun. 1918, ad VI.
3. Cf. supra, n. 969, 4°, 5°, 6°.
4. *O. c.*, n. 619.

1° In excommunicationem *specialissime* R. P. reservatam incurrunt :

a) Speciebus sacris sacrilege abutentes (can. 2320, n. 1820) ;
b) Violentas manus injicientes in Romanum Pontificem (can. 2343, n. 1846) ;
c) Absolventes vel absolvere fingentes complicem in peccato turpi (can. 2367, n. 1871) ;
d) Confessarius sigillum sacramentale directe violare praesumens (can. 2369, n. 1873).

2° In excommunicationem *speciali modo* R. P. reservatam incurrunt :

a) Apostatae, haeretici, schismatici (can. 2314, n. 1814) ;
b) Suspecti de haeresi, si post sex menses ab contracta prima poena non se emendaverint (can. 2315, n. 1815) ;
c) Edentes libros apostatarum, haereticorum vel schismaticorum, eosdem aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter legentes vel retinentes (can. 2318, n. 1384, 1818) ;
d) Ad sacerdotium non promotus Missae celebrationem simulans aut confessionem excipiens (can. 2322, n. 1822) ;
e) Appellantes a R. P. ad concilium universale (can. 2332, n. 1832) ;
f) Impedientes litteras vel acta Sedis Apostolicae (can. 2333, n. 1833) ;
g) Leges contra jura Ecclesiae edentes, et recurrentes ad laicam potestatem ad impediendum exercitium jurisdictionis ecclesiasticae (can. 2334, n. 1834) ;
h) Trahentes ad judicem laicum Cardinalem, Legatum R. P., officialem majorem Curiae Romanae, Ordinarium proprium (can. 2341, n. 1844) ;
i) Violentas manus injicientes in Cardinalem, Legatum R. P., Patriarchum, Archiepiscopum, Episcopum (can. 2343, n. 1846) ;
j) Usurpantes vel detinentes bona et jura Ecclesiae Romanae (can. 2354, n. 1848) ;
k) Rei criminis falsi circa litteras Sedis Apostolicae (can. 2360, n. 1864).
l) Falso denuntians confessarium de sollicitatione (can. 2363, n. 1867) ;

3° In excommunicationem *simpliciter* reservatam R. P. incurrunt :

a) Quaestum facientes ex indulgentiis (can. 2327, n. 1827) ;
b) Nomen dantes sectae massonicae (can. 2335, n. 1835) ;
c) Absolventes sine debita facultate ab excommunicatione specialissimo aut speciali modo R. P. reservata (can. 2338, § 1, n. 1838) ;
d) Communicantes in crimine criminoso vel in divinis cum excommunicato vitando (can. 2338, § 2, n. 1839) ;
e) Trahentes ad judicem laicum Episcopum, Praelatum *nullius,* Superiorem supremum religionis juris pontificii (can. 2341, n. 1844) ;
f) Clausuram monialium violantes et moniales illegitime e clausura egredientes (can. 2342, n. 1845) ;
g) Violantes clausuram regularium (can. 2342, n. 1845) ;
h) Usurpantes bona ecclesiastica (can. 2346, n. 1849) ;

i) Duellum perpetrantes, acceptantes, ad id provocantes, favorem duellantibus praebentes, etc. (can. 2351, n. 1855) ;
j) Clerici in sacris et religiosi sollemniter professi matrimonium attentantes eorumque compars (can. 2388, n. 1891) ;
k) Simoniaci in officiis, beneficiis, dignitatibus (can. 2392, n. 1895) ;
l) Documenta Curiae episcopalis subtrahentes, destruentes, occultantes, immutantes (can. 2405, n. 1908) ;

4° In excommunicationem *Ordinario* reservatam incurrunt :

a) Matrimonium ineuntes coram ministro haeretico (can. 2319, n. 1819) ;
b) Matrimonium contrahentes cum pacto ut proles educetur extra Catholicam Ecclesiam (can. 2319, n. 1819) ;
c) Liberos baptizandos acatholicis ministris tradentes (can. 2319, n. 1819) ;
d) Liberos in acatholica religione educandos tradentes (can. 2319, n. 1819) ;
e) Falsas reliquias conficientes, vendentes, distribuentes, exponentes (can. 2326, n. 1826) ;
f) Violentas manus injicientes in clericos infra Episcopum et in religiosos (can. 2343, n. 1846) ;
g) Procurantes abortum, effectu secuto (can. 2350, n. 1853) ;
h) Apostatae a religione (can. 2385, n. 1888) ;
i) Professi votorum simplicium perpetuorum matrimonium contrahentes eorumque compars (can. 2388, n. 1891).

5° In excommunicationem *nemini* reservatam incurrunt :

a) Auctores et editores sine licentia libros de S. Scriptura aut horum commentarios imprimi curantes (can. 2318, § 2, n. 1818) ;
b) Violantes varias leges de electione R. P. (can. 2330, n. 1830) ;
c) Cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae eos qui a jure exclusi sunt (can. 2339, n. 1842) ;
d) Praetermittentes beneplacitum apostolicum ad alienanda bona ecclesiastica (can. 2347, n. 1850) ;
e) Cogentes ad statum clericalem vel religiosum amplectendum (can. 2352, n. 1856) ;
f) Confessarium sollicitationis reum denuntiare renuentes (can. 2368, n. 1872).

II. **Interdicta.**

1° In interdictum *speciali modo* R. P. reservatum incurrunt :

Personae morales appellantes a R. P. ad concilium universale (can. 2332, n. 1832).

2° In interdictum ab ingressu ecclesiae *Ordinario* reservatum :

Sponte donantes sepulturam ecclesiasticam iis qui a jure exclusi sunt (can. 2339, n. 1842);

3° In interdictum *nemini* reservatum :

a) Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel admittentes ad ea celebranda censuratos post sententiam (can. 2338, § 3, n. 1840). Est interdictum ab ingressu ecclesiae.

b) Causam dantes interdicto locali aut interdicto in communitatem (can. 2338, § 4, n. 1841).

III. **Suspensiones.**

1° Incurrunt in *S. Sedi* reservatam suspensionen :

a) *A divinis :* praesumentes recipere ordines a ministro apostata, haeretico, schismatico, censurato (can. 2372, n. 1876) [1];

b) *Generalem :* α) Episcopus Episcopum consecrans sine mandato Apostolico, ejusque assistentes (can. 2370, n. 1874); β) Simoniace Ordines conferentes et recipientes atque sacramenta ministrantes vel recipientes (can. 2371, n. 1875).

2° Incurrunt in *Ordinario* reservatam suspensionem :

Ab officio : trahentes ad judicem laicum clericum infra Episcopum aut religiosum (can. 2341, n. 1844).

3° Incurrunt in suspensionem *generalem Superiori majori* reservatam :

Religiosi fugitivi (can. 2386, n. 1889).

4° Incurrunt in *nemini* reservatam suspensionem :

a) *A confessionibus audiendis :* absolventes a reservatis sine facultate (can. 2366, n. 1870) ;

b) *A divinis :* α) praesumentes audire confessiones sine jurisdictione (can. 2366, n. 1870); β) Praesumentes in manus laicorum officium, beneficium, dignitatem resignare (can. 2400, n. 1903); γ) Vicarius Capitularis indebite dimissorias pro ordinatione concedens (can. 2409, n. 1912).

c) *A recepto ordine :* sine demissoriis, par saltum, ante aetatem canonicam ordinatus (can. 2374, n. 1878).

d) *A jurisdictione :* Abbas vel Praelatus *nullius* benedictionem tempore utili petere negligens (can. 2402, n. 1905).

---

1. Addenda est suspensio *a divinis* Sedi Apostolicae reservata ipso facto incurrenda a clericis qui temere in Americam et in regiones extra Europam demigrent, non servatis clausulis a S. C. Consistor. editis, 30 dec. 1918, cf. supra, n. 350.

APPENDIX

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS AD ORDINES.

Fontes. Lib. III codicis, Pars I, tit. VI, c. 2, art. 2, can. 983-991.

Auctores. DEVOTI, *o. c.*, t. I, p. 306 ss. ; FEYE, *Tract. autogr., de Ordinationibus et irregularitatibus,* pars posterior ; BOENNINGHAUSEN, *Tract. juridico-canonicus de irregularitatibus,* Monasterii, 1863 ; GASPARRI, *Tract. can. de sacra Ordinatione,* t. I, p. 90 ss., Parisiis, 1893 ; HILARIUS A SEXTEN, *o. c.*, p. 275 ss. ; WERNZ, *o. c.*, t. II[2], pars I, p. 140 ; SAEGMUELLER, *o. c.*, p. 182 ss. ; HEINER, *Kath. Kr.*[6], p. 143 ss. ; GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.*, t. II, n. 629 ; OJETTI, *Synopsis rer. mor.*, v° irregularitas ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 52 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 748 ss. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, altera editio, n. 144 ss. *Sub respectu historico,* cf. RICHERT, *Die Anfänge der Irregularitäten bis zum ersten allgem. Konzil von Nicäa,* Freib.-i-Br., 1901 ; W. JOHL *, *Die Irregularitas ex defectu aetatis nach katholischen Kirchenrecht* (Diss. complectens tantum introductionem ad irregularitates in genere), Borna-Leipzig, 1909, XIV-29 p. (Cf. GILLMANN, ap. *Arch. f. kath. Kr.*, 1912, t. XCII, p. 371 ss.) ; SIMENON, *Le sacrement de l'ordre dans l'ancien droit ecclésiastique,* in *Rev. eccl. de Liège,* 1923-1924, t. XV, p. 265 ss. ; TIXERONT, *Le sacrement de l'ordre,* Paris, 1924.

1918. — Praenotiones. 1° *Connexio materiae.* Licet irregularitas proprie nec censura sit, nec poena, affinitatem tamen quamdam cum illis habet, et ideo, remisso tractatu de ordine ad theologiam moralem sacramentalem, non inopportune hic agemus de hac materia prorsus canonica, morem imitatus multorum auctorum tum antiquiorum tum etiam recentiorum.

2° *Significatio vocis*[1]. Ex etymologia *irregularis* et *irregularitas* opponuntur *regulari* et *regularitati,* quae verba veniunt a *regula.* Ita in fontibus, quando res agitur de monachis et religiosis, occurrunt voces : regulares, disciplina regularis, regulariter aut irregulariter vivere, etc., quae voces originem ducunt a *regula* Ordinis religiosi.

At in materia Ordinationis, ad quamnam regulam alludunt vocabula *irregularis* et *irregularitas* intellecta de impedito et de impedimento ad Ordines suscipiendos ?

Procul dubio, saeculo XIII, ex usu communi canonistarum, praefata vocabula respectum dicunt ad regulas, quas ob reverentiam et dignitatem sacramenti Ordinis praescripsit Ecclesia ad Ordines licite suscipiendos vel ad functiones eorum legitime exercendas. Quarum regularum origo

---

1. Cf. GILLMANN, *Zur Geschichte des Gebrauchs der Ausdrücke* « irregularis » *und* « irregularitas », in *Arch. f. kath. Kr.*, 1911, t. XCI, p. 49-86, 557-560. Vide BOUDINHON, *Les expressions* « irrégularité » *et* « irrégulier », ap. *Le canoniste contemp.*, 1911, t. XXXIV, p. 331 ss.

repetenda est praesertim ex praeceptis S. Pauli[1] de ordinibus conferendis, vocatis ab antiquioribus canonistis *regula apostolica*. Inde ab hoc tempore *irregularis* dicitur, qui recipiendis ordinibus juxta praedictas regulas inhabilis reperitur ; *irregularitas* vero est status difformitatis personarum ab iisdem normis, aut etiam impedimentum canonicum ad ordines suscipiendos vel exercendos.

Primum vestigium hujus terminologiae non reperitur in can. 9 et 17 Nicaenae synodi, sed in textu quodam S. Augustini[2]. Ipsius sententia, ut bonus monachus fiat bonus clericus oportet ut debitis instructus sit dotibus : « cum, ait, aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, et tamen desit instructio necessaria aut *personae regularis integritas* ». Haec *personae regularis integritas* accipienda est de complexu qualitatum, quae, praeter sufficientem continentiam et debitam instructionem, necessariae sunt, ut quis fiat dignus clericus. Ille textus, postquam in variis collectionibus canonum saec. XII, notatim in decreto Gratiani, insertus est, primum fuit a Magistro Rufino ulterius determinatus et ampliatus. Rufinus eodem sensu ac Augustinus accipit verba *regularis persona ;* primum adhibens vocabulum *irregularitas,* hanc opponit regularitati eadem ac prius acceptione intellectae ; at ipse loquens *de potestate regularitatis* sacerdotis, qua dignus habetur offerendi S. Sacrificium, ad eam requirit meritum vitae, integritatem personae et sufficientem eruditionem. Cui doctrinae assentiuntur generatim auctores posteriores. Post Rufinum, Huguccio terminologiam praecipue evolvit. Apud ipsum, voces *persona regularis, regularitas* sensu primitivo concipiuntur ; at *irregularitas* non significat tantum statum personalem non conformitatis legi, sed etiam aliquando impedimentum determinatum ad ordines, imo tale impedimentum quod olim non opponebatur regularitati personae, v. gr., « irregularitatem quam quis contraxit ex crimine post baptismum commisso ». Postea vox irregularitas magis ac magis designat impedimentum determinatum plerumque ex defectu, aliquoties ex crimine. Goffredus de Trano distinguit impedimenta ad ordines inter irregularitates ex defectu et irregularitates ex delicto aut ex crimine. Demum Innocentius IV (c. 1245) tractat ex professo de irregularitatibus et quidem hac terminologia quae usque ad Codicem generatim in doctrina servata est.

3° *Ordo codicis.* Codex in hoc articulo totam de integro ordinat legis materiam de irregularitatibus et de impedimentis ad ordines. Qua opportunitate id factum fuit, apparet ex eo quod auctores de natura et divisione irregularitatum nonnihil discreparent ; ita saepe simplicia impedimenta inter irregularitates enumerabantur[3].

Codex prius abrogat leges anteriores de irregularitatibus, statuendo : « Nullum impedimentum perpetuum quod venit nomine *irregularitatis,* sive ex defectu sit sive ex delicto, contrahitur, nisi quod fuerit in canonibus qui sequuntur expressum » (can. 983) ; postea enumerat irregularitates

---

1. I Timoth., III, 2 ss. ; Tit., I, 7.
2. Epist. 60, ap. MIGNE, PL., t. XXXIII, col. 228.
3. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, ed. 1ª, p. 427, nota 6.

ex defectu (can. 984), irregularitates ex delicto (can. 985, 986), et simplicia impedimenta (can. 987). Dein specialius agit de modo quo irregularitates et impedimenta contrahuntur (can. 988, 989) ; demum de dispensatione ab eis (can. 990, 991).

Tractatum de irregularitatibus et impedimentis ad ordines dividemus in duplicem partem, aliam *generalem* de notione, divisione et effectibus irregularitatis et impedimenti, necnon de modo quo contrahuntur et quo cessant ; aliam *specialem* de singulis irregularitatibus et impedimentis.

ARTICULUS I. — De irregularitatibus et impedimentis in genere.

1919. — I. **Notio irregularitatis et impedimenti.**

1° *Irregularitas* est impedimentum canonicum perpetuum, ex se directe et primario prohibens susceptionem ordinum, ac consequenter etiam usum eorum [1].

Dicitur a) *impedimentum,* id est moralis inhabilitas ex aliqua indecentia proveniens. Etenim principaliter ob dignitatem et reverentiam sacri ministerii introductum est, ut viri ad ministerium sacrum rite et convenienter obeundum inepti, a susceptione et exercitio Ordinum arceantur. Ex quo consequitur irregularitatem non esse censuram, neque universim poenam : quia censura, aliaeque poenae semper supponunt culpam ; irregularitas vero hanc non semper supponit, et si quam poenae vindicativae rationem induat quando incurritur propter delictum, hoc fit secundario tantum, dum primario imponitur ad indecentiam in sacro ministerio praecavendam.

b) *Canonicum ;* quia, non ab homine, sed solo jure ecclesiastico, eoque communi [2] constituitur irregularitas. Unde : nullus irregularitate ligari potest, nisi in casibus a jure expressis (can. 983) et nisi jure divino capax sit ad suscipiendos ordines. Omnes autem *masculi baptizati,* si unum excipias R. Pontificem, eam contrahere possunt.

c) *Perpetuum.* Perpetuitate secernitur a simplici impedimento. Inde sequitur irregularitates *generatim* non tolli nisi per dispensationem ; dum impedimenta alio modo cessare possunt.

d) *Ex se, directe et primario prohibens,* etc. ; his verbis indicantur irregularitatis effectus, de quibus sub III.

2° *Impedimentum* est defectus, de se temporarius, qualitatis moralis

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 141 ss. Cf. opus cit. W. JOHL, p. 7-21 et *Arch. für kath. Kr.,* 1912, t. XCII, p. 372 ss. quoad historiam conceptus irregularitatis.

2. Quoad vim consuetudinis, cf. WERNZ, *o. c.,* p. 148, note (35); *Il monit. eccl.,* 1907-1908, t. XIX, p. 469 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.,* n. 748, nota 5.

vel libertatis, quam Ecclesia exigit ut quis licite ordines recipiat aut receptos exerceat [1].

1920. — II. **Divisio irregularitatis.**

Ratione causae ex qua procedit, irregularitas alia est *ex defectu,* alia *ex delicto,* prout oritur ex quibusdam defectibus in jure expressis, vel contrahitur ex certis delictis in jure determinatis.

Irregularitas *ex defectu* proximam originem trahit *ex absentia alicujus qualitatis* ad rectam ordinum susceptionem aut decens eorum exercitium requisitae [2]. Irregularitas ex delicto proxime oritur *ex delicto proprio,* quatenus illud indignitatem seu indecentiam moralem pariat ad ordines suscipiendos aut exercendos. Unde etsi secundario induat rationem poenae, primario intendit arcere indignos ab ordinibus [3].

1921. — III. **Effectus irregularitatis et impedimenti.**

1° *Effectus irregularitatis.* Triplex est irregularitatis effectus, scilicet : inhabilitas ad ordines licite suscipiendos ; inhabilitas ad licite exercendos actus ordinum susceptorum ; et inhabilitas ad acquirenda officia et beneficia ecclesiastica.

a) Irregularitas illicitam (non *irritam*) reddit susceptionem ordinum. Est effectus *directus* et *primarius,* pro scopo Ecclesiae arcendi ab ordine suscipiendo, eos qui, ob maculam voluntariam quamdam vel involuntariam, nequeunt decenter sacra obire ministeria. Sub ordine etiam intelligitur prima tonsura, tametsi juxta communiorem sententiam non sit ordo, sed veluti praeambulum et dispositio ad ordines. Qui enim ab ordinibus repellitur, debet simul arceri a ritu sacro, quo ad illorum susceptionem disponitur.

b) *Secundario et indirecte* illicitum reddit ordinum suceptorum exercitium ; non tamen prohibet usum jurisdictionis, qui simul non requirit usum ordinis.

Multi auctores docent irregulares posse minorum ordinum officia exercere, quia haec nunc passim a laicis peraguntur. Alii tamen probabilius tenent contrarium, casu quo istae functiones sollemniter et ex officio exerceantur [4].

Si irregularitas superveniat ordine jam suscepto, tunc, quae ex delicto est, quodvis ordinis exercitium impedit ; quae vero ex defectu, illud solum cui defectus adversatur [5].

---

1. Ita VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 252.
2. Praesupponere potest delictum alienum, ut illegitimitas, aut etiam delictum proprium ut infamia juris. Cf. GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.,* n. 630.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 253.
4. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 143 ; GASPARRI, *o. c.,* t. I, p. 87, 101. Vide infra, n. 1937.
5. Cf. WERNZ, *o. c.,* p. 154.

c) Inducit consequenter inhabilitatem ad recipienda beneficia quae habent adnexas functiones ordinum quas irregularis exercere vetatur.

Omnes admittunt collationem beneficii esse *illicitam ;* an vero sit *invalida,* controvertitur. Nonnulli, quorum opinionem satis probabilem dicit S. Alphonsus [1], asserunt collationem non esse irritam, sed a judice irritandam. Alii propugnant collationem esse ipso jure nullam ; et haec opinio habetur a S. Alphonso ut communior et probabilior [2].

Quod vero spectat ad beneficia quae clericus obtinuerat ante irregularitatem, certum est ea non amitti ipso facto superinductae irregularitatis. Poterit tamen his privari per sententiam, si irregularitas est *ex delicto,* et ipse tenetur vel dispensationem petere vel beneficium resignare, ne ecclesia in perpetuum servitio suo spolietur [3].

2° *Effectus impedimentorum,* attenta uniuscujusque natura, iidem sunt.

Nota. Irregularitas non impedit absolutionem sacramentalem ; quia stare potest cum statu gratiae. Potest igitur aliquis a peccato absolvi, remanente irregularitate inde contracta [4].

1922. — IV. **De modo quo irregularitates et impedimenta contrahuntur.**

1° Contrahitur *irregularitas ex defectu* et *simplex impedimentum* eo ipso quod quis laboret defectu perpetuo aut temporali a jure determinato, sive cognoverit sive ignoraverit legem (can. 988).

2° Ad incurrendam *irregularitatem ex delicto,* requiritur ut delictum fuerit grave peccatum, post baptisma perpetratum, salvo praescripto can. 985, § 2, itemque externum, sive publicum sive occultum (can. 986).

Dicitur a) *grave peccatum* etenim indignitas illa propter quam quis irregularis fit, non oritur nisi ex gravi culpa ; omnes proin causae excusantes a peccato gravi, excusant quoque ab irregularitate ex delicto.

b) *post baptisma perpetratum,* juxta illud Innocentii I : « in baptismo enim peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur » [5]. Addit canon, salvo praescripto can. 985, § 2, quoad consciam baptismi receptionem ab acatholicis, quod delictum consummatur in ipsa susceptione baptismi.

c) *externum* et quidem qua materialiter et formaliter grave peccatum, utpote materia spectans ad forum externum Ecclesiae.

---

1. *O.* et *l. c.,* n. 343 ; LEGA, *o. c.,* p. 285 ss. ; MIHALOVIC, *Irregularität und Beneficiumerwerb,* in *Th. prakt. Quartalschrift,* 1923, t. LXXVI, p. 310.
2. Ita WERNZ, *o. c.,* p. 154 ; GASPARRI, *o.* et *l. c.,* p. 102 ss.
3. Cf. SCHMALZ., *h. t.,* n. 97 s. ; WERNZ, *o.* et *l. c.*
4. Cf. S. Poenit., 18 mart. 1912, ap. *Le can. contemp.,* 1912, t. XXXV, p. 407 s.
5. Ideo factum ante baptisma positum, potest post illud causam irregularitatis ex defectu fieri.

3° « Ignorantia *irregularitatum* ex delicto ab eis non excusat » (can. 988). Etenim « irregularitates ex delicto *principaliter* sunt *inhabilitates*, quae a scientia non pendent [1] ; poena autem forte adjecta non est *medicinalis*, sed *vindicativa*, quae etiam ab ignorante incurritur » [2].

Aliter dicendum est si ageretur de ignorantia *legis ecclesiasticae delictum prohibentis ;* tunc omnis ignorantia quae excusat a peccato gravi, ab irregularitate immunem reddit. Imo non est cur disciplinam codici anteriorem respuamus juxta quam excusat quaelibet ignorantia legis ecclestiasticae, nisi fuerit crassa vel supina [3].

4° In dubio juris nemo censendus est irregularis. Quod olim etiam affirmabatur de dubio *facti,* exceptione tamen facta circa dubium facti homicidii, cum scilicet dubitaretur utrum aliquis actione sua causa mortis fuerit. Quo dubio facti homicidii perseverante, is, qui ita dubitabat, ex vera obligatione sese irregularem habere debebat, non tamen absolute, sed quoad effectum abstinendi a celebratione et petendi dispensationem [4]. Hodie applicandum venit can. 15, circa leges inhabilitantes, ubi dicitur : « in dubio autem facti *potest* Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet » [5]. Qua potestate dispensandi saltem *ad cautelam* utatur Episcopus v. gr., in casu dubii facti homicidii, in casu alius irregularitatis dubiae ex parte facti *ante* ordinationem suscipiendam [6].

5° « Irregularitates et impedimenta *multiplicantur* ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione ejusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario [7] » (can. 989).

1923. — V. **Cessatio irregularitatis vel impedimenti.**

1° *Simplicia impedimenta* cessare possunt *cessatione ipsius causae* qua oriuntur [8] aut *dispensatione* Superioris.

2° *Irregularitates* cum sint de se perpetuae non cessant regula generali nisi *per dispensationem.* Tamen irregularitas ex defectu corporis cessare

1. Nisi aliud expresse dicatur, can. 16.
2. Ita WERNZ, *o. c.*, p. 152.
3. Cf. c. 2, D. LXXXII, in decr. Grat. ; c. 9, X, V, 27.
4. Cf. SCHMALZGR., in l. V, tit. 37, n. 77 s. ; S. ALPH., *o.* et *l. c.*, n. 345 ss. ; LEHMKUHL, *o. c.*, t. II, n. 1003 et 1013 ; WERNZ, *o. c.*, p. 149, nota (33). Cf. n. 1934 decreta et responsa S. C. Consistorialis quoad clericos a bello redeuntes, quae forsan ex disciplina olim vigente explicantur.
5. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 753. Affirmat tamen CREUSEN, *o. c.*, n. 254 in dubio facti, omni exceptione remota, pro libertate esse pronuntiandum.
6. Cf. WERNZ, *o.* et *l. c.* ; MAROTO, *o. c.*, n. 230.
7. Sub voce homicidii non comprehenditur probabiliter abortus ex comparatione can. 989 et 985, 4° cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 255 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 754.
8. Uti saepius enuntiatur in can. 987, cf. *Collectianea Mechlinien.* 1927, t. I, p. 74.

potest sanatione, accedente circa eam Episcopi judicio, et tollitur irregularitas *ex defectu natalium per legitimationem* prolis sive subsequenti matrimonio [1] sive rescripto S. Pontificis, et etiam *per professionem sollemnem* (can. 984, 1°).

3° *Subjectum potestatis dispensandi.*

a) *R. Pontifex* ab omnibus irregularitatibus et impedimentis dispensare potest [2]. Sunt tamen irregularitates in quibus raro dispensat, uti sunt irregularitates ex bigamia vera, ex homicidio voluntario, ex defectu corporis, qui sit valde deformis [3].

b) « Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985, n. 4 aliave deducta ad forum judiciale » (can. 990, § 1) [4].

Circa amplam illam Episcopis factam potestatem dispensandi, nota sequentia : Vi illius concessionis dispensare possunt : α) *Ordinarii* ad normam can. 198, § 1 ; inter quos comprehenduntur etiam Superiores majores in religionibus clericalibus exemptis ; β) *subditos suos*. Si agatur de *promovendo* competens est Episcopus cujus dioecesi adscriptus est candidatus aut etiam Episcopus qui ordines confert ; si agatur de jam *promoto*, dispensat Episcopus domicilii [5] ; nec sufficit quasi-domicilium [6] ; γ) ab irregularitatibus omnibus *ex delicto occulto* provenientibus. Proin vigore hujus canonis nihil possunt Ordinarii in irregularitatibus *ex defectu*. Delictum occultum illud est quod non est divulgatum, nec in talibus contigerit aut in talibus versetur adjunctis, ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri (can. 2197) [7] ; δ) Excipiuntur irregularitates ex homicidio et abortu, et ex delicto ad forum judiciale ecclesiasticum deducto, i. e., cum citatio legitime facta fuerit aut partes sponte in judicium venerint (can. 1725) [8].

---

1. Quoad effectus legitimationis per subsequens matrimonium, cf. can. 1117 et index analytico-alphabeticus codicis, v° illegitimi. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 421 ; *Coll. Mechlinien., l. c.*, p. 75.
2. Dispensat pro foro interno etiam extrasacramentali erga omnes in Ecclesia universali, S. Poenitentiaria ; pro foro externo et in regionibus juris communis S. C. de Sacramentis, nisi agatur de dispensandis *presbyteris* ab irregularitate ex *delicto*, pro quo casu competens est S. C. Concilii, salvo jure S. C. de Religiosis ad moderandam ordinationem religiosorum ritus latini et salvo jure S. Officii in casibus can. 985, 1° et 987, 1°. Cf. t. II, *de Curia Romana*, n. 587 ; BLAT, *o. c.*, L. III, P. I, p. 457.
3. Cf. *Collect. Mechlinien., l. c.*, p. 76.
4. Cf. Trid. Sess. XXIV, c. 6 de ref., unde can. 990, § 1 desumptus est.
5. Cf. GASPARRI, *o. c.*, p. 136 ; LEGA, *o. c.*, p. 305 s.
6. Cf. tamen ICARD, *o. c.*, t. III, p. 365.
7. Cf. supra, n. 1690.
8. Quoad potestatem concessam Ordinariis dispensandi clericos qui partes habuerunt in bello, cf. postea n. 1934.

c) « Eadem facultas competit *cuilibet confessario,* in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines jam susceptos exercere licite valeat » (can. 990, § 2) [1]. Dicitur α) *eadem facultas,* nempte circumscripta limitationibus et exceptionibus ut in eodem can., § 1 ; β) *competit cuilibet confessario,* per se ipsum exercenda, erga omnes pro quibus est approbatus, etiam extra actum confessionis [2] ; γ) *in casibus urgentioribus,* quarum conditiones determinantur in ipso textu canonis [3]; δ) post datam dispensationem nullus recursus ad S. Sedem imponitur.

d) *Superiores regulares* ex privilegio proprio vel communicato suos omnes subditos ab omni irregularitate dispensare possunt. Haec potestas non valet nisi pro solo foro interno si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario [4].

4° *De modo quo dispensatio petitur et conceditur.*

a) « In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt [5] ; secus dispensatio *generalis* [6] valebit quidem etiam pro reticitis *bona fide,* iis exceptis quae in can. 990, § 1 excipiuntur [7], non autem pro reticitis in mala fide » (can. 991, § 1).

Imo « si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam

---

1. Cf. decret. S. Off., 6 sept. 1909, ap. *AAS.*, t. I, p. 677 s., sed dum illa concessio S. Sedis valebat tam pro ordinibus suscipiendis quam pro exercendis, nova facultas limitatur ad ordines exercendos. Cf. *Collat. Brugen.*, t. XIV, p. 605 ; VERMEERSCH, *Periodica,* t. V, p. 52. Cf. OESTERLE, *Vollmacht der Beichtväter von Irregularitäten zu dispensieren,* in *Münsterisches Pastoralblatt,* 1921, p. 33 ss.

2. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 261. Cf. tamen *Collect. Mechlinien., l. c.*, p. 78.

3. Hic applicari nequit can. 2232 ubi agitur de poena. Si tamen deficeret confessarius, urgente periculo infamiae, licitus esset usus epicheiae. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 755. Non recta videntur quae hi auctores habent de casu occulto procurationis abortus, ex applicatione decreti cit. S. Off., 6 sept. 1909. Utique si quis ex abortu occulto censuram et irregularitatem contraxerit, et casus urgeat, poterit a *censura* absolvi a confessario ad normam can. 2254 ; ab *irregularitate* vero observanda periculum gravis infamiae per benignam interpretationem legis excusabit, sed erit quantocius ad confessarium aut ad Superiorem recurrendum. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.* V. etiam *Coll. Mechlinien., l. c.*, p. 77, nota 1.

4. Cf. de privilegiis regularium, FEYE, *o. c.*, n. 387 ; PIAT [2], *Prael. jur. reg.*, t I, p. 574 ss. ; WERNZ, *o. c.*, p. 160 ; GASPARRI, *o. c.*, p. 142 ; HILARIUS A SEXTEN, o. c., p. 295 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

5. Cf. supra n. 1922, de multiplicatione irregularitatum et impedimentorum.

6. Si est specialis dispensatio valet tantum pro casibus expressis.

7. Nempe irregularitates ex homicidio et abortu, necnon ex delictis ad forum judiciale deductis.

numerus [1] delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis » (*ibid.*, § 2).

b) « Dispensatio in foro interno non sacramentali, scripto consignetur ; et de ea in secreto Curiae libro constare debet » (*ibid.*, § 4).

Dispensatio in foro externo concessa adnotetur in libro Ordinationum de quo in can. 1010, § 1, et saltem documentum accurate servetur [2].

c) In jure nulla praescribitur forma in dispensando adhibenda. Qui autem habet facultatem dispensandi, formula sequenti aut aequivalenti uti potest : *Dispenso tecum super irregularitate quam incurristi propter...* (talem causam) *in nomine Patris,* etc. vel : *Auctoritate mihi concessa a S. Pontifice* (aut ab Episcopo) *dispenso tecum,* etc. *et habilem reddo et restituo executioni ordinum et officiorum tuorum, in nomine Patris,* etc. [3].

5° *Effectus dispensationis.* « Dispensatio *generalis* ad ordines valet pro ordinibus quoque majoribus ; et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus vel Praelatus *nullius,* Superior major in religione clericali exempta » (can. 991, § 3).

ARTICULUS II. — De irregularitatibus et impedimentis in specie.

§ 1. IRREGULARITATES EX DEFECTU.

Sunt irregulares ex defectu :

1924. — I. « **Illegitimi,** sive illegitimas [4] sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi » (can. 984, 1°) [5].

Illegitimi sunt illi qui non sunt concepti vel nati ex matrimonio valido aut putativo vel qui nati quidem sunt ex matrimonio sed ex parentibus, quibus ob sollemnem professionem religiosam vel ob susceptum ordinem, prohibitus fuerit, tempore conceptionis, usus matrimonii antea contracti [6].

Expositi, juxta sententiam quae videtur probabilior, habendi non sunt ut illegitimi, sed in praxi indigent dispensatione. Quod si promoti sint sine dispensatione, possunt in ordine suscepto ministrare [7].

1. Cf. can. 989.
2. *Collect. Mechlinien., l. c.,* p. 79.
3. *Rit. Rom.,* de modo absolvendi a suspensione, etc., *Collect. Mechlinien., l. c.,* p. 79.
4. Liber baptismorum de legitimitate plenam fidem facit.
5. Haec irregularitas vocabatur olim *ex defectu natalium.*
6. Cf. can. 1114 ; DE SMET, *o. c.,* n. 283 s., 285.
7. Cf. WERNZ, *o.* et *l. c.*

Irregularitas ex illegimitate *tollitur* quadruplici modo : per sollemnem professionem religiosam ; per litteras legitimationis a S. Pontifice concessas ; per legitimam dispensationem ; et « per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis » (can. 1116) [1], i. e., dummodo proles sit naturalis et non spuria [2].

1925. — II. « **Corpore vitiati** qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt » (can. 984, 2°).

Irregularitatem hanc pariunt illi corporis defectus, qui vel sacro altaris ministerio exercendo propter debilitatem impares reddunt ; vel eam corporis deformitatem afferunt, ut decenter propter horrorem aut risum quem moveant, altaris ministerium exerceri non possit.

1° Hinc irregulares habentur : a) *mutilati,* qui scilicet carent aliquo membro, ut si quis sit truncatus membro, et inde impediatur congruum exercitium ordinis seu celebratio, aut notabilis oriatur deformitas ; v. g. si quis naso, brachio aut pede careat ; manu, pollice, aut tribus posterioribus digitis careat aut uti non valeat [3] ; b) *caeci,* non autem illi, qui uno tantum oculo carent, etiamsi esset sinister seu *canonicus,* dummodo sine magna contorsione faciei canonem legere possint [4] ; c) *surdi,* non vero surdastri ; d) *muti,* vel ita balbutientes ut verba integra pronuntiare non possint, aut qui tam difficili pronuntiatione utuntur ut risum vel contemptum adstantium moveant ; e) insigniter *claudi ;* enormiter

---

1. Cf. De Smet, *o. c.*, n. 287 ss.; Wernz, *o. c.*, p. 206 s. ; cf. Genestal, *Histoire de la légitimation des enfants naturels en dr. canonique,* Paris, 1905.

2. Proles naturalis est illa quae extra matrimonium concepta est tempore quo parentes nullo inter se afficiebantur impedimento dirimente, et etiam illa cujus parentes quidem inhabiles erant ad matrimonium contrahendum conceptionis momento, habiles autem effecti sunt ante nativitatem.

3. Cf. S. C. C., 24 aug. 1907 (dispensatur clericus carens pede), ap. *Il monit. eccl.*, 1907-1908, t. XIX, p. 386 s. ; 8 apr. 1908 (dispensatur sacerdos carens brachio dextro), *ibid.*, 1908-1909, t. XX, p. 113 ; S. C. de Relig., 21 jan. 1913 (dispensatur religiosus carens digito annulario et dimidia parte medii), *ibid.*, 1913-1914, t. XXV, p. 355 s. ; 28 apr. 1911 (dispensatur religiosus, cui amputati sunt digiti, excepta prima phalange pollicis et parva parte indicis) ; S. C. de Sacram. 1 jul. 1918 (dispensatur ad ordinationem juvenis carens manu dextra, *AAS.*, 1921, t. XIII, p. 436 s. Cf. alias plures causas ap. Ojetti, *o. c.*, col. 2395 ss.

4. Cf. Wernz, *o. c.*, p. 163, nota (95) ; Ojetti, *o. c.*, v° caeci. Cf. S. C. C., 28 mart. 1908, ap. *Il monit. eccl.*, 1908-1909, t. XX, p. 53 s. ; S. C. de relig., 28 nov. 1924, ap. *Anal. Ord. Min. Capuc.*, 1925, p. 37.

gibbi : vel aliter *monstruosi ;* f) ab hac irregularitate alieni non sunt *leprosi, nimiis capitis doloribus laborantes, abstemii,* etc.

Judicium de vitii gravitate spectat ad Episcopum, qui in solutione dubiorum inter alia attendere debet ad mores regionis.

2° Si defectus corporis ordinationi superveniat, nisi quis voluntarie seipsum directe mutilaverit, inducit tantum irregularitatem pro illo solo ordinis actu qui absque irreverentia exerceri nequit, et gravior *requiritur defectus.*

3° Ex decreto S. C. Consist., 25 oct. 1918 [1], Ordinarii locorum et religiosorum suos *sacerdotes* e militia redeuntes *dispensare* [2] possunt si, judicio magistri rubricarum, ritus in sacro ministerio necessarios decenter implere possint. Si ritus quidem alicujus momenti omittendi sint, vel sacerdote assistente opus sit, adeunda est S. Sedes, sicuti in omni casu pro *non-sacerdotibus* [3].

1926. — III. « Qui **eleptici** vel **amentes** vel a **daemone possessi** sunt vel fuerunt ; quod si post receptos ordines tales evaserint et jam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere » (ibid., 3°) [4].

Hinc sunt irregulares amentes et furiosi ex causa habituali et permanenti, etsi lucida intervalla habeant, lunatici, energumeni seu daemoniaci et epileptici [5]. Haec irregularitas etiam eos tenet qui ex his defectibus convaluissent ; fert enim canon : *sunt* vel *fuerunt.* Inde, v. gr., si nulla signa morbi dederit per plures annos qui ante pubertatem epilepsi correptus est, probabilius adhuc eget dispensatione quae caeterum facile conceditur [6].

1927. — IV. « **Bigami** qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt » (*ibid.,* 4°).

---

1. Cf. *AAS.,* t. X, p. 481. Cf. etiam S. C. de Sacram., 3 apr. 1916, *ibid.,* t. VIII, p. 153.
2. Quoad rationes dispensationis petendae, cf. GASPARRI, *o. c.,* t. I, n. 255.
3. Cf. circa hanc irregularitatem. OJETTI, *o. c.,* v° irregularitas ; WERNZ, *o.* et *l. c. ;* LEHMKUHL, *o. c.,* t. II, n. 1023 ; *Theol. Mechl.,* De irregul., n. 3 ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 256 ; CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.,* n. 749.
4. Olim vocabatur illa irregularitas *ex defectu mentis,* cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1497. Ex hoc capite irregulares erant qui carebant ratione, scientia, vel fide confirmata.
5. Epileptici interdum irregularibus ex defectu corporis annumerantur. Cf. S. C. C., 26 aug., 1905 (duplex causa), ap. *Anal. eccl.,* 1905, t. XIII, p. 369, 371 ; 24 nov. 1906, ap. *Il monit. eccl.,* 1906-1907, t. XVIII, p. 434 ; 23 febr. 1907, *ibid.,* 1907-1908, t. XIX, p. 434 s. Cf. OJETTI, *o. c.,* v° irregularitas, col. 2395 ; VERMEERSCH-CREUSEN,, *o.* et *l. c.* Quoad *neurastenia laborantes,* cf. S. C. C., 20 dec. 1902, ap. *Il monit.,* 1902-1903, t. XIV, p. 485.
6. Ita CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o.* et *l. c. ;* cf. tamen in sensum contrarium cum GASPARRI, VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

1° Haec irregularitas dicebatur olim *ex defectu sacramenti,* nempe sacramenti matrimonii *pluries* recepti, seu bigamiae. Ratio ob quam bigami habeantur irregulares est, quod in bigamia deficiat perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia, quae unio est omnino simplex et non multiplex. Id vero illatum est ex I Tim., III, 2 et 12[1].

2° Olim bigamia distinguebatur triplex : scilicet realis seu vera, interpretativa, et similitudinaria[2] ; novo jure irregularitas oritur unice ex bigamia *vera,* quae habetur, quando quis plures successive uxores valide ducit. Ex claro canonis 984, 4° textu non requiritur ut matrimonia fuerint consummata[3], neque rata, sufficit ut sint *valida.* Ideoque si quis in infidelitate duplex contraxerit matrimonium, post baptismum fit irregularis.

1928. — V. « Qui **infamia juris** notantur » (*ibid.*, 5°).

Haec irregularitas dicebatur olim *ex defectu famae*[4] et oriebatur ex infamia *juris* et *facti.* Hodie soli infamia juris notati sunt irregulares ex defectu ; qui infamia facti laborant sunt simpliciter impediti.

Infamia juris est poena vindicativa quae incurritur vel ipso facto, vel post sententiam condemnatoriam, propter delicta in jure determinata[5].

1929. — VI. « **Judex** qui mortis sententiam tulit » (*ibid.*, 6°).

Haec irregularitas cum sequenti reduci potest ad eam quae olim vocabatur *ex defectu lenitatis.*

In jure antiquo ad plures praeter judices et carnifices extendebatur personas, ita ad omnes qui in causa criminali justa ad sententiam capitalem cooperati erant, effectu secuto, v. gr., testes voluntarios, procuratorem generalem qui poenam mortis exigebat ; extendebatur etiam ad laicos et clericos qui in bello justo offensivo sponte servitio militari sese adscripserant et aliquem propria manu occiderant aut mutilaverant, imo ad clericos in sacris qui illegitime artem chirurgicam exercentes, mortem alicui ex tali actione, etiam casualiter intulerant.

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 178 ss. ; MUELLER, *De bigamiae irregularitatis fonte et causa,* (Diss. Wrastisl.) 1868 ; SACHSSE, *Die Lehre von defectus Sacramenti* (Diss.), Berlin 1881.

2. Cf. DE BRABAND.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1503. Bigamia interpretativa ea erat qua quis ex interpretatione juris bigamus habebatur, licet unicam duxisset uxorem. Casus erat, v. gr., illius qui matrimonium inibat et consummabat cum vidua a suo priori marito cognitam vel cum muliere qualibet ab alio corrupta. Bigamia *similitudinaria* fictione juris oriebatur ex duplici quodam matrimonio, uno spirituali per sacrum ordinem aut votum sollemne castitatis, altero carnali, post hujusmodi matrimonium spirituale sacrilege et invalide attentato et consummato. Quae bigamia similitudinaria nunc constituit irregularitatem ex delicto (can. 985, 3°).

3. Olim consummatio utriusque matrimonii requirebatur.

4. Cf. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1504.

5. Cf. supra, n. 1790.

Hodierno jure hoc capite irregularis est tantummodo *judex* [1] qui in causa justa sententiam capitalem tulit, probabiliter tamen si sententia ad effectum perducta fuerit [2]. Praeterea judex qui in infidelitate sententiam mortis pronuntiavit, inde irregularis non fit ; agitur enim de defectu christianae lenitatis [3].

Propter eumdem defectum lenitatis, irregulares sunt :

1930. — VII. « Qui munus **carnificis** susceperint eorumque voluntarii et immediati ministri in exsecutione sententiae » (*ibid.*, 7°).

Ad contrahendam irregularitatem sufficit susceptio muneris carnificis. Quoad ministros voluntarios et immediatos oportet ut capitalis sententia cum eorum opere exsecutioni mandetur.

§ 2. IRREGULARITATES EX DELICTO

« Sunt irregulares ex delicto :

1931. — I. « **Apostatae a fide, haeretici, schismatici** » (can. 985, n. 1°).

Antiquiori jure non tantum hanc irregularitatem contrahebant apostatae a fide, haeretici et schismatici [4], sicuti statuitur novo jure, sed praeterea omnes eis favorem aut auxilium praestantes, imo filii haereticorum [5], nati durante haeresi parentum, usque ad secundam generationem in linea paterna, usque ad primam tantum in materna [6].

Haeretici et schismatici qui *bona fide* haeresi aut schismati adhaeserunt, cum expertes sint delicti, non sunt irregulares [7]. Consultius tamen iis dispensatio ad cautelam concedatur.

1932. — II. « Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, **baptismum ab acatholicis** quovis modo sibi conferri siverunt » (*ibid.*, 2°).

1° Quae irregularitas sub antiquo jure jam existebat, nempe ex abusu baptismi, seu ex delicto voluntariae susceptionis baptismi ab haereticis. Infantes tamen in hanc non incurrebant [8].

1. *Jurati* non incurrunt in hanc irregularitatem, cum sententiam non proferant.
2. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 186 s. ; VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.* ; in sensum contrarium CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 749.
3. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*
4. Quinam hi sunt dictum est supra, n. 1285. — Plures auctores, v. g. S. Alph., Gury, Icard, Lehmkuhl, Santi, Lega olim docebant ex variis motivis ad hanc irregularitatem ex haeresi et apostasia (quae haeresim involvit) incurrendam requiri ut haeresis sit *publica* ; sed hodie certum est propter can. 986 eam contrahi etiam ob haeresim, schisma, apostasiam *occultam*.
5. Sunt nunc simpliciter impediti.
6. Cf. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1509.
7. Olim erant irregulares, cf. S. Off., 4 dec. 1890, ap. *Collect. S. C. de P. F.*, n. 1178. — Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 750.
8. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 212.

2° Dicitur a) *Acatholici,* qui probabiliter sunt tantummodo baptizati qui in haeresi aut in schismate vivunt, non infideles [1] ; b) *Quovis modo,* h. e., sive sollemniter, sive absque ritibus haereticorum ; c) *siverunt.* Ideo infans ab hac irregularitate immunis dicendus est, non impuber, modo sufficientem usum rationis habuerit.

1933. — III. « Qui **matrimonium attentare** aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstrictis aut matrimonio valido conjuncta » (*ibid.,* 3°).

Habetur hic, sed severius concepta quam antea, irregularitas veteris juris ex bigamia interpretativa et similitudinaria [2]. Extenditur nunc non tantum ad eos qui ordine sacro aut votis sollemnibus sunt ligati, sed ad omnes qui *vota religiosa,* simplicia etiam et temporaria, professi sunt, et praeterea ad attentationem matrimonii adulterio infecti.

Verba *ausi sunt* plenam cognitionem et deliberationem exigunt [3] in attentatione matrimonii sacrilegi aut cum adulterio conjuncti. Qua verificata scientia et deliberatione, ignorantia ipsius irregularitatis ab hac non excusat [4].

1934. — IV. « Qui voluntarium **homicidium** perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes » (*ibid.,* 4°).

1° Irregularitas incurritur ex *homicidio* voluntario et graviter culpabili, etiam occulto, sive directe sive indirecte volito [5], actione sive physica sive morali, actu privato vel publico, efficaciter patrato [6]. Quae irregularitas extenditur ad omnes cooperantes.

Hinc irregulares sunt : a) omnes qui causa sunt immediata mortis alicujus, etiamsi illos poeniteat antequam laesus moriatur. Si quis lethaliter hominem percusserit, et alter occiderit, uterque incurrit irregularitatem, quia uterque est vere homicida.

b) Omnes qui consilio, mandato, consensu, exhortatione et auxilio participes sunt caedis. Sic irregulares fiunt qui se mutuo excitant, licet

1. Ratio est quia verbum *acatholici* adhibetur nullo addito vocabulo, dum alibi codex latiorem indicat significationem dicendo « acatholicis quibuscumque ». Confirmatur etiam ex connexione cum antiquo jure, quod statuendo hanc irregularitatem arcere voluit favorem haeresis et periculum fidei. Cf. tamen BLAT, *o. c.,* p. 430 ; *Nederlandsche kath. Stemmen,* 1925, t. XXV, p. 10 s.
2. Cf. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.,* n. 1503.
3. Can. 2229, § 2.
4. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.,* n. 750.
5. Sufficit ergo ut homicidium sit voluntarium in causa, modo plene imputabile, puta per voluntariam et gravem omissionem debitae diligentiae in aegro curando. Cf. GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.,* n. 634 ; WERNZ, *o. c.,* p. 226, 228. Cf. tamen VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.,* n. 257, 4°.
6. Trid. Sess. XIV, c. 7 de ref.

unus tantum occidat ; qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium ; qui testes sunt, accusatores aut judices injusti ; item omnes in bello *injusto,* sive defensivo sive offensivo, pugnantes vel militibus proxime cooperantes auxiliumve ferentes, etiamsi unus tantum occiderit [1].

2° *Quid censendum sit de homicidio casuali aut ex inculpata defensione.* Ad dignoscendum num homicidium quod praeter opinionem et fortuito, aut etiam inculpata defensione acciderit, eximat a poena irregularitatis, ex regulis quae sequuntur, res tota existimanda videtur.

1ª *Regula.* Qui dat operam rei licitae, et eam diligentiam adhibet, ut nulla ratione homicidium praevideri potuerit, irregularis non est, etiamsi homicidium inde sequatur. Unde si medicus aut chirurgus, artis suae peritus, debita adhibita diligentia, membra abscidit aut pharmacum mortiferum infirmis ministret, nulla irregularitate irretitur, etiamsi ex potione aut incisione mors sequatur. Attamen medici et chirurgi, licet nullius certae culpae meminerint, solent, antequam ordines suscipiant, petere rescriptum dispensationis ad cautelam [2].

2ª *Regula.* Qui dat operam rei licitae, sed gravi omissione debitae diligentiae hominem occidit, irregularitatem contrahit.

3ª *Regula.* Praefatae regulae applicandae videntur etiam illi, qui dat operam rei illicitae, nisi agatur de clericis qui rei illicitae ipsis specialiter prohibitae operam dantes, etiam servata debita diligentia, sunt causa mortis alicujus [3]. Hujus regulae applicationem videbimus postea agendo de clericis medicam aut chirurgicam artem exercentibus.

4ª *Regula.* Tandem, non incurrit in irregularitatem qui servato moderamine inculpatae tutelae, injustum occidit invasorem, ad necessariam defensionem a) vitae propriae vel alienae ; b) rerum temporalium magni momenti, nec facile via juris recuperabilium ; c) rerum temporalium, quando periculum vitae probabile adest ; d) libertatis vel pudicitiae [4].

Nota. In casuali inculpabili homicidio et quoties ob defensionem propriam a clerico aliquis occisus est, et de hoc publice constat, clericus a sacris abstinere jubetur, donec re ab Ordinario inquisita et innocentia cognita usus sacrorum restituatur [5]. Imo cum facile in defensione propria moderamen inculpatae tutelae excedatur, dispensatio dari solet ad cautelam [6].

---

1. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 226 ; GASPARRI, *o. c.*, p. 278 ss. CREUSEN, *o.* et *l. c.*, n. 237, excludit cooperatores *negativos.*
2. Cf. BENED. XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. 10.
3. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 228, nota (413).
4. Cf. *L'ami du clergé*, 1924, t. XLI, p. 263 ss.
5. Cf. Conc. Trid. Sess. XIV, c. 7 de ref. ; LAURENTIUS, *o. c.*, p. 72. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 232, nota (429).
6. Cf. GASPARRI, *o. c.*, p. 628.

3° Decreto S. C. Cons. *Redeuntibus,* 25 oct. 1918[1], omnibus Ordinariis locorum et religiosorum facultas concessa est « dispensandi saltem ad cautelam, ex irregularitate, quae a canonistis olim dicebatur *ex defectu lenitatis,* quoties sacerdotes, clerici et seminariorum seu religionum alumni in eam incurrerint non ex facto proprio sed ex necessitate, coacti nempe ad arma capessenda et mortem vel mutilationem forte inferendam. » Haec concessio facultatis aegre componitur cum cessatione irregularitatis *ex defectu lenitatis* praeter duos casus expressos in can. 984, 6° et 7°. « Nobis videtur, ait P. Creusen[2], dispensatio inutilis clericis qui moderamen inculpatae tutelae servaverunt ; alii vero ex delicto homicidii vel mutilationis, non ex defectu lenitatis irregulares facti sunt.

« Quotiens vero agatur de clericis in sacris qui, non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda, aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum » (ex eodem decret., c. I).

Imo, decreto 28 martii 1919[3], eadem Congregatio declaravit clericos in sacris, militum vulneratorum vel infirmorum assistentiae addictos, qui ex hujusmodi ministerio sponte sua maluerunt transire ad militiam pugnantem, quin tamen mortem vel mutilationem intulerint, teneri dispensationem a S. Sede impetrare ut ad sacri ministerii exercitium restituantur.

Non conabimur interpretari has dispositiones eas comparando cum jure antiquiori et jure novo ; potius admittamus conclusionem P. Creusen[4] : hic agi de nova et temporaria irregularitate, qua, facta propter adjuncta abstractione a consuetis distinctionibus inter bellum justum et injustum, offensivum et defensivum, providetur dignitati et decentiae in exercitio sacri ministerii servandis[5].

4° Procurantes *abortum foetus humani,* effectu secuto, omnesque ad occisionem cooperantes contrahunt irregularitatem. Abortus habetur ubi consulto ejiciatur foetus humanus immaturus, seu antequam extra sinum maternum vivere possit[6].

1935. — V. « Qui seipsos vel alios **mutilaverunt** vel **sibi vitam adimere** tentaverunt » (*ibid.,* 5°) :

1° Mutilatio est amputatio vel truncatio membri seu partis corporis proprii vel alieni, quae proprium officium habet ab aliis distinctum, uti sunt manus, pes, oculus, lingua, non vero nasus, dentes, unus alterve

---

1. *AAS.,* 1918, t. X, p. 481. Cf. etiam declar., 20 jan. 1919, *ibid.,* t. XI, p. 43.
2. *O. c.,* n. 261.
3. *AAS.,* XI, p. 177.
4. *O.* et *l. c.*
5. Cf. GEIGER, *Die Irregularitäten der Theologen als Kriegsteilnehmer,* in *Th. prak. Monatschrift,* 1916, t. XXVI, p. 15 s. ; *Th. prak. Quartalschrift,* 1916, t. LXIX, p. 244.
6. Cf. supra, n. 1853. Ex omissione verbi « animati », rejecta fuit antiquata theoria quae foetum masculinum post quadraginta dies, foetum vero femineum post octoginta a conceptione dies anima rationali animari supponebat.

digitus [1]. Num mutilatus sit qui vasectomiam passus sit, facto dubium manet, etsi sententia affirmans multo probabilior sit ; castratio, si uterque testiculus aufertur, est gravis mutilatio [2].

2° Oportet ut mutilatio sit voluntaria [3] et graviter culpabilis.

3° Cooperantes ad mutilationem non incurrunt irregularitatem.

4° Ex attentato suicidio nova oritur irregularitas.

1936. — VI. « **Clerici medicam** vel **chirurgicam artem** sibi vetitam **exercentes,** si exinde mors sequatur » (*ibid.*, 6°).

Irregularitas contrahitur a clericis si, graviter violantes legem ipsis *specialiter* prohibentem exercitium [4] artis medicae vel chirurgicae, etiam servata debita diligentia [5], exinde sunt causa mortis alicujus [6]. Oportet ergo ut ex exercitio artis illicitae mors sequatur.

1937. — VII. « Qui **actum ordinis,** clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab ejus exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti » (*ibid.*, 7°).

Haec irregularitas olim vocabatur ex *usu ordinis non suscepti et ex violatione censurae :* at notandum venit quod hodierno jure coarctetur ad usurpatum exercitium actus ordinis *sacri* [7].

1° Ad incurrendam ipso jure, primo de capite, hanc irregularitatem, requiritur a) ut ministrans, sive clericus sive laicus [8], exerceat actum notabilem et proprium ordinis majoris, aut nunquam aut invalide suscepti, et eo modo quo vi ordinis et juxta disciplinam canonicam, nonnisi ab ordinatis licite exerceri potest, ergo sollemniter, vel etiam sine apparatu exteriore si agatur de actu qui nonnisi ab ordinato valide exerceri queat, puta absolutionem dare [9]. Unde irregularis non est qui privatim baptismum confert, clericus non subdiaconus cantans epistolam sine manipulo [10], aut non diaconus cantans Evangelium sine stola ; at irre-

---

1. Cf. LEHMKUHL, *o. c.*, t. II, n. 1016 ; WERNZ, *o. c.*, p. 226 ss.
2. CREUSEN, *o. c.*, n. 257, 5°.
3. In se vel in causa. Cf. dicta de *homicidio*.
4. Cf. supra, n. 378.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 228, nota (413), supra n. 1934.
6. Quodsi mors sequatur ex voluntario et gravi defectu prudentiae et diligentiae, non secus ac laici, incurrerent praeterea in irregularitatem ex homicidio. Cf. CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o.* et *l. c.* ; GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.*, n. 634. Cf. tamen CREUSEN, *o. c.*, n. 257, 6°.
7. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1507 s.
8. Uti jam olim a quibusdam affirmabatur, cf. WERNZ, *o. c.*, p. 217 nota (350) ; aliis contradicentibus.
9. Cf. WERNZ, *o.* et *l. c.*, p. 216, nota (340) ; GÉNICOT-SALSMANS, *o. c.*, n. 635 ; GASPARRI, *o. c.*, n. 339 ss.
10. Ex resp. S. C. R., 14 mart. 1906, ad hoc sufficit causa rationabilis.

gularis est laicus vel clericus non sacerdos qui Missae celebrationem simulaverit aut confessionem sacramentalem exceperit [1] ; b) ut haec usurpatio sit voluntaria et graviter culpabilis [2].

2° Irregularis est etiam clericus, qui censura aut poena vindicativa ligatus extra necessitatem ex culpa gravi exercet actum *proprium ordinis majoris suscepti,* ipsi ex hac contracta poena prohibitum.

Ut autem irregularitas ex hoc capite incurratur, requiruntur sequentes conditiones :

a) Ut exercens ordinem actu jam sit poena *ligatus*. Poenae quae exercitium ordinis prohibent sunt excommunicatio (can. 2261, § 1), interdictum personale (can. 2275), suspensio ab officio simpliciter, ab ordine, etc., juxta dicta superius [3] (can. 2279), sive sit censura, sive sit poena vindicativa [4] ut si in perpetuum aut ad tempus definitum infligatur (can. 2298, 2°), item interdictum locale ex parte saltem (can. 2270) [5]. Parum refert num poena sit publica aut occulta.

b) Ut censuratus exerceat *actum majoris ordinis suscepti,* sibi ex hac contracta poena *prohibitum*. Unde irregularis non est α) qui exercet actum jurisdictionis absque exercitio ordinis, v. g. dispensando in votis, assistendo matrimonio, etc. ; β) qui censura ligatus suscipit ordinem, etiamsi in suscipiendo ordine ipsum ordinem exerceat, v. g. presbyter celebrans cum Episcopo ordinante ; γ) qui exercet ordinem sibi non prohibitum.

c) Ut, uti supra explicavimus, exerceat actum *proprium* ordinis sacri.

d) Ut agat ex gravi culpabilitate. Unde irregularis non est α) qui laborat ignorantia legis prohibentis exercitium ordinis [6] ; β) qui ordinem exercet in extrema necessitate vel causa vitandi scandalum aut infamiam.

Nota. Irregularitas *ex iteratione baptismi* [7] novo jure abrogata est, item *ex turpi mercimonio* circa stipendia missarum [8].

---

1. Cf. can. 2322, supra, n. 1822.
2. Cf. etiam circa hanc irregularitatem, *Il monit.*, 1919, p. 268 ; 1921, p. 284 s.
3. Cf. supra, n. 1782.
4. Jam jure superiori irregularitas contrahebatur ex violatione censurae indolem poenae vindicativae prae se ferentis.
5. S. C. Consist., decreto *Magni semper,* 30 dec. 1918 (*AAS.*, t. XI, p. 39) sacerdotibus demigrantibus ex Europa vel mediterranei oris ad Americam vel Philippinas insulas certas leges praestituit, ob quarum temerem violationem « suspensi a divinis ipso facto maneant » ; violatione hujus censurae in irregularitatem incidunt, cujus absolutio S. S. reservatur.
6. Non agitur de violatione simplicis prohibitionis exercendi ordinem. Cf. CREUSEN, *o. c.*, n. 257.
7. Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1510 ss.
8. Cf. decret. S. C. Conc. *Vigilanti,* 25 maii 1893.

§ 3. SIMPLEX IMPEDIMENTUM AD ORDINES.

« Sunt simpliciter impediti :

1938. — I. « **Filii acatholicorum,** quamdiu parentes in suo errore permanent » (can. 987, 1°).

Hoc impedimentum olim ut irregularitas habebatur pro filiis haereticorum, nati durante haeresi parentum usque ad secundam generationem in linea paterna, sed in materna usque ad primam tantum [1].

1° *Filii* intelliguntur tantummodo descendentes sive in linea paterna, sive in materna usque ad primum gradum [2].

2° Certe probabilis est sententia eorum qui tenent vocem « acatholicorum » simpliciter adhibitam intelligendam esse de haereticis et schismaticis, exclusis infidelibus et judaeis [3].

3° Hoc impedimentum contrahitur, etiam si alter parens catholicus sit et matrimonium mixtum cum dispensatione sit initum [4].

4° Cessat impedimentum per conversionem parentum, et etiam probabiliter per mortem eorum. « Hoc enim, ait P. Creusen [5], postulat ipse canonis textus, qui est strictae interpretationis et, in impedimentis simplicibus, codex rationem tantum praesentis conditionis candidati habet. »

1939. — II. **Viri uxorem habentes.**

Hoc impedimentum cum duobus sequentibus habebatur olim ut irregularitas *ex defectu libertatis* [6]. Ita irregulares erant conjugati, qui ordines suscipere nequibant, nisi de consensu uxoris vel castitatem coram Episcopo voventis, si in ea sit maturiori aetate ut ab omni suspicione incontinentiae sit immunis, vel religionem ingredientis, si adhuc sit juvenis.

Nunc vinculum matrimoniale est impedimentum ad ordines, in quod dispensatio non conceditur nisi uxor libere consenserit et a variis incommodis satis cautum sit [7].

1940. — III. « Qui **officium** vel **administrationem** gerunt clericis veti-

---

1. Cf. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o. c.*, n. 1509.
2. Non vero, ut antiquo jure, in linea paterna usque ad secundum gradum cf. Resp. Com. ad interp. cod. can., 14 jul. 1922, ap. *ASS.*, t. XIV, p. 528. Cf. VERMEERSCH, *Period.*, t. XII, p. (10).
3. Cf. CREUSEN, *o. c.*, n. 259 ; RAUS, in *Theol. prak. Quartalschrift*, 1923, t. LXXVII, p. 122 ss. ; in alium sensum CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, *o. c.*, n. 752, aliique ibid. citati ; *Nederl. kath. Stemmen, l. c.*, p. 10.
4. Com. ad interpr. cod. can., 29 oct. 1919, *AAS.*, t. XI, p. 478.
5. *O.* et *l. c.* In jure antiquo aliter statuebatur. Cf. DE BRAB.-VAN COILLIE, *o.* et *l. c.*
6. Cf. *ibid.*, n. 1501.
7. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *o.* et *l. c.*

tam cujus **rationes** reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint » (*ibid.*, 3°) [1].

1941. — IV. « **Servi** servitute proprie dicta ante acceptam libertatem » (*ibid.*, 4°).

1942. — V. Qui ad **ordinarium militare servitium** civili lege adstringuntur antequam illud expleverint » (*ibid.*, 5°).

Jam olim milites qui actu erant militiae addicti, ante expletum servitium, ad statum clericalem et ad ordines promoveri non poterant [2].

Ordinarium servitium militare illud est quo quis armis uti jubetur; non intelligendum est de speciali servitio cui in Belgio clerici addicuntur ut sc., curam suam impendant aegrotis et vulneratis. Nec jam ordinarium explent servitium qui ad exercitia annua, post expletum servitium activum, obligantur [3]. Commissio pontificia ad authentice interpretandos codicis canones ad quaestionem : « Utrum ad sensum can. 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati », respondit, 2-3 jan. 1918. « Affirmative » [4].

1943. — VI. « **Neophyti,** donec, judicio Ordinarii sufficienter probati fuerint » (*ibid.*, 6°).

Neophyti illi olim irregulares erant ex defectu fidei confirmatae.

Ex hoc capite impediti sunt neophyti qui in adulta aetate recenter baptismum receperunt, quandoquidem ipsorum constantia in fide adhuc dubia et incerta est, donec elapsum sit tempus, prudenti arbitrio Ordinarii authentice declarandum, quo suae fidei sufficiens dederint testimonium [5].

1944. — VII. « Qui **infamia facti** laborant, dum ipsa, judicio Ordinarii, perdurat » (*ibid.*, 7°) [6].

Infamia facti tollitur vel per secutam emendationem diuturni temporis vel per sufficientem probationem innocentiae, accedente auctoritate Ordinarii ut constet infamiam cessasse.

---

1. Cf. can. 139, § 2 et 3, n. 380 s.
2. Cf. S. Off., 31 aug. 1904, ap. *Il monit. eccles.*, 1904-1905, t. XVI, p. 289. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 192 s.
3. Cf. decret. S. C. de Relig., 1 jan. 1911, ap. *AAS.*, t. III, p. 37.
4. Cf. *AAS.*, t. X, p. 344.
5. Cf. WERNZ, *o. c.*, p. 174 ss.
6. Cf. can. 2293, § 3, supra n. 1790.

DEO GRATIAS.

INDEX ALPHABETICUS RERUM

(Numeri indicantur marginales)

A

ABBATES DE REGIMINE, privilegia, 1043.

ABBATIA ET PRAELATURA *nullius*. Erectio, circumscriptio, divisio, unio, suppressio, 489.

ABBONIS collectio canonum, 61.

ABORTUS. Notio. — Poenae in procurantes abortum, 1853. — Abortum procurantes sunt irregulares, 1934.

ABSOLUTIO A CENSURIS, 1725. V. *Censurae*, absolutio.

ABSOLUTIO COMPLICIS IN PECCATO TURPI. Poenae, 1871.

ABSOLUTIO AB EXCOMMUNICATIONE absque facultate. Poenae, 1838.

ABSOLUTIO APOSTATAE, HAERETICI, SCHISMATICI AB EXCOMMUNICATIONE, 1814.

ABUSUS AUCTORITATIS relate ad imputabilitatem delicti, 1697.

ACATHOLICI. Quinam ita vocantur, 1365, 1932, 1938. — V. Communicatio in sacris.

ACATHOLICA RELIGIO, *Sensus*, 1819. — Poenae in participationem religioni acatholicae, 1819.

ACCESSUS AD LOCUM CONTROVERSIAE et recognitio judicialis rei controversae, 1584.

ACCUSATIO seu actio accusatoria, 1525.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS. Poenae in delinquentes circa ea, 1833.

ACTUS LEGITIMI ECCLESIASTICI, 1753.

ACTA JUDICIALIA. Modus ea conficiendi et conservandi, 1556.

ACTIONES ET OBLIGATIONES societatum commercialium et industrialium. Licet clericis, servatis servandis, emere et retinere actiones, non negotiationem facere titulorum, 391. V. Negotiatio.

ACTIO INJURIARUM. Cui competit denuntiatio facienda, 1626.

ACTIO JUDICIALIS. *In genere*. Notio, 1561. — Divisio, 1562. — Principia circa actiones, 1563.

Actiones in specie. Actio de rei sequestratione et inhibitione exercitii juris, 1565. — Actio ex novi operis denuntiatione et damno infecto, 1566. — Actio ob nullitatem actorum, 1567. — Actio rescissoria, 1568. — Actio restitutionis in integrum, 1569. — Mutuae petitiones seu actio reconventionalis, 1570. — Actio possessoria, 1571.

Exstinctio actionum, quoad actiones contentiosas, 1572, quoad actiones criminales, 1573, quoad actiones poenales, 1574.

ACTIO RECONVENTIONALIS, quo ordine cognoscenda, 1550.

ACTOR in judicio. Notiones, 1557. De capacitate agendi, 1558.

ADDENDA ET CORRIGENDA, t. II, p. v s.

ADMINISTRATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM. V. Bona temporalia Ecclesiae.

ADMINISTRATIO BONORUM RELIGIONUM. V. Bona temporalia religionum.

ADMINISTRATORES APOSTOLICI. Notio et constitutio, 649. — Jura, officia et privilegia, 650. — Relationes juridicae inter Administratorem et Vicarium Generalem, 651. — Provisio regiminis in casu impeditae vel cessantis administratoris jurisdictionis, 652. — Cessatio officii administratoris, 653.

ADVENA, 314.

ADVOCATUS, 1560. — Advocati penes Dicasteria Romana, 577.

AES ALIENUM CONTRAHERE, 1493.

AFFINITAS, 321.

AGGREGATIO. V. Archiconfraternitates.
ALIENATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM. Notio, 1482. — Prohibitio Ecclesiae, 1483. — Res alienationi obnoxiae vel non, 1484. — Sollemnitates alienationis, 1485. — Modus alienationis, 1486. — Licentia competentis superioris, 1487. — Remedia contra illicitam alienationem, 1488. — Poenae male alienantium, 1489, 1850.
ALIENATIO imaginis pretiosae, 1267.
ALIENATIO RELIQUIARUM, 1268.
ALTARE. Notio. Divisio. An in ecclesia benedicta altaria tanquam fixa consecrari possint, 1152.
Altaria fixa et portatilia. Requisita ad consecrationem, a parte ipsius altaris, 1154, a parte reliquiarum, *ibid.* — *Consecratio* altarium : necessitas, minister, tempus, ritus, 1155. Exsecratio altarium, 1156. — Titulus altarium, 1157. — Usus altarium, 1158.
Altare privilegiatum. Notio et Divisio, 1159. — Efficacia, 1160. — Conditiones concessionis, 1161. — Conditiones ad lucrandum indulgentiam altaris privilegiati personalis, 1162. — Praecipuae concessiones, 1163. — Suspensio et cessatio hujus privilegii, 1164.
Altaris portatilis privilegium. Notio, 1165. — Concessio, 1166.
AMENS. Domicilium, 317.
ANNULUS. Gestatio annuli a clericis, 371.
ANSELMI JUNIORIS collectio canonum, 57.
APOSTATA A RELIGIONE. Notio. Effectus, 1054. Poenae, *ibid.*, et 1888.
APOSTATA A FIDE. Notio canonica, 1285. — Poenae, 1814. — Sunt indigni sepulturae ecclesiasticae, 1232. — Sunt irregulares, 1931.
Edentes, defendentes, legentes, retinentes libros apostatarum apostasiam propugnantes excommunicantur, 1384.
APPARITORES, 1529.
APPELLATIO. Notio, 1601. — Jus appellandi, 1602. — Judex a quo vel ad quem appellare licet, 1603. — Fatalia appellatoria, 1604. — Effectus appellationis, 1605. — Appellatio a poenis inflictis vindicativis, 1787. V. *R. Pontifex*, potestas.
APPELLATIO AB ABUSU. Notio ; hujus abusus impugnatio, 1606. Cf. n. 519.
APPELLATIO AD CONCILIUM GENERALE. 519. — Poenae, 1832.
APPOSITIO MANUS PONTIFICIAE, 531.
ARCHICONFRATERNITATES ET PRIMARIAE UNIONES. Notio, 1090. — Juris aggregandi normae, 1091. — Effectus aggregationis, 1092. — Conditiones validae aggregationis, 1093.
ARCHIDIACONUS, 723.
ARCHIEPISCOPUS seu METROPOLITA. Nomen, 619. — Origo et historia, 620. — Creatio, 621. — Insignia, 622 ss. V. Pallium. — Potestas, ut Episcopus, 625, ut Archiepiscopus, 626, quoad suffraganeos, 627, in dioeceses suffraganeorum, 628. — Amissio dignitatis, 629.
ARCHIPRESBYTER, 802.
ARCHIVUM DIOECESANUM. Archivum publicum et archivum secretum. Documentorum custodia. Inventaria aliorum archivorum ecclesiasticorum in archivo dioecesano custodienda. Facultas inspiciendi documenta, 735.
ARCHIVUM ECCLESIASTICUM.
Inventaria conficienda, 735. — Facultas inspiciendi documenta, *ibid.* — Delicta circa documenta archivorum. Sanctiones, *ibid.*
ARCHIVUM PAROECIALE, 860.
ARS MEDICA AUT CHIRURGICA clericis interdicta, 378. — Quando ejus exercitium pariat irregularitatem, 1934, 1936.
ARTICULI ORGANICI, 255.
ASSOCIATIONES AB ECCLESIA COMMENDATAE, 1073, 1075.
ASSOCIATIONES DAMNATAE, SECRETAE, SUSPECTAE, 1073.
ASSOCIATIONES PIAE. *In genere.* Notio et species, 1074. — Erectio formalis et approbatio, 1075. — Associationis regimen : titulus, statuta, subjectio Ordinario loci, bona temporalia, 1076. — Associationum sodales : necessitas receptionis, recipiendi vel non, modus receptionis, sociorum dimissio, 1077. — Comitia et electiones, 1078. — Moderator et cappellanus : nominatio, jura, revocatio, 1079. — Suppressio associationum, 1080. — Suppressio associationum per concordatum a. 1801, *ibid.* — Praescriptiones communes associationibus sive formaliter erectis sive simpliciter approbatis, et prescriptiones his propriae, 1081.
In specie. Quaedam generalia de speciebus piarum associationum et de praecedentia, 1082. V. Tertii ordines saeculares ; Confraternitates ; Piae

Uniones; Archiconfraternitates et primariae uniones.
ATTENTATUM, 1565.
ATTENTATUM LITE PENDENTE, ut causa incidens, 1590.
AUCTORITAS Superiorum ecclesiasticorum sanctionibus protegitur, 1847.
AUDITORES, 1525.
AUXILIARES EPISCOPORUM. V. Coadjutores et auxiliares Episcoporum.
AVELLANA COLLECTIO, 40.

B

BAPTISMUS. Poenae in parentes qui liberos acatholicis ministris baptizandos tradunt, 1819. — V. *Parochus*, Functiones et jura reservata.
BARBA, 371.
BASILICA, 1120.
BEATI. V. Sancti.
BEATIFICATIO, 1642. V. Causae beatificationis.
Causa major, 529. — Normae quoad editionem scriptorum quae ad beatificationem aut canonizationem spectant, 1344.
BENEDICTIO. V. Loca sacra ; Ecclesiae; Campanae ; Oratoria publica ; Caemeteria ; S. Supellex.
BENEDICTIO DOMORUM, 835.
BENEDICTIO FONTIS BAPTISMALIS, 835 ; t. II, p. VI.
BENEDICTIO PUERPERARUM, 835.
BENEDICTIONES SOLLEMNES, 835.
BENEDICTIONIS ABBATIALIS neglecta susceptio punitur, 1905.
BENEFICIATI. V. *Beneficia ecclesiastica*, jura et obligationes beneficiatorum ; *Sepultura ecclesiastica*, ecclesia funerans, minister funeris.
BENEFICIA ECCLESIASTICA. Definitio, 1393. Dos beneficii, 1394. — Distinctio beneficiorum, 1395. Quae non veniunt sub nomine beneficii, 1396 ; quid de pensionibus quae in Belgio a gubernio solvuntur, 1397.
Constitutio seu erectio beneficiorum. Potestas erigendi beneficia, 1398. — Conditiones erectionis, 1399. Erectio novae paroeciae in Belgio, 1400.
Unio beneficiorum. Notio, 1401. Species, 1402. Potestas uniendi beneficia, 1403. Causae unionis, 1404. Sollemnitates, 1405.
Translatio beneficiorum, 1406.
Divisio beneficiorum, 1407.
Dismembratio beneficiorum. Notio. Species, 1408. Potestas competens, 1409, quoad dismembrationem territorii, 1410, quoad dismembrationem fructus, 1411.
Conversio beneficiorum, 1412.
Suppressio beneficiorum, 1413.
Collatio libera beneficiorum. Notio, 1415. Collatores ordinarii : R. Pontifex, Ordinarius loci, cujus jus limitatur per constitutionem coadjutorum et per reservationem beneficiorum S. Sedi, 1416. — Regulae collationis, 1417. V. Collatio libera officiorum.
Possessio beneficiorum, 1418.
Jura beneficiarii, 1423.
Obligationes beneficiarii, praesertim de obligatione erogandi superfluum in pias causas, 1424. — Fructuum compositio propter successionem vel vacantiam, 1426.
Dimissio beneficiorum, 1428.
Permutatio beneficiorum, 1429.
BIGAMIA. Poenae, 1860. — Bigamia ut irregularitas, 1927.
BINATIO. Prohibitio bis celebrandi de die, 850 ; exceptiones, 851 ; applicatio et stipendium iteratae missae, 852. — Poenae, 1821.
BIROTA (bicyclette), 371.
BLASPHEMIA. Poenae in blasphemantes, 1823.
BONA BENEFICIALIA recte administranda, 1424, 1425.
BONA ECCLESIARUM. V. *Ecclesiae*, bona ecclesiarum.
BONA ECCLESIASTICA. V. Bona temporalia Ecclesiae. — Bona ecclesiastica illegitime alienantes poenis plectuntur, 1850. — Bona ecclesiastica in proprios usus convertentes, usurpantes aut impedientes perceptionem eorum fructuum poenis afficiuntur, 1849.
BONA ECCLESIASTICA PRETIOSA, 1446.
BONA AUT JURA ECCLESIAE ROMANAE usurpantes aut detinentes poenis afficiuntur, 1848.
BONA TEMPORALIA ECCLESIAE. Notio. 1437.
Ecclesiae jus, 1439. Errores hac de re 1438. Jus ecclesiae *possidendi* et *acquirendi* nativum et independens, 1440. Objectiones, 1440. Leges amortizationis iniquae sunt et in Ecclesiam injuriosae, 1441, objectiones, *ibid.* — Jus Ecclesiae nativum et independens *administrandi* bona sua, 1442. — Subjectum hujus juris pos-

sidendi et administrandi, in specie, 1443.

Jus Ecclesiae exigendi taxas, 1444.

Notio et divisio bonorum ecclesiasticorum, 1445 s.

De *acquisitione* bonorum ecclesiasticorum. Modi acquirendi bona, 1448. — Subjectum dominii ecclesiastici in genere, 1449. — Adscriptio dominii in casu divisionis territorii personae moralis. V. *Beneficia ecclesiastica,* dismembratio. — Translatio dominii in casu exstinctionis personae moralis, 1451.

Modi acquirendi *in specie.* V. Oblationes ; Taxa ; Tributa ; Praescriptio ; Piae voluntates.

Administratio bonorum ecclesiasticorum. Notio, 1471. — Administratores, 1472. Ordinarius loci est pro sua dioecesi administrator supremus, 1473. Partes consilii administrativi dioecesani, *ibid.* Administratores inferiores, 1474. Obligationes administratorum, ante munus ineundum, 1475, in ipso munere implendo, 1476. Sollicitudo de operariis, 1477. Reddenda ratio administrationis, 1478. De litibus et actibus non ordinariis administrationis, 1479. Sanctio illegitimae dimissionis officii, 1480. — V. Bona temporalia Religionum.

BONA TEMPORALIA PIARUM ASSOCIATIONUM, 1076.

BONA TEMPORALIA RELIGIONUM. Quid veniat sub nomine administrationis, alienationis, collocationis pecuniae, actus contrahendi debitum, 978. — Principia administrationis in genere, 979. — Collocatio pecuniae, 980. — Alienatio, debita, obligationes, 981. V. Alienatio bonorum ecclesiasticorum. — Ratio administrationis reddenda, 982. — De responsabilitate contractuum, 983.— Largitiones, 984.

BONA TEMPORALIA RELIGIOSORUM ET NOVITIORUM, 1001 ; effectus professionis simplicis sive temporariae sive perpetuae quoad bona temporalia professorum, 1009 ; effectus proprii professionis sollemnis, 1011.

BONIZONIS SUTRINI collectio, 59.

BREVIARIUM CANONUM ECCLESIAE HIPPONENSIS, 41.

BREVIATIO CANONUM, 41.

BREVIS, 23.

BULLA, 23.

BULLARIA, 92.

BURCHARDI WORMATIENSIS decretum, 55.

C

CADAVERA. Poenae in cadavera violantes, 1828.

CAEREMONIAE. V. Ritus.

CAESARAUGUSTANA collectio hispanica, 62.

CAMBIUM. V. Negotiatio.

CAMERA APOSTOLICA, 604.

CAMPANAE ECCLESIARUM. Convenientia. Ritus benedictionis, usus, 1129.

CANCELLARIA APOSTOLICA. Munus, 602. — Regulae cancellariae, *ibid.* — Modus expediendi Bullas, *ibid.* — Officiales, *ibid.*

CANCELLARIUS curiae dioecesanae, 733.

CANON. Significatio vocis, 3.

CANONES APOSTOLORUM, 36.

CANONES ECCLESIASTICI SS. APOSTOLORUM, 34.

CANONICUS. Creatio, 752. Collatio, 753. Prohibitum jus optionis, 753. — Dotes canonicorum, 755. — Praecedentia canonicorum relate ad alios clericos, intra se, 763. Insignia, 764. — Jura et obligationes. Vide *Capitulum,* jura, obligationes. — Cessatio muneris, 777. V. *Sepultura ecclesiastica,* ecclesia funerans, minister funeris.

CANONICUS CURATUS, 760. Relationes juridicae inter capitulum et parochum, *ibid.*

CANONICUS HONORARIUS, 750, 762.

CANONICUS POENITENTIARIUS. Constitutio officii. Qualitates. Officium, 759.— — Negligens in munere obeundo puniatur, 1887.

CANONICUS SUPRANUMERARIUS, 750.

CANONICUS THEOLOGALIS. Constitutio officii. Qualitates. Officium, 759. — — Negligens in munere suo obeundo puniatur, 1887.

CANONICUS TITULARIS, 750, 758.

CANONIZATIO, 1642. — Causae ad canonizationem requisitae, 1668. — Modus procedendi, 1669. — V. Causae beatificationis.

CAPITULA ANGILRAMNI, 47.

CAPITULA BENEDICTI LEVITAE, 46.

CAPITULA MARTINI, 43.

CAPITULUM. Notae historicae, 743. Notio, 744. Divisio, 747. Institutio, 527, 748. V. Causae majores. — *Constitutio,* 527, 749 ss. V. Canonicus ; Canonicus titularis, honorarius et supranumerarius; Cappellani Capitulorum;

Causae majores ; Dignitas ; Officia ; Personatus. — Capitulum est senatus Episcopi, 750. — *Emolumenta* canonicorum. Fructus annui seu fructus praebendae. Distributiones quotidianae ordinariae. Distributiones extraordinariae aut inter praesentes, fixae vel incertae, 756. Cuinam cedunt, *ibid.* — *Praecedentia* Capitulorum, 763. — *Jura Capitulorum interna* condendi statuta, 766, celebrandi coetus capitulares, 767, acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia, 768, eligendi administros capituli, *ibid.* — *Jura externa Sede plena,* dandi consensum vel consilium pro nonnullis negotiis dioecesanis, 769, mittendi duos Capitulares ad Concilium Provinciale et adsistendi Synodo dioecesanae, *ibid.* — *Sede vacante,* transitus auctoritatis episcopalis ad Capitulum, 792. Potestas, *ibid.* Deputatio oeconomi, 793 s. Deputatio Vicarii Capitularis, 793, 795. V. hoc verbum.

Obligationes Capituli, 770. Servitium Episcopi, 771. — Servitium chorale. Obligatio choralis, 772. Obligatio residentiae. Qualitates residentiae. Vacationes. Sanctiones in non residentes, 774. Causae excusantes a residentia et a choro, 775. — Servitium capitulare, 776.

CAPITULUM RELIGIOSUM. Notio et species, 951. — Potestas, 952.

CAPPELLANI. Notio, 903. Jura et obligationes, 904.

CAPPELLANI CAPITULORUM, 750.

CAPPELLANI MILITUM, 808.

CAPPELLANI NAVIUM, 905.

CAPPELLANUS PIARUM ASSOCIATIONUM, 1079.

CAPPELLANI RELIGIONIS LAICALIS. Notio, 974. — Designatio, 975. Cappellanorum potestas, 976.

CAPPELLANIAE LAICALES, 1396.

CARDINALES. Origo et nomen Cardinalium, 553. — Ordo seu gradus et numerus,554. — Creatio,556. — Promotio, 557. — Jus optionis, 558. — Sacrum Collegium, 559. — Consistorium, ejus notio et species, 560. — Dignitas cardinalitia, 561. — Praecedentia Cardinalium, 562. — Residentia, 563. — Praerogativae et privilegia, 564. — Jurisdictio Cardinalium Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum in proprio titulo, 565. — Officium relate ad Ecclesiam universalem sede plena et sede vacante, 566. — Amissio dignitatis, 567.

Religiosus promotus ad Cardinalatum, 1045.

Cardinalis, num sub lege poenali comprehendatur, 1713.

Cardinalis promotus recusans jusjurandum de quo in can. 234, punitur, 1900.

CARDINALIS PROTECTOR, 946.

CASUS FORTUITUS tollens imputabilitatem delicti, 1695.

CATECHETICA INSTITUTIO. Notio, 1289. — Principium quoad obligationem eam tradendi, 1290. — Obligatio parochorum, 855, 1291. — Sanctiones, 1886. V. *Parochus,* obligatio docendi. — Obligatio religiosorum, 1291. — Obligatio parentum, magistrorum et patrinorum, 1292. — Competentia loci Ordinarii, 1293.

CATECHUMENI, 1069.

CATHEDRATICUM, 688, 1458.

CAUSAE BEATIFICATIONIS. Judex competens, 1642. — Notio, 1642. — Divisio in formalem et aequipollentem, 1643. — Procedura in genere, *ibid.*

Personae his in processibus intervenientes. Actor, 1644. Postulator, 1645. Judices, 1646. Cardinalis relator, 1647. Promotor fidei, 1648. Notarius, 1649.

Probationes, in genere, 1650. Testes, 1651. Periti, 1652. Documenta processui inserenda, 1653.

Processus beatificationis per viam non cultus. Juramenta praestanda, 1654. — *Processus a loci Ordinario instruendus.* Normae generales, 1655. Perquisitio scriptorum Servi Dei, 1658. Processus informativus, 1659. Processus super non cultu, 1660. — Causae introductio apud S. Congregationem : Revisio scriptorum, 1661. Discussio processus informativi, 1662. Discussio processus super non cultu, 1663. — *Processus Apostolici.* Instructio processus, 1664.— Judicium super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio, 1665. Judicium super miraculis, 1666.

Processus per viam cultus, 1667.

CAUSAE CONTRA SACRAM ORDINATIONEM. Superior competens, 1639. — Legitimus actor, 1640. — Procedura, 1641.

CAUSAE MAJORES. Notio, 520 ; species, *ibid.* Sunt : erectio, unio, divisio et suppressio dioecesium, 522 ; creatio

Episcoporum, 523 ; translatio, renuntiatio, depositio, amotio Episcoporum, 524 ; concessio coadjutorum episcopalium, 525 ; causae episcoporum, 526 ; erectio capitulorum, novarum dignitatum, novarum religionum, provinciarum et monasteriorum, 527 ; ordinationes liturgiae, 528 ; beatificatio et canonizatio sanctorum, exemptiones, concessio indulgentiae plenariae et partialis excedentis potestatem Episcoporum, Archiepiscoporum et Cardinalium, convocatio Concilii Generalis, celebratio concilii plenarii, negotia extraordinariae difficultatis ; negotia quae sibi reservant R. P., 529.

CENSURA LIBRORUM. Jus Ecclesiae, 1336. Notiones historicae, 1338. Jus vigens, 1339.

Notio censurae, 1340.

Libri praeviae censurae subjiciendi, 1341. — Auctoritas quae licentiam edendi dare potest, 1342. — Normae speciales quoad scripta quae ad causas beatificationis aut canonizationis pertinent, 1344 ; quoad Indulgentiarum libros, 1345, quoad collectiones decretorum Romanarum Congregationum, 1346, quoad libros liturgicos et litanias, 1347, quoad versiones SS. Scripturarum, 1348. — Approbationis extensio, 1349.

Censores. Institutio et qualitates, 1350. Munus, 1351.

Forma licentiae edendi, 1352.

Sanctiones in transgressores legis censurae, 1384 ss., 1387.

CENSURAE. *Notio,* 1731. *Divisio* censurarum, 1732 ; *Causa* censurae, 1733. — *Subjectum* censurarum, 1734. Cumulus censurarum, *ibid.* — *Exsecutio* censurarum, 1735.

Reservatio censurarum. Divisio reservationis, 1736. Quomodo sit reservatio statuenda et interpretanda, 1737. Utrum reservatio censurae importet reservationem peccati, 1738. Effectus reservationis, 1739. Ignorantia reservationis a parte confessarii, 1740.

Denuntiatio censurae, 1741.

Absolutio a censuris. *Notio,* 1742. Quomodo differat a dispensatione, 1725. — *Divisio* ratione fori, datur in foro externo, in foro interno sacramentali aut extrasacramentali ; ratione modi est absoluta, conditionata, ad cautelam, ad reincidentiam, ad effectum, 1742. — *Quando* danda sit, et *Quomodo.* Reviviscentia. Conditiones ex parte absolvendi. Absolutio a censura et a peccato. Forma absolutionis. Vis absolutionis in utroque foro, 1743. — *Quinam possint a censura absolvere.* Potestas Ordinarii absolvendi a censuris l. s., 1727, 1746. Potestas absolvendi in periculo mortis, 1745. Extra mortis periculum, 1746 ; in casibus urgentioribus : notae historicae, 1747 ; jus vigens, 1748 s. In casu extraordinario quo recursus sit impossibilis, 1750.

Censurae in specie. Divisio, 1751. Discrimen inter excommunicationem, interdictum et suspensionem, 1752. — V. Excommunicatio; Interdictum; Suspensio.

Censuram post sententiam violantes. Poenae, 1840.

CENSURAE LATAE SENTENTIAE enumerantur, 1917.

CENSUS, 688, 1458.

CESSATIO A DIVINIS, 1778.

CESSATIO DIGNITATIS CARDINALITIAE, 567.

CESSATIO MUNERIS CANONICI, 777.

CESSATIO MUNERIS EPISCOPALIS, quoad potestatem ordinis, 786 ; quoad potestatem jurisdictionis, 787. Cessat haec renuntiatione, 788, translatione et permutatione, 789, privatione, 790.

CESSATIO MUNERIS PAROECIALIS, 861 ss. V. Parochus.

CESSATIO MUNERIS VICARII PAROECIALIS, 868, 869, 876, 894.

CHOREPISCOPI, 705.

CITATIO, 1576.

CLAUSURA. Obligatio clausurae, 1021. Clausura papalis in genere, in religionibus virorum regularium, in monasteriis monialium, 1022 ; clausura communis seu episcopalis, 1023 ; de accessu extraneorum ad collocutorium, 1024 ; de egressu et commoratione extra religionis domum, 1025.

Clausura papalis pro monialibus Belgii, 919.

Poenae eorum qui clausuram monialium aut regularium violant, 1845.

CLEMENTINAE, 84.

CLERICUS. *Notio,* 339. — *Adscriptio dioecesi.* Necessaria adscriptio alicui dioecesi, 347. Modus ordinarius adscriptionis seu incardinationis, 348. Mutatio adscriptionis per excardinationem et incardinationem, 349. Normae excardinationis et incardinationis, 350. — *Jura* clericorum communia, 351. — *Privilegia* communia.

Privilegium canonis, 352. Sanctiones, 1846. Privilegium fori, 353, ejus abrogatio, *ibid.* Privilegium exemptionis, 354, a militia, *ibid.* Privilegium competentiae, 355. Privilegiorum repudiatio, amissio, recuperatio, 356. V. Immunitates clericorum.

Obligationes clericorum. — Fontes, 359. — Quae communiter praescripta sunt : sanctitas vitae, 360 ; reverentia et obedientia Ordinario, 361, sanctiones, 1902 ; doctrina, 362 ; castitas, 363 s. V. Coelibatus, Cohabitatio clericorum cum mulieribus, Concubinarii clerici ; consuetudo vitae communis, 365 ; recitatio horarum canonicarum, 366 ; externus corporis cultus ad quem refertur, obligatio deferendi habitum clericalem et tonsuram, 367, gravitas culpae, 369, sanctiones, 370, 1883. — Clericis communiter prohibentur : fidei jussio, 372 ; artes indecorae, 373 ; ludus aleatorius, 374 ; gestatio armorum, 375 ; venatio, 376 ; popinarum seu tabernarum ingressus, 377 ; exercitium artis medicae aut chirurgicae, 378. V. Ars medica et chirurgica ; officia publica, 380 ; gestiones bonorum ad laicos pertinentium, 381; procuratoris aut advocati munus in tribunali civili, 381 ; senatoris aut deputati officium sine venia Ordinarii, 382 ; oblectamenta mundana, 383 ; militiae exercitium voluntarium, 384 ; negotiatio, 385 ss. V. hoc verbum et Actiones.

Obligatio non discedendi a dioecesi, 392.

Clerici saeculares vetantur sine consensu sui Ordinarii libros quoque qui de rebus profanis tractant edere et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere, vel eadem moderari, 1343.

Reductio clerici ad statum laicalem. Notio, 484. Reductio clerici majoris et minoris ad statum laicalem, 485. — Regressus ad statum laicalem, 486. — Effectus reductionis, 487.

COADJUTORES ET AUXILIARES EPISCOPORUM. Notio et divisio, 704. — Potestas eos constituendi, *ibid.* Dotes, *ibid.* Modus capiendae possessionis, *ibid.* Obligationes, *ibid.* Cessatio officii, *ibid.*

COADJUTORES EPISCOPALES. V. Causae majores.

COADJUTORES PAROCHORUM. V. *Vicarii paroeciales,* Vicarii adjutores.

COADJUTORIA non est beneficium, 1396.

CODEX CANONUM, 43.

CODEX CANONUM ECCLESIAE AFRICANAE, 41.

CODEX JURIS CANONICI. Necessitas, 104. — Historia, 105. — Ordo codicis, 107. — Editiones, 108.— Commissio ad interpretandos codicis canones, 109. — Vis juridica novi codicis, 110 ss., est collectio authentica, 111 ; universalis, 112 ; exclusiva, 113 ; reservantur leges liturgicae, concordata, jura quaesita, praescriptiones temporariae, 114 ; abrogantur leges codici oppositae, consuetudinès, poenae in codice non recensitae, leges disciplinares universales in codice non contentae, 115. — Conjunctio novi juris cum antiqua legislatione, 116. — Vis retroactiva, *ibid.*

COELIBATUS. Obligatio et historia, 363.

COEMETERIA. Notio et divisio, 1170. — Notae historicae, 1171. — Jus Ecclesiae habendi coemeteria, 1172. — Obligatio benedicendi coemeteria aut saltem singulos tumulos, *ibid.* — *Benedictio* coemeterii. Necessitas, 1175. Ritus, 1176. Effectus, 1177. Exsecratio, violatio et reconciliatio coemeterii, 1178. — Loca quibus competit jus tumuli, 1179 s. — *Distinctio sepulcrorum in coemeterio.* Sepulcra gentilitia, clericorum, infantium, 1181. — Cura et usus coemeterii, 1182. — Praematura inhumatio cadaverum, 1183. Exhumatio, *ibid.*

Poenae in violantes coemeteria, 1829.

COETUS EPISCOPORUM, 632, 643.

COETUS FIDEI IN URBE PRAESERVANDAE, 596.

COETUS HISTORICO-LITURGICUS, 591.

COETUS HISTORICUS adnexus Congregationi SS. Rituum, 591.

COETUS OBULO S. PETRI ADMINISTRANDO, 594.

COETUS PRO SACRO CONCENTU, 591.

COETUS STUDIIS PROVEHENDIS HISTORICIS, 596.

COHABITATIO CLERICORUM CUM MULIERIBUS, 364.

COLLATIO LIBERA OFFICII. Notio, 399. — Collatores, 400. — Regulae collationis, 401 ss.

COLLATIONES, obligatio clericorum, 362. — Poenae sacerdotum ab illis ex contumacia absentium, 1881.

COLLECTIO XII PARTIUM, 56.

COLLECTIO ANSELMO DEDICATA, 53.

COLLECTIONES CONCILIORUM, 94.

COLLECTIO DECRETALIUM, 40.

COLLECTIONES JURIS CANONICI. Notio et divisio, 29. — *Collectiones ante corpus juris canonici.* Patres Apostolici et collectiones pseudo-apostolicae, 30 ss. Collectiones Ecclesiae Orientalis, 38, chronologicae, *ibid.*, systematicae, 39. Collectiones Ecclesiae Occidentalis, 40 ss. — *Corpus juris canonici,* 70 ss. — *Collectiones post corpus juris canonici,* 88 ss. — *Codex juris canonici,* 104 ss. — V. singulas collectiones in specie.

COLLECTIONES JUR. CAN. ANGLICAE ET HIBERNICAE, 44.

COLLEGIUM, 324.

COLLEGIUM CARDINALIUM. V. Cardinales.

COMMISSIO PONTIFICIA AD INTERPRETANDOS CODICIS CANONES, 596.

COMA. Comae nutritio, 371. Coma fictitia (perruque), *ibid.*

COMMENDA TEMPORARIA, 1396.

COMMISSIO BIBLICA. Institutio. Competentia et auctoritas, 596.

COMMODATUM, 1491.

COMMUNICATIO IN SACRIS acatholicorum. Notiones, 1252. — Disciplina vigens, 1253. — De admissione acatholicorum ad sacra catholicorum, 1253.

COMMUNIO PASCHALIS, an sit functio paroecialis, 825. — An negligentes praeceptum communionis pascalis veniant inter peccatores publicos, quibus neganda sit sepultura ecclesiastica, 1236.

COMMUNIO PUERORUM. Prima privata communio. Jus quoad ipsam parochis est ablatum. Variae obligationes parochorum relate ad illam. Communio generalis. Communio solemnis, 828.

COMPILATIONES ANTIQUAE, 79.

COMPLICITAS in delicto, 1698 ; quoad poenarum inflictionem, 1722.

COMPROMISSUM IN ARBITROS. Notio, 1617. — Normae et objectum, 1618. — Personae inhabiles, 1619.

CONATUS DELICTI, 1692. V. *Delictum,* conatus delicti.

CONCILIUM. Notio et divisio, 542.

CONCILIUM ŒCUMENICUM. Notio, 542. — Convocatio, 529, 544. — Patres Concilii aliique intervenientes, 545. — Praesidentia, 546. — Legitima celebratio, 547. — Confirmatio, 549. — Promulgatio, 550. — Auctoritas, 551. — Suspensio, 552. — Fons juris canonici, 25.

CONCILIUM PLENARIUM. Notio, 630. — Celebratio, causa major, 529. — Convocatio et praesidentia, 631. — Munus. Decretorum approbatio, promulgatio et vis, 632. — V. *Vicarius et Praefectus Apostolicus,* obligationes; *Episcopus,* singula jura Episcopi.

CONCILIUM PROVINCIALE. Notio, 633. — Tempus celebrationis, 634. — A quo debeat convocari, 635. Qui convocari debeant vel possint, 636. — Celebratio, 637. — Negotia in concilio tractanda, 638 ss. — Subscriptio, recognitio et promulgatio decretorum, 640 ss. — Vis decretorum, 641. Dispensatio, 642. — V. *Vicarius et Praefectus Apostolicus,* obligationes; *Episcopus,* singula jura Episcopi.

CONCILIUM TRIDENTINUM, 95.

CONCILIUM VATICANUM, 96.

CONCIONES. Notio. Discrimen facultatem, inter licentiam, et assensum Superioris ad concionandum, 1294. — Auctoritas quae facultatem aut licentiam dat concionandi, 1295. — Conditiones apponendae facultati vel licentiae, 1296. — Subjectum cui facultas dari potest, 1297. — Jus Ordinarii et parochi, 1298. — Conciones habendae et audiendae, 1299. — Concionum argumentum et modus, 1300. — Sanctiones, 1301, 1886.

CONCLAVE. V. *Romanus Pontifex,* electio.

CONCLUSIO IN CAUSA, 1594.

CONCORDATUM. Natura concordatorum, 236 ss. Theoria privilegiorum, 236 ; theoria pacti, 237, explicatur, 238 et stabilitur, 239. — Vitia et vis obligatoria, 240 s. — Materia et forma, 242 ss. — Interpretatio, mutatio et rescissio, 244 ss. V. Codex juris canonici.

CONCORDATUM ANNI 1801. Historia et textus, 249 s. — Juris communis applicatio, 251 s. — Juris communis derogationes, 253. — Statuta transitoria, 254. V. Articuli organici. — Extinctio associationum fidelium, 1080.

CONCORDIA CANONUM, 41.

CONCUBINARII CLERICI. Quinam sint aut praesumantur, 1674. — Modus procedendi in clericos concubinarios, 1675. — Poenae, 1862.

CONCURSUS ad paroecias, 814.

CONDEMNATIO SUSPENSIVA SEU CONDITIONALIS, 1787.

CONGREGATIO ADNEXA C. CONSISTORIALI DE SPIRITUALI CURA EMIGRANTIUM, 586.

CONGREGATIO CAEREMONIALIS, 592.
CONGREGATIO CONCILII. Notae historicae, 588. — Competentia, *ibid.* — Congregationes adnexae, *ibid.*
CONGREGATIO CONSISTORIALIS. Origo, 586. Competentia, *ibid.*, cf. t. II, p. V.
CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM. Origo, 587. Competentia, *ibid.*, cf. t. II, p. V.
CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE. Notae historicae, 590. — Competentia, *ibid.* — Congregatio adnexa, *ibid.*
CONGREGATIO DE RELIGIOSIS. Notae historicae, 589. Competentia, *ibid.*, cf. t. II, p. V.
CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET UNIVERSITATIBUS STUDIORUM. Origo, 594. — Competentia, *ibid.*, cf. t. II, p. V.
CONGREGATIO LAURETANA, 588.
CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI. Origo, 595. — Competentia, *ibid.*
CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS. Origo et competentia, 593.
CONGREGATIO PRO REVISENDIS SYNODIS PROVINCIALIBUS, 591.
CONGREGATIO RELIGIOSA, quid, 932. — Diversi gradus approbationis pontificiae, *ibid.* V. Religio.
CONGREGATIO REVERENDAE FABRICAE S. PETRI, 596.
CONGREGATIONES ROMANAE. Notio et divisio, 580. — Compositio et divisio munerum, 571. Modus tractandi et exsequendi negotia non stricte judicialia, 582. Modus respondendi, 583. Auctoritas decretorum Congregationum, 584. Vide Decreta Congregationum. — Collectiones decretorum, 97 ss. — Editio collectionis decretorum Romanarum Congregationum, 1346. — V. singulas Congregationes.
CONGREGATIO S. OFFICII. Historia, 585. Competentia, *ibid.* — Tribunal S. Officii suo more institutoque procedit, 1510.
CONGREGATIO SS. RITUUM. Origo, 591. — Competentia, *ibid.* — Commissiones adnexae, *ibid.*
CONGRESSUS. V. *Congregationes Romanae*, compositio et distributio munerum.
CONFESSARII, 906. — Horum potestas dispensandi a censuris, 1745 ss., ab irregularitatibus, 1923.
CONFESSARII RELIGIOSARUM. Varii confessarii religiosarum: confessarius ordinarius, confessarius ordinarius specialis, confessarius extraordinarius generalis, confessarius extraordinarius particularis, confessarius occasionalis, 969. — Dotes confessariorum religiosarum, 970. — Deputatio et amotio, 971. — Sanctiones in violationem libertatis circa sacramentales confessiones, 1916. — Superiorissae libertatem religiosarum circa sacramentales confessiones violantes puniantur, 1916.
CONFESSARII RELIGIOSI. Delegatio jurisdictionis sacramentalis, 963. Examen idoneitatis, 964. Limitatio jurisdictionis, 965. Revocatio et suspensio jurisdictionis, 966.
CONFESSARII RELIGIOSORUM, in religionibus clericalibus, 967 ; in religionibus laicalibus, 968.
CONFESSARII SEMINARIORUM, 1318.
CONFESSIO SACRAMENTALIS. Confessiones novitiorum, 999. — Confessiones alumnorum collegiorum, 1332. — Poenae in eum qui non-sacerdos sacramentalem confessionem exceperit, 1822.
CONFESSIO IN JUDICIO, 1581.
CONFIRMATIO (Sacramentum). Hanc administrantes absque facultate puniuntur, 1869.
CONFIRMATIO CANONICA. Negligentes auctoritatem superioris cui confirmatio competit puniuntur, 1896.
CONFRATERNITATES ET PIAE UNIONES. Notiones, 1087. — Regulae *communes* confraternitatibus et piis unionibus, quoad titulum, erectionis leges, functiones sacras, translationem, 1088. — Regulae *propriae* confraternitatibus, quoad erectionem, vestes, comitia, processiones, 1090. —
CONSANGUINITAS, 321.
CONSECRATIO. V. Loca sacra ; Ecclesiae Oratoria *publica* ; Altaria.
Notio et ritus consecrationis ecclesiarum, 1126. — Festum consecrationis ecclesiae, *ibid.*
CONSENSUS. Vitia consensus, 329. Vis, 330. Metus et dolus, 331. Error, 332. — Consensus personarum a Superiore requisitus. Vis obligationis. Modus petendi et dandi consensum, 333.
CONSILIUM personarum requisitum. Vis obligationis, 333. Modus petendi et dandi consilium, 333.
CONSILIUM ADMINISTRATIVUM DIOECESANUM, 1473.

CONSILIUM EPISCOPI in dioecesi Brugensi, 769.
CONSILIUM FABRICAE ECCLESIAE. Notio. Nominatio et revocatio sodalium. Munus, 1142.
CONSILIUM VIGILANTIAE, 685.
CONSISTORIUM. Notio et species, 560.
CONSTITUTIO REI, 1636.
CONSTITUTIONES RR. PP. Notio, 21. — Divisio, 22. — Forma, 23.
CONSTITUTIONES APOSTOLICAE, 35.
CONSTITUTIONES RELIGIOSAE, 921. Obligatio servandi constitutiones, 1017.
CONSUETUDO. Notio, 281. — Consuetudo contra Tridentinum, 282. — Consuetudo contra jus liturgicum, 283. — Consuetudo contra aut praeter jus particulare, 284.
Fons juris canonici, 19. — Consuetudines reprobatae, suppressae, conservatae a codice jur. can., 115. V. Codex juris canonici.
CONSULTORES DIOECESANI. Notio, 779. Dotes et nominatio, 780. Duratio muneris, 781. Competentia, 782. Remotio, 783.
CONSUMMATIO DELICTI, 1692, 1714.
CONTESTATIO LITIS, 1577, 1636.
CONTRACTUS. *De contractibus in genere.* Principium de lege civili applicanda, 1481. V. Alienatio.
De contractibus in specie. V. Donatio ; Commodatum ; Pignus vel hypotheca ; Aes alienum contrahere ; Venditio et permutatio ; Locatio ; Emphyteusis ; Mutuum ; Fundationes piae.
CONTUMACIA, in judicio, 1590, — in ordine ad censuras, 1733.
CONVERSI religiosi, 931.
COOPERANTES IN HAERESI. Quinam suspecti sunt de haeresi, 1816.
CORPUS JURIS CANONICI. Nomen, 70. — Editiones, 71. — Correctores romani, *ibid.* — Rubricae, superscriptiones, summaria, glossae et notae, 86.
CORREPTIO JUDICIALIS DELINQUENTIS. Notio, 1631. Usus, 1632. Tempus quo adhiberi possit, 1633. Objectum, 1634. Correptio inutilis, 1635.
CORREPTIO POENALIS. Quando huic locus sit, 1803. Modus procedendi in ea facienda, 1804.
CREMATIO prohibetur, 1168. Sanctio, 1236.
CULPA, 1693.
CULTUS DIVINUS. Notio, 1247. — Divisiones, 1248. Actus qui ad cultum privatum et ad cultum publicum referuntur, 1248. — Moderatores cultus divini : R. Pontifex, 1249 ; Ordinarii locorum, 1250. Independentia a quavis alia auctoritate, 1251. Modus interessendi cultui publico tum pro viris tum pro mulieribus, 1254. Loca fidelium in ecclesia, 1255. — V. SS. Eucharistia ; Sancti ; SS. Imagines ; SS. Reliquiae.
CUMULATIO ACTIONUM. V. *Actio judicialis,* in genere.
CUMULUS CENSURARUM, 1734.
CUMULUS POENARUM, 1712.
CURSORES ET APPARITORES, 1529.
CURIA ROMANA. Notio, 568. — Historia, 569. — *Curia Romana in genere. Notio et constitutio,* 571. *Competentia.* Competentia judicialis et extrajudicialis, 572 ; jurisdictio ordinaria, 573 ; competentia Dicasteriorum quoad materiam, 574, quoad territorium, *ibid.* — Disciplina servanda in singulis Dicasteriis, 575. Secretum servandum, *ibid.* — *Modus adeundi* S. Sedis Dicasteria, 576 ss. Taxationes, expensae et procurationes solvendae Dicasteriis Romanis, 579.
Curia Romana in specie. Cf. Congregationes Romanae, Tribunalia, Officia in genere et in specie.

D

DACHERIANA COLLECTIO, 42.
DATARIA APOSTOLICA. Origo et competentia, 603.
DECANUS. V. Vicarius foraneus.
DECIMAE, 1482.
DECLARATIO POENAE L. S., 1712.
DECRETA CONGREGATIONUM. Notio, 584, divisio, *ibid.* Auctoritas decretorum doctrinalium, decretorum gratiae, decretorum formaliter generalium, decretorum particularum, 585.
DECRETALES GREGORII IX. Nomen et auctor, 80. — Fontes et divisio, 81. — Auctoritas, 82.
DECRETUM GRATIANI. Auctor, 73. — Indoles et aetas, 74. — Auctoritates, *ibid.* — Divisio operis, 76. — Auctoritas decreti, 77. — Editiones, 78.
DEFENSOR VINCULI apud tribunal dioecesanum. Notio. Necessitas officii, electio personae, ambitus et duratio officii, 1528. — Partes in causis contra S. Ordinationem, 1641.
DEGRADATIO, 1799.

DELEGATI APOSTOLICI. V. Legati Apostolici.
DELICTUM. *Natura* delicti, 1686. — *Divisio* delicti, ratione objecti, 1688, ratione gravitatis, 1689, ratione notitiae : delictum publicum, notarium, occultum, 1690, ratione fori : delictum ecclesiasticum, civile, mixtum, 1691, ratione exsecutionis, delictum consummatum, attentatum, 1692.
Imputabilitas delicti. Fundamentum imputabilitatis, 1693. Causae *tollentes* imputabilitatem : carentia usus rationis, ignorantia, casus fortuitus, vis physica, metus, necessitas, causa legitimae tutelae, grave nocumentum, passio, 1695. — Causae *minuentes* imputabilitatem : ebrietas, debilitas mentis, ignorantia, omissio diligentiae debitae, minor aetas, metus gravis, necessitas, grave incommodum, causa legitimae tutelae, passio, 1696. — Causae *augentes* imputabilitatem : passio, major dignitas, abusus auctoritatis, reincidentia in eodem aut diverso delicto, 1697.
Complicitas. Notio ; normae quoad cooperationis imputabilitatem, 1698.
Effectus juridici delicti, 1699.
Conatus delicti. Notio, 1700. Imputabilitas conatus delicti, 1701.
DELICTA CONTRA VI quomodo puniantur si a laico aut a clerico committantur, 1861 s.
DELICTUM MIXTI FORI, objectum judicii criminalis, 1621. — Quomodo puniuntur, 1858.
DENUNTIATIO. Notio. Divisio. Jus et officium. Modus, 1626.
DENUNTIATIO LIBRORUM PRAVORUM, 1355.
DEPOSITO. 1797 — a munere paroeciali, 864.
DESSERVITORES. V. *Vicarii paroeciales*, vicarii oeconomi.
DESTRUCTIO REI. Poenae, 1858.
DEUSDEDIT CARDINALIS COLLECTIO, 58.
DIARIA ET COMMENTARIA in Seminariis non legenda, 1320. — V. Prohibitio librorum, Censura librorum.
DICASTERIA ROMANA. V. Curia Romana.
DIDASCALIA APOSTOLORUM, 33.
DIES ABSTINENTIAE ET JEJUNII. V. Tempora sacra.
DIES FESTI. Notio, 1243. — Notae historicae, 1244. — Catalogus festorum ex disciplina vigente, 1245. — Festorum sanctificatio, 1243. — V. Tempora Sacra.
DIGNITAS CAPITULI, 750. Creatio, 752. V. Causae majores. — Collatio, 753. V. Causae majores. — Jura et officia, 757. — V. Archidiaconus, Archipresbyter, Cantor.
DIGNITAS MAJOR, relate ad imputabilitatem delicti, 1697.
DILIGENTIAE DEBITAE OMISSIO, minuens imputabilitatem, 1696 ; num excuset a poena l. s., 1718.
DIMISSIO RELIGIOSORUM. V. RELIGIOSI, dimissio.
DIOECESIS. Erectio, circumscriptio, divisio, unio, suppressio, 489. V. Causae majores. — Erectio dioecesis quid sit, 489, cuinam competat, *ibid.* Quid nomine dioecesis veniat in jure, *ibid.* — divisiones territoriales dioeceseos, 290.
DIOECESIS BRUGENSIS disciplina particularis, 256 s.
DISCUSSIO CAUSAE, 1595.
DISPENSATIO in censuris. V. Censurae ; — in irregularitatem. V. Irregularitates ; — a poenis vindicativis. V. *Poena vindicativa*, cessatio ; — in votis relate ad moniales Belgii, 919.
DISPUTATIONES PUBLICAE cum acatholicis, 1284.
DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAE. V. *Capitulum*. Emolumenta canonicorum, obligatio residentiae.
DOCTORES. Jura et privilegia, 1329.
DOCTRINA DUODECIM APOSTOLORUM, 32.
DOCTRINA DAMNATA ab A. S., aut a Conc. Generali. Poenae in eam docentes vel defendentes, 1817.
DOCUMENTA CURIAE ECCLESIASTICAE falsans, adulterans, destruens, occultans, communicare recusans puniatur, 1909.
DOCUMENTA CURIAE EPISCOPALIS. Horum substractio destructio, celatio, immutatio punitur, 1908.
DOCUMENTA ECCLESIASTICA falsificantes, aut hujusmodi falsatis documentis utentes puniantur, 1866.
DOLUS, 1693. — V. *Consensus*. Vitia.
DOMICILIUM. Acquisitio et amissio domicilii voluntarii, 315 s., necessarii seu legalis, 317. — Domicilium paroeciale et diocesanum, 319. — Effectus domicilii, 320.
DOMUS FORMATA, quid, 932. Erectio, 941.
DOMUS REGULARIS, quid, 932.
DOMUS RELIGIOSA. Sensus, 932. — *Erectio*. Norma generalis, 940. — Normae speciales quoad domum ju-

ris pontificii, juris pontificii, domus exemptae, scholae, hospitii, vel similis rationis aedis separatae, 941. Vis juridica licentiae, 942. — *Suppressio,* 943.

DONATIO, 1464 ss. V. Voluntates piae. Quando donatio de bonis ecclesiasticis permittitur Praelatis et rectoribus, 1490. — Acceptatio et repudiatio donationis, *ibid.*

DOS BENEFICII, 1394. — Dos beneficio canonicali adnexa, 751.

DOS ECCLESIARUM, 1121.

DOS NOVAE PAROECIAE in casu dismembrationis, 1410, 1450.

DOS RELIGIOSARUM. Dotis obligatio, conservatio, restitutio, 995. Ejus vetita impensio puniatur, 1914.

DUELLUM. Notio. Mensurae academicae. Poenae duellantium aut patrinorum, 1855. Duellantes, indigni sepultura ecclesiastica, 1235.

DYONISIO-HADRIANA COLLECTIO, 40, 42.

E

EBRIETAS in ordine ad imputabilitatem delicti, 1696 ; num excuset a poena l. s., 1718.

ECCLESIA. Est *societas,* 138 s. — Definitio societatis ecclesiasticae, *ibid.* — *Dotes* ecclesiae. Est societas spiritualis, 142 ; externa, 143 ; legalis, 144 ; inaequalis, 147 ; perfecta et independens, 150 ss.; qualibet societate superior, 157. In spiritualibus pendet societas civilis *directe* ab Ecclesia, 159 ; in temporalibus autem *indirecte* 160 ss. Varia systemata circa potestatem Ecclesiae in temporalia principum, 161. Variarum opinionum crisis, 168 ss. Defenditur systema potestatis indirectae, 172 ss. Potestas indirecta ratione peccati, 1509. — Forma *regiminis* ecclesiastici, 179 ss. — *Mutua relatio inter statum et Ecclesiam,* 183 ss. *In thesi :* distinctio utriusque potestatis affirmanda, 184 ; separatio utriusque societatis reprobanda, 185 ss. ; concordia inter utramque societatem firmanda, 190 ss. ; mutua protectio societatis sacrae et civilis, 192 s. V. Tolerantia. Conflictus inter utramque societatem, 201. — Errores moderni circa relationes Ecclesiae et status, 202 ss. V. Liberalismus, Socialismus. — *In hypothesi,* 215 ss. Regimen paritatis, 216. Regimen libertatis cultus, 217. Regimen politico-religiosum in Belgio, 219. — *Limitas utriusque potestatis,* 220. Res civiles, 222. Res et causae ecclesiasticae, 223 ss. Res mixtae, 225 ss. V. illa verba. — Errores hac de re, 234. V. Libertas cultus, Concordatum. Jus *docendi* Ecclesiae, 1283. — De officio fidelium erga magisterium ecclesiasticum. Quandonam praebendus sit assensus fidei divinae et catholicae ; quando assensus religiosus et obedientia, 1284. V. Seminaria; Scholae.

Potestas Ecclesiae *legifera,* 259 s. Potestas *judicaria* Ecclesiae. Notio et errores, 1507. Haec potestas demonstratur, 1508. — Ambitus potestatis judiciariae Ecclesiae, 1509. Potestas directa in res spirituales et spirituali annexas. Potestas indirecta ratione peccati, *ibid.*

Potestas Ecclesiae *coactiva.* Jus Ecclesiae, 1702. — Potestas Ecclesiae ferendi censuras latae sententiae, 1703. Potestas Ecclesiae ferendi poenas corporales et temporales, 1704. — Exercitium potestatis coactivae in Ecclesia, 1705.

V. Bona temporalia Ecclesiae.

ECCLESIA CATHEDRALIS, 1120. Consecrari debet, 1125.

ECCLESIA COLLEGIATA, 1120.

ECCLESIA CONVENTUALIS, 1120.

ECCLESIA FUNERANS. V. *Sepultura ecclesiasta,* ecclesia funerans.

ECCLESIA MATRIX, 1120.

ECCLESIA ROMANA. Poenae in bona aut jura hujus usurpantes, vel detinentes, 1848.

ECCLESIAE. Notio, 1119. Divisio ecclesiarum, 1120. — *Aedificatio* ecclesiarum. Requisita ad aedificationem, 1121. Benedictio et impositio primarii lapidis, 1122. Servanda in aedificatione ecclesiae, 1123. — *Dedicatio* ecclesiae. Quae ecclesiae consecrari et benedici debeant aut possint, 1125. Notio et ritus consecrationis, 1126. Festum consecrationis ecclesiae, *ibid.* Notio et ritus benedictionis, *ibid.* Titulus ecclesiae consecratae et benedictae, 1127. Festum tituli *ibid.* Effectus dedicationis quoad functiones sacras, 1128. Ecclesiae exsecratio et violatio. Notiones, 1130. Modi quibus exsecratur ecclesia, 1131. Casus quibus polluitur seu violatur ecclesia, 1132. Effectus exsecrationis et pollu-

tionis, 1133. Reconciliatio ecclesiae pollutae, 1134. — *Immunitas* ecclesiarum. Notio, 1136. Jus ad reverentiam, 1137. Jus asyli, 1138. — Ingressus gratuitus in ecclesias, 1139. — *Bona ecclesiarum.* Quae sint, 1140. Administratores, 1141. Consilium fabricae ecclesiae : notio ; nominatio et revocatio sodalium ; munus consilii fabricae, 1142. — *Reparationes* ecclesiarum, 1143. — Reductiones ecclesiarum ad usum profanum, 1144.

Loca fidelium in ecclesiis, 1255.

Poenae in ecclesias violantes, 1829.

EGRESSUS RELIGIOSORUM extra religionis domus, 1025.

ELECTIO CANONICA. Notio, 407. Divisio, 408. Electionum tempus utile, 409. Electorum convocatio, 410. Electores, 411. Forma electionis, 412 ss. Vitia substantialia electionis canonicae, 415. Numerus suffragiorum ad efficacem electionem, 416. Intimatio et acceptatio electionis, 417. Confirmatio electionis, 418. Provisionis devolutio, 419.

Poenae in violantes libertatem in electione canonica, 1893, in eligentes indignum, in substantialem electionis formam violantes, 1894.

ELEEMOSYNAE. Collectio eleemosynarum a privatis prohibetur absque licentia. — Cui cedunt eleemosynae, 1456. V. Quaestuatio.

EMOLUMENTA PAROCHORUM. Notio, 836. Jura parochorum, 837.

EMOLUMENTA VICEPAROCHUM, 893.

EMPHYTEUSIS, 1496.

EPISCOPUS. Fundamenta dogmatica de Episcopis, 658. — Notio, 660. — Nomen, 661. Titulus, 662. Variae species Episcoporum, 663.

Sunt causae majores : creatio Episcoporum, 523 ; translatio, renuntiatio, depositio, amotio Episcoporum, 524 ; concessio coadjutoris, 525 ; Causae criminales et contentiosae, 526.

Creatio Episcopi. Designatio personae. Notio, 665. Notae historicae, 666. Jus vigens, 667. Dotes in promovendo requisitae, 668. — Provisio canonica collativa tituli. Notio, 669. Notae historicae, 670. Forma et sollemnitates provisionis, 671, Effectus provisionis, 672. — Consecratio Episcopi, 673. Episcopus promotus negligens suscipere consecrationem punitur, 1904. Episcopum consecrantes absque mandato apostolico, puniuntur, 1874.

Potestas Episcopi. Potestas ordinaria, 674. Delegata potestas, 675 ; cf. t. II, p. VI. — Non potest Episcopus in dioecesi quod potest R. Pontifex in universo orbe, 517.

Singula jura Episcopi, in genere, 676. Legislativa potestas, 677. Objectum, 678. — Potestas dispensativa, in legibus suis, 679, in legibus Concilii plenarii et provincialis, 680, in jus commune, 681. — Potestas judiciaria et coercitiva, 682. — Jus et officium docendi, 683, 1286, circa praedicationem, 683, circa institutionem catholicam clericorum et puerorum, 684, circa integritatem et propagationem doctrinae christianae, 685.V.Conciones ; Seminaria. — Jus et officium regendi et administrandi dioecesim, 686 ss. — Potestas confirmandi, ordinandi et consecrandi, 689. Exercitium Pontificalium, 691.

Obligationes. Obligatio residentiae, 693. — Missa pro populo, 694. — Relatio de statu dioecesis, 695 ; cf. t. II, p. VI. Visitatio ad Limina, *ibid.* — Visitatio dioecesis, 696. — Obligatio administrandi sacramenta, 697, aliae obligationes, *ibid.*

Jura honorifica. Insignia, 701, praecedentia, 702, Privilegia, 703, cf. t. II, p. VI.

In quibus regulares exempti Ordinariis loci subdantur, 1034. — In quibusnam religiosi submittantur potestati coercitivae Ordinarii loci, 1036. — De dispensatione religiosorum a lege communi, per indultum generale Ordinarii loci, 1036.

Num Episcopi sub lege poenali comprehendatur, 1713.

Religiosus promotus ad Episcopatum, 1045.

V. Ordinarii locorum ; *Parochus,* provisio canonica ; *Sepultura ecclesiastica,* ecclesia funerans, minister funeris.

EPISCOPUS TITULARIS. Notae historicae, 698. Praestantia, 699. Jura et obligationes, 700. Insignia, praecedentia, privilegia, 701 ss.

EPITOME HADRIANI, 40.

ERROR. V. *Consensus,* Vitia ; *Delictum,* imputabilitas ; Poenae, 1. s.

EUCHARISTIA (SS.) *Asservatio* SS. Eucharistiae. Requisitum generale, 1257. — Ubi custodiri debeat, 1258, possit, 1259, non possit, 1260. — Modus as-

servandi SS. Eucharistiam, 1261. — *Cultus* erga SS. Eucharistiam. Visitatio SS. Sacramenti commendatur, 1262. Expositio SS. Sacramenti, privata et publica, 1263. — Preces XL horarum, 1264.

Eucharistiae (SS.) *delatio* ad infirmos devotionis causa aut ad modum Viatici. V. *Parochus,* functiones et jura parochis reservata.

EXAMINA clericorum, 362. — Poenae sacerdotum examen triennale expleto studiorum curriculo peragendum, facere renuentium, 1880.

EXAMEN DE DOCTRINA AD PAROECIAM. V. *Parochus,* Provisio canonica, Lex concursus.

EXAMINATORES SYNODALES. Notio, 736. Constitutio, 737. Qualitates, 738. Juramentum, 739. — Muneris duratio, 740. Remotio, 741. V. *Parochus,* Provisio canonica ; Examen de doctrina ad paroeciam. — Partes eorum in remotione administrativa parochorum, 863.

EXARCHAE, 616.

EXCEPTIONES JUDICIALES. Notio, 1561. — Divisio, 1562. — Principia circa exceptiones, 1563.

Exceptio suspicionis erga personam judicis, 1546. Ordo sequendus in exceptionibus cognoscendis, 1550.

EXCLAUSTRATIO, 1052. Notio, effectus, terminus.

EXCOMMUNICATIO. Notio, 1754. — Divisio, 1755. Quinam vitandi sint, *ibid.* *Effectus* excommunicationis. Effectus *immediati.* Privatio divinorum officiorum, 1757 ; privatio Sacramentorum et Sacramentalium ; horum receptio, confectio et administratio, 1758 ; privatio sepulturae ecclesiasticae, 1759, 1233 ; exclusio ab indulgentiis et Ecclesiae suffragiis, 1760 ; remotio ab actis legitimis ecclesiasticis, 1761; prohibitio agendi in judicio 1762 ; prohibitio usus privilegiorum, 1763 ; effectus quoad jurisdictionem, 1764 ; quoad officia et beneficia, 1765 ; privatio communionis in profanis, 1766. — Effectus excommunicationis in ordine ad obtinendum rescriptum, 292. — Effectus *mediati,* 1767.

Poenae in illegitime cum excommunicato vitando communicantes, 1839.

Excommunicati post sententiam, indigni sunt sepultura ecclesiastica, 1233.

EXEMPTIO A JURISDICTIONE PAROECIALI, 896.

EXEMPTIO RELIGIOSORUM, causa major, 529. — V. *Religiosi,* privilegia.

EXEMPTIO SEMINARII, 1321.

EXERCITIA PIETATIS clericorum, 360 ; religiosorum, 1019.

EXERCITIA SPIRITUALIA, seminaristarum, 1319.

EXHUMATIO, 1183.

EXPENSAE JUDICIALES, 1598.

EXPLORATIO VOLUNTATIS PUELLAE, 996. — Hujus omissio puniatur, 1914.

EXPOSITI. An sint irregulares, 1924.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI. V. SS. Eucharistia.

EXSECRATIO. V. Ecclesiae ; Altaria ; Coemeteria ; S. Supellex.

EXTRAVAGANTES, 85.

EXTREMA UNCTIO, jura superiorum religiosorum, 958.

V. *Parochus,* functiones et jura ei reservata.

F

FACULTATES EPISCOPORUM, 675 ; cf. t. II, p. VI.

FACULTATES HABITUALES, 306.

FACULTATES VICARIORUM ET PRAEFECTORUM APOSTOLICORUM, 645.

FALSUM. Crimen falsi, 1863.

V. Litterae Apostolicae ; Rescriptum ; Documenta curiae ecclesiasticae ; Documenta curiae episcopalis ; Documenta ecclesiastica.

FAMAM BONAM laedentes. Poenae, 1859.

FATALIA, 1551 ; fatalia appellatoria, 1604.

FIDES. Ad fidem amplectendam excluditur vis, 1305.

FIDUCIA seu fiduciaria acceptatio bonorum ad pias causas, 1469, 1499.

FONS BAPTISMALIS in qualibet paroecia necessaria, 491.

FORUM COMPETENS. Notiones, 1511. — Competentia *exclusiva* et *absoluta* R. Pontificis et Romanarum Congregationum, 1512. — Competentia *relativa* tribunalis primae instantiae. Principia generalia, 1513. Forum necessarium, *ibid.* Media sortiendi forum liberum, *ibid.*

FUGA A RELIGIONE. Notio, effectus, 1055, poenae, *ibid.* et 1889.

FUNCTIONES PAROECIALES, 834 s. —

Prohibentur in oratoriis publicis, 1148.
FUNCTIONES SACERDOTALES, 834, — in oratoriis publicis, 1148 ; in oratoriis semi-publicis, 1149 ; in oratoriis stricte privatis, 1151.
FUNDATIONES PIAE. Notio, 1499. — Constitutio, 1500. — Administratio bonorum fundationis, 1501. — Exoneratio fundationum, 1502. Conservatio, *ibid.* Jura et officia Ordinarii aut Superioris, *ibid.* — Cessatio onerum, 1503. — Reductio onerum, *ibid.*
V. Voluntates piae.
FUNERA. V. Sepultura.
FURTUM. Poenae, 1858.

G

GRADUS ACADEMICI, 1329.

H

HABITUATI, 906.
HABITUS CLERICALIS. V. *Clericus,* obligationes.
HABITUS RELIGIOSUS, 1021.
HAERESIS. Notio canonica, 1205. — Edentes, legentes, retinentes, defendentes, libros haereticorum haeresim propugnantes, excommunicantur, 1384 ss.
HAERETICI. Poenae, 1813 ; indigni sepultura ecclesiastica, 1232. — Haereticis credentes, iis plerumque adnumerandi sunt, 1814. — V. Suspecti de haeresi. Cooperantes in haeresi.
HIERARCHIA, 340. Notio et divisio, 341. — Hierarchia ordinis, 342 ; jurisdictionis, 343. — Cooptatio in hierarchiam ordinis et jurisdictionis, 344. — Relatio inter hierarchiam ordinis et jurisdictionis, 345.
HISPANA COLLECTIO, 40. — Collectio systematica Hispana, 43.
HOMICIDIUM. Poenae, 1858. — Homicidium ut irregularitatis causa, 1934.
HORAE CANONICAE. V. *Clericus.* Obligationes. — Obligatio beneficiatorum, 1424.
HYPOTHECA, 1492.

I

IGNORANTIA tollens imputabilitatem delicti, 1695, eam minuens, 1696 ; excusans a poenae l. s. in foro interno et externo, 1717 ; ignorantia reservationis, *ibid.;* ignorantia reservationis ex parte confessarii, 1740. — Ignorantia irregularitatis aut impedimenti. V. Irregularitates; Impedimentum ad ordines.
IMAGINES (SS.). Principium, 1265. — Cultus SS. Imaginum, 1267. — Imaginis benedictio, *ibid.* — Imaginis restauratio, *ibid.* — Imaginis alienatio, *ibid.*
Imagines SS. imprimendae censurae subjiciendae sunt, 1341. Imagines quoque modo impressae ab Ecclesiae sensu et decretis alienae proscribuntur, 1375.
IMMUNITATES CLERICORUM. Notio et divisio, 357. — Origo juridica, 358. — V. *Clericus.* Privilegia.
IMMUNITATES LOCALES, 1135 s. V. Ecclesiae.
IMPEDIMENTA AD ORDINES. Significatio vocis, 1919. — Effectus, 1921. — Causa impedimenti, 1922. — Ignorantia impedimenti, *ibid.* — Impedimentorum multiplicatio, *ibid.* — Cessatio impedimenti, 1923.
Sunt impediti : filii acatholicorum, 1938 ; viri uxorem habentes, 1939 ; officium vel administrationem agentes clericis prohibitam, 1940; servi, 1941; ordinario militari servitio adscripti, 1942 ; neophyti, 1943 ; qui infamia facti laborant, 1944.
IMPEDIMENTA INGRESSUS IN RELIGIONEM, 990 ss.
IMPOTENTIA, quoad imputabilitatem delicti, 1595 ; excusans a poenae l. s., 1720.
IMPUBES, 311, — num excusetur a poenis, 1721.
IMPUTABILITAS. V. *Delictum,* imputabilitas ; v. *Poena,* causae excusantes a poena l. s.
INCARDINATIO ET EXCARDINATIO. Vide *Clericus.* Adscriptio dioecesi.
INCENDIUM. Poenae, 1858.
INCOLA, 314.
INCOMPATIBILITAS officiorum, 403.
INDEX LIBRORUM PROHIBITORUM, 1338.
INDEX TRIDENTINUS librorum prohibitorum, 1338.

INDULGENTIAE. Indulgentiarum libri editio, 1345. Indulgentiarum libri prohibiti, 1374.

Concessio indulgentiae plenariae est causa major, 529, item frequenter indulgentiae partialis, *ibid.*

Indulgentiae amittuntur venditione rerum quibus adnexae sunt ; quid si absque venditione transeant ab una ad aliam personam, 1100.

Poenae in quaestum facientes ex indulgentiis, 1827.

INFANS, 311.

INFAMIA. Notio. Divisio in infamiam juris et facti. Effectus. Cessatio, 1790. — Infamia juris. V. *Irregularitates.* Irregulares ex defectu. — Infamia facti. V. Impedimentum ad ordines.

INHABILITAS ut poena vindicativa, 1791.

INHUMATIO PRAEMATURA, 1183. V. Sepultura.

INJURIA, Poenae, 1849. — Injuria verbalis in Superiores ecclesiasticos. Poenae in eos injuriis afficientes, 1847.

INJUNCTIS DE JURE INJUNGENDIS, 1743.

INQUISITIO, 200.

INQUISITIO JUDICIALIS. Notio et divisio, 1627. — Quando et quem in finem facienda, 1628. — Auctor inquisitionis, 1629. — Processus inquisitivus, 1630.

INSTALLATIO, 1418.

INSTANTIA LITIS, 1578.

INSTITUTIO REALIS SEU CORPORALIS, 1418. — Qui negligunt auctoritatem superioris cui competit institutio, puniuntur, 1896.

INSTITUTA ECCLESIASTICA NON COLLEGIALIA. Notiones, 1431. — Erectio, 1432. — Administratio bonorum, 1433. — Jus Ordinarii, 1434. — Innovationes, 1435.

INSTITUTUM PIUM. V. Instituta ecclesiastica non collegialia.

INSORDESCENTIA IN CENSURA, 1767. — Poenae, 1843.

INSTRUCTIO PROCESSUS CRIMINALIS. Instauratio et introductio judicii criminalis, 1636. De quibusnam prohibitionibus, 1637.

INSTRUMENTA. Notio. Instrumenta ecclesiastica publica et privata, 1585. — Documenta processui de beatificatione inserenda, 1653.

INTERDICTUM. Notio, 1768. — Divisio, 1769. — Auctor interdicti, 1770. — Causa, 1771.

Effectus interdicti. Effectus interdicti localis, generalis et particularis, 1772. Effectus interdicti personalis generalis et particularis, 1773. Effectus quoad innocentes, 1774. — Effectus interdicti ab ingressu ecclesiae, 1775.

Violatio interdicti, 1776.

Cessatio interdicti, 1776.

Interdictum coemeterii, 1178.

Causam dantes interdicto sunt personaliter interdicti, 1841. — Interdicti post sententiam, privandi sunt sepultura ecclesiastica, 1234. — Interdictum locale violantes puniuntur, 1840.

INTERNUNTII. V. Legati Apostolici.

INTERVENTUS TERTII IN CAUSA, 1590.

INVENTARIA archivorum, 735.

IRREGULARITATES. Significatio vocis, 1918. — Codicis ordinatio, *ibid.* Notio irregularitatis, 1919. — Divisio irregularitatum, 1920. — Effectus, 1921. — Causa irregularitatis ex defectu, ex delicto, 1922. — Ignorantia irregularitatum, 1922. — Dubia irregularitas, *ibid.* — Earum multiplicatio, *ibid.*

Cessatio irregularitatis. Praeter irregularitatem ex defectu natalium, aliae tolluntur *dispensatione.* Subjectum dispensationis est R. Pontifex, Ordinarius, Confessarius, Superior regularis. Modus petendi et concedendi dispensationem. Effectus dispensationis, 1923.

Irregulares ex defectu sunt : illegitimi, 1924 ; corpore vitiati, 1925 ; eleptici, amentes, a daemone possessi, 1926 ; bigami, 1927 ; qui infamia juris notantur, 1928 ; judex qui sententiam mortis tulerit, 1929 ; carnifices, 1920.

Irregulares ex delicto sunt : apostatae, haeretici, schismatici, 1931 ; scienter baptizati ab acatholicis, 1932; matrimonium attentantes, 1933 ; homicidae et procurantes abortum, 1934 ; seipsos aut alios mutilantes aut sibi vitam adimere tentantes, 1935 ; clerici artem medicam vel chirurgicam exercentes, 1936 ; actum ordinis ponentes eo ordine carentes aut poena canonica impediti, 1937.

Irregularitates clericorum a bello redeuntium. Dispensandi facultas, 1934.

Irregularitas ex violatione censurae, 1707, 1776, 1784.

ISIDORIANA vel Hispana collectio, 40, 42.

ITALA COLLECTIO, 40.

J

JEJUNIUM EUCHARISTICUM. Poenae in illud violantes, 1821.
JUDEX. Notio, 1515. Species, 1516. Officium et dotes, 1517.
Judex dioecesanus primae instantiae est *loci Ordinarius*, salvis quibusdam causis superiori tribunali reservatis, 1518.
Judex primae instantiae pro religiosis, 1524.
Judex secundae instantiae, 1530.
Obligatio judicis praestandi suum ministerium, 1544. — obligatio cognoscendi praevie de propria competentia, 1545. In quo judex suspectus exsistat, 1546. Auxilium a judice praestandum necne, 1547. Definitio judicii properanda, 1548.
Judex certitudinem moralem circa rem sententia definiendam haurire debet ex actis et probatis, 1596.
V. *Causae beatificationis*, personae his in processibus intervenientes.
JUDICIUM. Notio, 1505. — Species judiciorum, 1506.
Locus judicii, 1552. — *Tempus* judicii, 1553. — *Ordo* judicii, 1578 ss. — *Modi evitandi* judicium contentiosum, V. Transactio ; Compromissum in arbitros.
JUDICIUM CRIMINALE. Notio, 1620. — Finis, 1621. — objectum, 1622. Praecipuae procedurae criminalis formae in ecclesia olim adhibitae, 1623. Mutationes a codice introductae, 1624. V. Accusatio; Denuntiatio; Inquisitio Correptio delinquentis ; Instructio processus criminalis ; Rei constitutio.
JUDICES SYNODALES, 742, 1521.
JURA ECCLESIAE. Poenae in jura ecclesiae laedentes, 1834.
JURAMENTUM, praestandum ab omnibus qui tribunal constituunt, 1549.
JURAMENTUM ANTIMODERNISTICUM, 817. 1392.
JURAMENTUM PARTIUM, suppletorium, litis decisorium, litis aestimatorium, 1587.
JURISDICTIO. *Notio*, 437 ss. *Species* jurisdictionis : jurisdictio fori interni et externi, 440 ; jurisdictio universalis et particularis, 442 ; jurisdictio voluntaria et contentiosa, 443 ; jurisdictio ordinaria, 444, quid sit, *ibid.*, est vel propria vel vicaria, *ibid.*, cuinam competit jurisdictio ordinaria, 445. V. Ordinarii; Ordinarii locorum; — jurisdictio delegata, 447, species jurisdictionis delegatae, 448 ss. — *Adeptio* jurisdictionis. Ad legitimum titulum jurisdictionis requiritur 1° potestas in concedente ; subjectum activum jurisdictionis ordinariae, 453, jurisdictionis delegatae, 454 aut subdelegatae, 455 ; 2° Habilitas subjecti passivi ; subjectum passivum jurisdictionis ordinariae, 458, delegatae aut subdelegatae, 459 ; 3° Forma debita in actu concessionis potestatis ordinariae aut delegatae, 460.
Interpretatio potestatis jurisdictionis, 463. — *Exercitium* jurisdictionis quoad loca et personas, 464, quoad forum, 465. Validum exercitium jurisdictionis, 466. Delegatio simul pluribus facta, 466. — *Restrictio* et *suspensio* jurisdictionis ordinariae et delegatae, 469 s. — *Cessatio* jurisdictionis delegatae, 471 ss., ordinariae, 480. — *Suppletio* jurisdictionis. Conditiones suppletionis, 481. Usus jurisdictionis cui supplet Ecclesia, 482.
Poenae in eam impedientes, 1834. — Poenae in parochum vel sacerdotem exercitium jurisdictionis impedientes, 1837.
V. Potestas ecclesiastica.
JURISPRUDENTIA SACRA, 265.
JUS. Significatio vocis, 2.
JUS ASYLI, 1138. — In coemeteriis, 1177.
JUS CANONICUM. Notio, 4. — Varia nomina, 5. — Discrimen juris can. a theologia et jure civili, 6. — Divisio, 8. — Fontes, 9. — Subsidia seu scientiae auxiliares juris canonici, 60. — Praecipui interpretes, 120. — Methodus docendi jus can., 121. — Methodus discendi jus can., 126.
JUS CIVILE. Fons juris canonici : jus romanum, 27 ; jus civile modernum, 28.
JUS FUNERANDI, 1179.
JUS GENTIUM, subsidium jur. can., 119.
JUS GERMANICUM. Collectiones, 69.
JUS LITURGICUM. Juris liturgici collectiones, 66. — Leges liturgicae extra codicem jur. can. vim suam retinent, 119.
JUS MATRIMONIALE. Collectiones, 65.
JUS NATURAE, fons juris canonici. Errores in usu j. n., 11 ; regulae usus, 12. — Subsidium jur. can., 119.
JUS PARTICULARE. Collectiones, 103. — Jus particulare provinciae Belgicae et dioecesis Brugensis, *ibid.*

Jus patronatus. Notio, 1419. Divisio, 1420. Modi originarii acquirendi patronatum, 1421. Normae acquisitionis hodiernae, 1422.
Jus poenale. Fondamentum et finis, 1706.
Jus Romanum. Collectiones, 69. — Subsidium jur. can., 119.
V. *Jus canonicum*, fontes.
Jus tumuli, 1179 ss.

L

Laicus. Notio, 1069. — Jura 1070. — Obligationes, 1071. —
Laici vetantur quidpiam conscribere in pravis diariis et libellis periodicis, nisi ex justa causa, ab Ordinario loci probata, 1343.
Leges amortizationis iniquae sunt, Ecclesiae injuriosae; objectiones, 1441.
Leges civiles cujusque nationis applicandae sunt praescriptioni, 1460, 1462 ; donationi et testamento quoad sollemnitates, 1466 ; contractibus in genere et in specie, 1481.
Leges ecclesiasticae. V. R. Pontifex; Ecclesia.
Leges processuales. Quinam teneantur his legibus, 1510.
Legati R. Pontificis. Notio, 607. — Divisio, 608. — Munus, 609. — Muneris cessatio, 610. — Relatio Legatorum ad Ordinarios, 611. — Facultates, t. II, p. VI.
V. *Romanus Pontifex*, potestas.
Legati a latere. V. Legati R. Pontificis.
Legatum pium implere negligentes puniantur, 1851. V. Voluntates piae.
Legitima tutela tollens imputabilitatem delicti, 1695 ; eam minuens, 1696.
Lex. *Promulgatio*, 262 s. — *Vacatio*, 264. — *Interpretatio*, 266 ss. : notio et divisio, 266 s. ; modus servandus in interpretatione, 268 ; regulae interpretationis, 269 ; regulae generales, 270 ss. ; regulae speciales a codice exhibitae, 273 ; regulae juris, 276 ss.
Liberalismus, 202 ss. Caput doctrinae, 203. Variae species : Liberalismus absolutus exponitur et refellitur, 204, 207 s. ; Liberalismus mitigatus exponitur et refellitur, 205, 209 ; Liberalismi catholici doctrina ejusque refutatio, 206, 212.
V. Bona temporalia.
Libertas cultus crisi submittitur, 211.
Licentia quomodo differat a jurisdictione delegata, 455.
Licentia legendi libros prohibitos. V. *Prohibitio librorum*, licentia legendi et retinendi libros prohibitos.
Libellus accusationis, 1636.
Libellus litis introductorius, 1575.
Liber VII Decretalium, 89 s.
Liber Diurnus, 67.
Liber fundationum, 1502.
Liber memorialis, 860.
Liber mortuorum, 1226. V. Libri paroeciales.
Libri boni. De divulgatione bonorum scriptorum, 1383.
Libri liturgici, 1249.
Editio, 1347 ; libri liturgici editionibus authenticis haud conformes prohibentur, 1373.
Libri paroeciales, 859. — Varia delicta circa libros paroeciales puniantur, 1909.
Libri poenitentiales, 64.
Libri prohibiti. V. Prohibitio librorum.
Litaniae. Earum editio, 1347. — Earum approbatio, 1250.
Litterae Apostolicae, 23. — Litteras Apostolicas fabricantes aut falsificantes poenis afficiuntur, 1864. Poenae in delinquentes circa ipsas, 1833.
Litterae dimissoriae ad ordines, 1877. — Poenae in indebite concedentes litteras dimissorias, 1912.
Litterae perinde valere, 297.
Litterae testimoniales ad ordines, 1877. Poenae delinquentium circa eas, *ibid.*
Litterarum commercium apud religiosos, 1028.
Liturgia (S.). Quid, 1249. Ad S. Sedem spectat eam ordinare, *ibid.*, typicas editiones librorum liturgicorum approbare, *ibid.*
Ordinationes sacrae liturgiae, causa major, 528. V. Jus liturgicum ; Libri liturgici.
Loca sacra. Notio, 1113. Species, 1114. Minister consecrationis vel benedictionis loci sacri, 1115. Demonstratio peractae benedictionis vel consecrationis, 1116. Prohibita iteratio consecrationis vel benedictionis, 1117. Effectus juridici consecrationis vel benedictionis, 1118.
Locatio, 1495.
Locus originis, 313.
Locus judicii. V. Judicium.

M

MAGISTERIUM ECCLESIASTICUM, 1283, Magisterium publicum et privatum, 1331. V. *Ecclesia,* jus docendi ; *Episcopus,* jus docendi.
MANIFESTATIO CONSCIENTIAE, 973.
MAJOR, 311.
MANSIONARII. V. Capellani Capitulorum.
MATRICULARII SPIRITUALES, 906.
MATRIMONIUM. Poenae catholicorum qui matrimonium mixtum ineunt absque dispensatione, 1879. — Attentatio matrimonii a aut cum clerico majori vel religioso professo punitur, 1897. — Matrimonium attentans est irregularis, 1933. — Poenae eorum qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico, 1819, cum pacto ut proles educetur extra catholicam ecclesiam, *ibid.*
V. *Parochus,* functiones et jura ei reservata.
MEDIA ANNATA, 1427.
MENSURAE ACADEMICAE poenis duelli subjiciuntur, 1855.
MENTIS DEBILITAS minuit imputabilitatem delicti, 1698 ; est causa excusans a poena l. s., 1718.
METROPOLITA. V. Archiepiscopus.
METUS tollens delicti imputabilitatem, 1695, eam minuens, 1696 ; num excuset a poena l. s., 1719. V. *Consensus.* Vitia.
MILITIA. Militae exercitium voluntarium clericis interdictum, 384. Leges belgicae de militia, 354. V. Immunitates clericorum.
Effectus adscriptionis militiae circa professionem religiosam, 1005. — Militiae exercitium quoad irregularitates et impedimenta ad ordines, 1934, 1942.
MINOR, 311.
MINOR ACTAS minuit imputabilitatem delicti, 1696.
MISSA celebrata a sacerdote extraneo, 829. — Assistentia Missae commendatur, 1262.
Missae audiendae praeceptum. Huic satisfacere possunt fideles in oratoriis publicis, 1148, in oratoriis semi-publicis, 1149, in oratoriis Cardinalium et Episcoporum, 1150, in oratoriis privatis coemeteriorum, *ibid.* Quid in oratoriis stricte privatis, 1151.
Missae celebratio extra locum Deo dicatum, quando permitti possit ab Episcopo, 1166. — Missae celebratio in oratoriis domesticis ex concessione Episcopi, 1751.
Poenae in eos qui Missam eodem die iterare praesumpserint, 1821. V. Binatio. — Poenae in eos qui non jejuni Missam celebrarent, 1821, — in eos qui celebrationem Missae simulaverint, 1822. — Poenae in delinquentes circa missarum stipendia, 1824.
MISSA PRO POPULO. Obligatio Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum, 646, Episcoporum, 694, parochorum et vicariorum. V. Parochus ; Vicarii paroeciales.
MISSIO CANONICA ad docendum et praedicandum, 583. V. Praedicatio.
MISSIONES SACRAE. Notio, 1302. — Missiones internae, 683, 854, 1303. — Missiones externae, 1304.
MODERNISMUS. Acta contra modernismum, 93. — Leges contra modernismum codice jur. can. non abrogantur, 114.
MONASTERIUM, quid, 932. — Erectio monasterii sui juris, 938. — Erectio monasteriorum, causa major, 527.
MONIALES, quid, 932.
MONITIO POENALIS. Quandonam huic locus sit, 1802. Modus procedendi in monitione facienda, 1804.
MONITIONES necessario praemittendae inflictioni censurae. Notio. Distinctio. Necessitas. Modus faciendi monitiones, 1724.
Authenticitas monitionum procuranda in processibus summariis, 1670.
MOTUS PROPRII, 23.
MULCTA PECUNIARIA, 1792.
MUNIA SACERDOTALIA USURPANTES, poenae, 1822.
MUTILATIO. Poenae, 1858.
MUSICA SACRA. Codex musicae sacrae, genus musicae, cantus mulierum in cultu publico, 1256.
MUTUUM, 1497.

N

NECESSITAS relate ad imputabilitatem delicti, 1695, 1696.
NEGOTIATIO clericis prohibita, 385. Gravitas prohibitionis, 386 ; qualis

negotiatio interdicatur, 387. Sanctiones, 1884. V. Actiones et obligationes.
NEOPHYTI, 1069. — Sunt ad ordines impediti, 1943.
NOTARIUS. Notio, 734, 1527. Interventus necessitas in quolibet processu, 1527, in causis beatificationis, 1653 ; in processu summario, 1670.
NOTORIETAS JURIS ET FACTI, 1690.
NOVITIATUS. Notio et necessitas, 989. — De *impedimentis* ingressus seu receptionis, ad validitatem, 991, ad liceitatem, 992. — Jus admittendi ad novitiatum, 993. — Testimonia requisita, 994. Testimonialium traditio et tenor, *ibid.* — Dos religiosarum, 995. *Institutio novitiorum.* Initium et sedes novitiatus, 997. Conditiones validitatis novitiatus, 998. Novitiorum magister et socius, 999. Novitiorum disciplina, *ibid.* — Novitiorum privilegia et jura, 1000 ; obligationes, 1001. — *Bona temporalia* novitiorum, 1001. — Novitiatus terminus, 1002.
Superior qui indebite aliquem ad novitiatum admiserit puniatur, 1913. V. Confessio sacramentalis.
NULLITAS ACTORUM, 1567.
NUNTIATIO NOVI OPERIS, 1566.
NUNTII APOSTOLICI. V. *R. Pontifex*, potestas ; Legati Apostolici. — Facultates, t. II, p. VI.

O

OBEDIENTIA CANONICA CLERICORUM. V. *Clericus*, obligationes.
OBLATI, 931.
OBLATIONES. Notio et species, 1453. — Oblationes liberae et debitae, 1455. — Cui cedunt oblationes, 1456. Legitimitas perceptionis oblationum, 1457. V. Praestationes.
OBREPTIO. V. *Rescriptum*, vitia.
ŒCONOMUS, sede episcopali vacante, 793 s. — Vicarius oeconomus. V. Vicarii paroeciales.
OFFICIA in Capitulis, 750. V. Canonicus theologalis ; Canonicus Poenitentiarius ; Canonicus curatus.
OFFICIA CURIAE ROMANAE in genere, 601. Vide singula Officia.
OFFICIA ECCLESIASTICA. *Notio* officii, 394. — *Provisio* officiorum. Notio, 396. Praevia requisita omni provisioni officii : idoneitas providendi, 397 ; vacatio officii, *ibid.* V. Collatio ; Electio ; Postulatio.
Amissio officiorum, 433 ss. V. Cessatio ; Renuntiatio ; Privatio ; Translatio.
Illegitime officia, beneficia vel dignitatem occupantes aut sese in ea ingerentes, puniuntur, 1897. — Poenae eorum qui acceptant beneficium non vacans, 1898, — qui detinent duo officia incompatibilia, 1899. — Desertio officii a clerico majore puniatur, 1902. — Poenae in resignantem officium in manus laicorum, 1903. — Poenae in illegitime officium detinentem, 1904.
OFFICIA DIVINA, 1753.
OFFICIUM DIVINUM. Obligatio religiosorum, 1027.
OFFICIALIS DIOECESANUS. Notio, dotes, potestas, amotio et cessatio muneris, 1519.
OFFICIALES ECCLESIASTICI. Eorum corruptores puniantur, 1910.
ONERA MISSARUM. Variae eorum species, 1498.
OLEA (SS.), 1282.
OPERA PERITORUM, 1583.
OPPOSITIO TERTII, 1609 s.
OPUS VOCATIONUM CLERICALIUM, 1311.
ORATORIA. Notio, 1145. Divisio, 1146.
Oratoria publica. Notio et divisio, 1147. — Jus quo oratoria publica reguntur, speciatim quoad functiones sacras, 1148.
Oratoria semi-publica. Notio, 1149. — Erectio, *ibid.* ; functiones sacrae, *ibid.*
Oratoria Cardinalium et Episcoporum, 1150.
Oratoria privata coemeteriorum, 1150.
Oratoria stricte privata seu domestica. Notio. Erectio. Functiones sacrae, ex concessione Episcopi, ex indulto Apostolico ; concessionis conditiones, 1151.
ORDINARIUS quinam sit, 446.
Ejus potestas remittendi poenas l. s., 1727, absolvendi a censuris, 1746, dispensandi ab irregularitatibus, 1923.
Poenae in eos qui contra auctoritatem Ordinarii delinquunt, 1831.
ORDINARII LOCORUM quinam sint, 446. — Partes eorum in moderando cultu divino, 1250. — Ordinarius loci est judex ordinarius primae instantiae in sua dioecesi, 1518.
V. Absolutio apostatae, haeretici,

schismatici ab excommunicatione ; *Beneficia ecclesiastica,* collatio ; Fundationes piae ; Associationes piae ; Voluntates piae ; *Bona temporalia ecclesiae,* administratio ; *Tempora sacra,* dispensatio.

ORDINES JUDICIORUM, 68.

ORDINES RELIGIOSI. Diversa ordinum species, 928, ex fine sibi proposito, 929, ex mediis et peculiaribus exercitiis, 930. — *Erectio,* 936.

ORDINES SACRI. V. Impedimenta ad ordines; Irregularitates; Litterae dimissoriae ; Litterae testimoniales ; Causae contra S. Ordinationem ; *Parochus,* functiones et jura ei reservata.

Poenae eorum qui ordines suscipiunt ab indigno ministro, 1876 ; eorum qui illicite ordines conferunt, 1877 ; eorum qui illicite ordines recipiunt, 1878.

ORDO COGNITIONUM JUDICIALIUM. Quoad diversas causas, 1550 ; quoad causas et quaestiones in eodem judicio connexas, *ibid.*

P

PALLIUM. Pallium R. Pontificis, 605. — Pallium Archiepiscopi : Origo. Notio. Usus et auctoritas, 624. — Pallium Episcopis concessum, *ibid.*

PARENTES. Obligatio quoad liberorum christianam educationem, 1326. — Poenae in eos qui proles in religione acatholica educandas tradunt, 1819.

PAROCHUS. Nomen, 804. Notae historicae, 805. — Praecipui circa parochos errores, 806. — Notio, 806. — Species parochorum, 809. V. Succursalistae.

Provisio canonica. Dotes, 811. Subjectum activum provisionis canonicae, sede plena et sede vacante, 812. Modus servandus in provisione, quoad tempus, 813, quoad eligendum magis idoneum, *ibid.* Examen super doctrina a providendo subeundum, *ibid.* Lex concursus, 814.

Unitas paroeciae et parochi, 815. Initium officii paroecialis, 816. Professio fidei et juramentum antimodernisticum, 817.

Jurisdictio parochi, non est fori externi, sed fori interni, 818 ; est ordinaria, 819. Loca ubi exercetur, 820 ; subjecti jurisdictioni paroeciali, 821.

Functiones et jura parochis reservata, 822. Jura parochi quoad baptismum, 823, quoad communionem Paschalem, 825 ; quoad publicam delationem SS. Eucharistiae ad infirmos devotionis causa, 826, quoad privatam delationem, *ibid.,* quoad publicam aut privatam delationem Viatici, 827 ; quoad communionem puerorum privatam, generalem, sollemnem, 828 ; quoad missam celebratam ab extraneo sacerdote, 829 ; quoad Extremam Unctionem, 830 ; quoad Ordinem et Matrimonium, 831; quoad sacramentum Poenitentiae, 832. — Jura parochi circa funeralia. V. Sepultura ecclesiastica. — Jus parochi circa quasdam functiones sacras, 834 s. : benedictio domorum, 835 ; benedictio fontis baptismalis, *ibid.,* cf. t. II , p. VI; processiones sollemnes, 835 ; benedictiones sollemnes, *ibid. ;* benedictio puerperarum, *ibid.* — Jura parochi ad legitima emolumenta debita et libera, 836 ss.

Obligationes parochorum, in genere, 839. Obligatio residentiae, 839. Qualitates residentiae, 840. Conditiones legitimae absentiae, 841. Gravitas culpae, 842. Poenae contra non residentes, 843. — Obligatio celebrandi pro grege. Describitur obligatio, 844. Subjectum obligationis, 845. Est obligatio personalis et realis, 846, affixa certis diebus, 847, localis, 848 ; gravitas culpae, 849. — Obligatio orandi, 853. — Obligatio docendi : obligatio praedicandi, 854, obligatio catechesim tradendi pueris et adultis, 855, obligatio instituendi et visitandi scholas, 856. — Obligatio administrandi sacramenta, 857, satisfaciendi oneribus Missarum aliisque legatis, curandi aegrotos et moribundos, fovendi pia opera, colligendi eleemosynas, 858. — Obligatio curandi libros paroeciales, 859, habendi sigillum paroeciale et curandi archivum paroeciale, 860.

Cessatio muneris paroecialis, renuntiatione, 861 ; permutatione vel translatione, 862 ; remotione administrativa : notio, causae, modus procedendi sive agatur de parocho inamovibili aut amovibili, provisio amoti, recursus ad S. Apostolicam, 863; privatione, depositione et degradatione, 864.

Parochi curent ut praeparentur candidati ad Seminarium, 1311.

De religioso parocho aut vicario-curato. Nominatio, 812, 868 ; amotio, 809, 894. — Obligationes et jura, 1046.

Parochi negligentes in adimplendis suis officiis. Delicta punienda, 1676. — Procedura in delictis puniendis, 1677. — Poenae, 1886.

V. Conciones ; Concursus ad paroecias ; Catechetica institutio ; *Prohibitio librorum,* obligatio pastoralis officii ; *Tempora sacra,* dispensatio.

PAROCHI CONSULTORES. Notio, 736. Constitutio, 737. Qualitates, 738. Juramentum, 739. Muneris duratio, 740. Remotio, 791. — Partes eorum in remotione administrativa parochorum, 863.

PAROCHIATUS. Notio, 492.

PAROECIA. Divisio dioecesis in paroecias, 490. Quae requiruntur ad constituendam paroeciam, 490 s.

De habitudine communitatis religiosae ad paroecias, 1026.

Paroeciae in Belgio erectio, 1400.

V. Parochus.

PASSIO tollens imputabilitatem delicti, 1695, eam minuens, 1696, eam augens, 1697.

PATRES (SS.). Scripta eorum, fons juris canonici, 26.

PATRIARCHAE. Notio et origo, 613. — Divisio, 614. — Jura, 615.

PATRONI. V. Sancti.

PECCATORES PUBLICI, indigni sepultura ecclesiastica, 1237. An qui praeceptum pascalis communionis non implent veniant inter peccatores publicos, 1237.

PECULIUM CLERICORUM, 1424.

PENSIONES quae in Belgio sacerdotibus a Gubernio solvuntur, num beneficiis annumerentur, 751, 1397.

PENSIO PERSONALIS, 1396.

PEREGRINUS, 314. — Peregrini quibus ligantur legibus poenalibus, 1713.

PERITI in judicio, 1583 ; in causis beatificationis, 1652.

PERJURIUM. Poenae in perjurium committentes in judicio et extra judicium, 1823.

PERMUTATIO, 1494. — Permutatio beneficii paroecialis, 862. — Permutatio Episcopi, 789.

PERSONA. *Persona physica* in Ecclesia. Notio, 308. Divisio, 309. — Distinctiones personarum, ratione aetatis, 311, ratione loci, 312 ss. Vide Locus originis ; Domicilium ; Quasi-domicilium ; ratione propinquitatis personarum, 321 ; ratione ritus, 322. — Fundamentalis distinctio in clericos et laicos, 337.

Persona moralis. Notio, 323. Divisio, 324. Personae moralis institutio, 325. Status juridicus, 326. Actus personarum moralium, 327. Duratio et exstinctio, 328. — Translatio dominii in casu exstinctionis, 1451. — Num delicti sit capax, 1693.

V. Praecedentia ; Consensus ; Consilium ; Censura.

PERSONATUS, 750.

PIGNUS, 1492.

PLACETUM REGIUM, 261.

POENA. *Notio,* 1707.

Poenarum *species,* ratione objecti in poenas temporales et spirituales ; ratione finis, in vindicativas et medicinales ; ratione determinationis, in determinatas et indeterminatas ; ratione modi quo incurruntur, in poenas latae et ferendae sententiae ; ratione modi quo statuuntur, in poenas a jure et ab homine, 1708.

Principia quoad *applicationem* poenarum, 1709.

Interpretatio poenarum, 1710.

Superiores potestatem coactivam habentes. Quinam possint poenas statuere et statutas applicare, 1711 ; an possit puniri transgressor legis nullam poenam adnexam habentis, *ibid.*

Normae sequendae a judice vel superiore in poenarum applicatione : aggravatio poenae, applicatio poenae f. s.; declaratio poenae l. s.; cumulus poenarum ; forma servanda in imponendis poenis, 1712.

Subjectum obnoxium poenae, 1713. Modus quo subjectum legi poenali subjiciatur, *ibid.*

Causa poenarum, seu peccatum externum, consummatum, 1714.

Causae excusantes a poena latae sententiae : expresse a lege requisita plena cognitio et deliberatio, 1716 ; ignorantia, distinctiones ignorantiae, qualis excuset a poena l. s. in foro interno et externo, num excuset ignorantia reservationis, 1717 ; ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, 1718 ; metus, 1719 ; impotentia, 1720 ; minor aetas, 1721.

Poenae cooperatorum, 1722.

Observantia poenarum f. s. et l. s. ; excusatio a poena l. s. observanda ratione infamiae, 1723.

Poenae inflictio, propter delictum

certo commissum et non praescriptum, post *monitiones* si agatur de censura, 1724. V. Monitiones.
Modi quibus cessant poenae, 1725. De poenarum remissione. Distinctio inter absolutionem et dispensationem, *ibid.* — Superior competens quoad remissionem poenarum, 1726. Potestas Ordinarii remittendi poenas l. s. juris communis. — Modus servandus in poenarum remissione, 1728. — Prescriptio actionis poenalis, 1729.
V. Censurae ; Poenae vindicativae; Remedia poenalia ; Poenitentiae.

POENAE ECCLESIASTICAE. *Codificatio* poenarum decursu temporis, 1813. — Quid hac de re praestiterit codex jur. can., *ibid.* — Principia interpretationis poenarum in singula delicta, *ibid.*

POENAE VINDICATIVAE. Notio, 1786. — Principia quoad appellationem et recursus. — *Cessatio* poenae vindicativae expiatione, dispensatione.
Dispensatio in casibus urgentioribus, 1787. — Quomodo differat dispensatio ab absolutione, 1725. — Potestas Ordinarii loci dispensandi a poenis l. s., 1727.
Elenchus poenarum vindicativarum communium, 1788. V. Suppressio poenalis Sedis episcopalis ; Translatio poenalis Sedis episcopalis ; Infamia ; Inhabilitas ; Mulcta pecuniaria.
Elenchus poenarum vindicativarum clericorum, 1793. V. Privatio poenalis officii vel beneficii ; Privatio ad tempus habitus ecclesiastici ; Praescriptio vel prohibitio poenalis commorandi in certo loco ; Depositio ; Privatio perpetua habitus ecclesiastici ; Degradatio.

POENITENTIAE. Notio, 1808. — Divisio, 1809. — Impositio poenitentiae, 1810. Praecipuae poenitentiae, 1811.

POENITENTIAE SACRAMENTUM sine jurisdictione administrantes puniuntur, 1870. V. Confessio sacramentalis ; *Parochus*, functiones et jura ei reservata ; Confessarius ; Confessarii religiosarum ; Confessarii religiosi ; Confessarii religiosorum.

POENITENTIARIA (S.). Notae historicae, 598. — Competentia, 599.

POLYCARPUS, collectio canonum Cardinalis Gregorii, 60.

PONTIFICALIA. Exercitium, 691.

PORTIO CANONICA EPISCOPI in funeralibus, 688.

PORTIO CANONICA AUT PAROECIALIS. V. Taxae funerales.

POSTULATIO. Notio, 420. Divisio, 421. Normae postulationis, 422.

POSTULATUS. Notio, necessitas et duratio, 987. — Servanda in postulatu, 988.

POTESTAS ECCLESIASTICA. Notio, 436. Divisio in potestatem ordinis et jurisdictionis, *ibid.* Potestas magisterii, *ibid.* — Abusus ejus puniatur, 1907. V. Jurisdictio.

PRAECEDENTIA. Notio, 334. — Normae generales, 335. — Competentia Ordinarii, 336. — Praecedentia Episcoporum, 702, — piarum fidelium associationum, 1082, religiosorum, 934, vicariorum paroecialium, 895.

PRAECEPTUM POENALE, 1805.

PRAEDICATIO. Quibus competat jus et officium praedicandi, 1287. — Jus et officium praedicandi Episcopi, 683. — Jus ipsius invigilandi ut parochi hac obligatione debite fungantur, *ibid.* ; jus et officium ipsius probandi idoneitatem praedicatorum, eosque mittendi, *ibid.* — Necessitas missionis canonicae 683, 1288. V. *Episcopus*, jus docendi ; *Parochus*, obligatio docendi ; *Vicarii paroeciales*, vicarii cooperatores ; Catechetica institutio; Conciones.

PRAEFECTURA APOSTOLICA. Erectio, circumscriptio, unio, divisio, suppressio, 489.

PRAEFECTI APOSTOLICI. V. Vicarii et Praefecti Apostolici.

PRAELATUS. Notio, 346.

PRAELATI DOMUS PONTIFICIAE, 655.

PRAELATI INFERIORES. Notio, divisio, institutio, jura et obligationes, 654.

PRAELATI NULLIUS, 654.

PRAESCRIPTIO VEL PROHIBITIO POENALIS COMMORANDI IN CERTO LOCO, 1796.

PRAESCRIPTIO. Notio et species, 1459. — Principium de applicatione legis civilis, 1460. — Res praescribiles 1461. — Specialia ex jure canonico de tempore requisito ad praescribendum, 1462. — Requisita bona fides, 1463.

PRAESCRIPTIO ACTIONIS POENALIS, 1729.

PRAESENTATIO. Poenae eorum qui indignum praesentaverint, 1894.

PRAESTATIONES debitas recusantes puniantur, 1852.

PRAESUMPTIO. Notio. Divisio. Vis probativa, 1587.

PRECES XL HORARUM. V. SS. Eucharistia.

PRIMATES, 617 s.
PRINCIPATUS CIVILIS R. P. *Compatibilitas* utriusque potestatis, 535. — *Necessitas* hodierna principatus civilis, 536 ss. — *Legitimitas*, 538. — R. Pontifex nequit renuntiare huic principatui, 539.
PRIMITIAE, 1452.
PRISCA VEL ITALA collectio, 40.
PRIVATIO OFFICII ECCLESIASTICI. Notio, 430. Forma sive agatur de officio inamovibili, sive de amovibili, *ibid.* — Privatio vel depositio Episcopi, 790. — Privatio officii paroecialis, 864. — Privatio poenalis officii vel beneficii, 1794.
PRIVATIO AD TEMPUS HABITUS ECCLESIASTICI, 1795.
PRIVATIO PERPETUA HABITUS ECCLESIASTICI, 1798.
PRIVILEGIA. Notio, 304. Divisio, 305. Interpretatio, 307.
PRIVILEGIA CLERICORUM. V. *Clericus.* Privilegia.
PRIVILEGIA EPISCOPORUM, 703.
PRIVILEGIA RELIGIOSORUM. V. *Religiosi,* privilegia.
PRIVILEGIUM ALTARIS PORTATILIS. V. *Altaria,* altare portatile.
PRIVILEGIUM ALTARIS PRIVILEGIATI. V. *Altaria,* altare privilegiatum.
PRIVILEGIUM CANONIS violantes poenis plectuntur, 1846.
PRIVILEGIUM FORI. Poenae eorum qui privilegium fori violant, 1844.
PROBATIONES JUDICIALES. Via ad probationes habendas, 1579. — Notio et divisio, 1580. Quae non indigent probatione, 1580. V. Singulas probationes in specie ; *Causae de beatificatione,* probationes.
PROCESSIONES. Notio et divisio, 1269. — De processione in festo Corporis Christi, 1270. — Processionum indictio, 1271. — Modus ducendi processiones, 1272. — Processiones sollemnes extra ecclesiam, ad quem pertineant, 835. V. *Parochus.* Jura.
PROCESSUS. Ordo totius processus. Processus introducendus, 1575-1578 ; instruendus, 1579-1595; finiendus, 1596-1599.
Processus judicialis servandus in dimissione religiosi votorum perpetuorum in religione clericali exempta, 1062.
PROCESSUS SUMMARII. Normae communes. Authenticitas actorum procuranda, 1670. Secretum servandum, 1671. Processus forma, 1672. Recursus ad S. Sedem, 1673.
PROCURATIO CANONICA, 688.
PROCURATOR JUDICIALIS, 1559.
PROCURATORES apud Dicasteria Romana, 577.
PROFESSIO FIDEI jure ecclesiastico praescripta. Notio, 1388. — Conditiones requisitae quoad emissionem professionis fidei, 1389. — Quinam ad professionem fidei teneantur, 1390. — Sanctiones, 1391. Poenae in professionem fidei negligentem, 1906.
V. Canonicus, Parochus.
PROFESSIO FIDEI EXTERNA quandonam ex jure divino a fidelibus praestanda est, 1284.
PROFESSIO RELIGIOSA. Notio, 1003. — Divisio, 1004. — Conditiones validae professionis, 1005. — Ritus, annotatio et renovatio professionis, 1006. — Effectus professionis omnis, 1007, professionis temporariae, 1008, professionis simplicis sive temporariae sive perpetuae, 1009 ; effectus proprii professionis perpetuae, 1010, professionis sollemnis, 1011. — De professionis convalidatione, 1012.
Religiosus clericus cujus professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata puniatur, 1890. — Superior qui indebite aliquem ad professionem admiserit puniatur, 1913.
PROHIBITIO LIBRORUM. Prohibitio juris naturalis, 1333. Prohibitio juris divini positivi, 1334. Prohibitio juris ecclesiastici, 1335. Fundamentum prohibitionis ecclesiasticae, *ibid.* Notiones historicae, 1338.
Jus vigens. Extensio legis. Normae interpretationis. Notio libri, libelli, libelli periodici, scripti, manuscripti, 1339.
Auctor prohibitionis, 1354.
Extensio prohibitionis, ad universam Ecclesiam, ad versiones et editiones, 1356, ad singulas vetiti operis partes, 1357, ad opera codici anteriora, 1358. — De vi quarumdam clausularum : opera omnia, data opera, donec corrigatur, 1359.
Vis prohibitionis, prohibitio comprehendit editionem, lectionem, retentionem, venditionem, versionem, communicationem, 1361.
Obligatio moralis, 1361, 1386.
Libri prohibiti ipso jure. Proscriptae editiones, versiones, libri S. S., 1362, 1366, 1367 ; libri haeresim, schisma

propugnantes, aut fundamenta religionis evertentes, 1363 ; libri religionem aut bonos mores impetentes, 1364 ; libri acatholicorum ex professo de religione tractantes, 1365 ; libri novas apparitiones, revelationes, etc., enarrantes, aut novas devotiones inducentes, 1368 ; libri dogma aliquod impugnantes aut deridentes, errores ab Apost. Sede damnatos tuentes, cultui divino detrahentes, disciplinam ecclesiasticam evertentes, hierarchiam aut statum clericalem aut religiosum probris afficientes, 1369 ; libri superstitiosi, 1370 ; libri qui suicidium, duellum, divortium licita statuunt et sectas massonicas defendunt, 1371 ; libri obsceni, 1372 ; editiones librorum liturgicorum editionibus authenticis haud conformes, 1373 ; libri indulgentias apocryphas, aut proscriptas aut revocatas divulgantes, 1374. Libri speciali decreto proscripti, 1376.

Exempti a lege prohibitionis : qui studiis theologicis vel biblicis operam dant ; Cardinales, Episcopi, Ordinarii, 1377.

Licentia legendi et retinendi libros prohibitos. Necessitas licentiae, 1378. — Superiores qui requisitam licentiam dare possunt, 1379. — Extensio et usus facultatis, 1380.

Venditio librorum prohibitorum, 1381.

Obligatio pastoralis officii circa prohibitos libros, 1382.

Sanctiones in transgressores prohibitionis, 1384 s.

V. Index Trimentinus ; Index librorum prohibitorum ; Denuntiatio librorum.

PROMOTOR FIDEI, 1648.

PROMOTOR JUSTITIAE, apud tribunal dioecesanum, 1528.

PROTECTORATUS MISSIONUM, 195, nota 6.

PROTONOTARII APOSTOLICI, 656.

PROVINCIA ECCLESIASTICA. Erectio, circumscriptio, divisio, unio, suppressio, 489.

PROVINCIA RELIGIOSA, quid, 932. — Erectio, 527, 938. — Suppressio, *ibid.*

PROVISIO CANONICA parochorum, 811 ss. — V. *Episcopus*, Creatio.

PSEUDO-ISIDORIANA COLLECTIO, 48 ; compositio, 48; auctor, tempus, locus, 49 ; scopus, 50 ; influxus, 51.

PUBLICATIO PROCESSUS, 1593.

PUNCTATORES CAPITULI, 751.

Q

QUAESTIO PRAEJUDICIALIS, quo ordine cognoscenda, 1550.

QUAESTIONES INCIDENTES, quo ordine cognoscendae, 1550. — Causae incidentes *in genere*, 1588. Notio, Species, 1589. *In specie*, 1590. V. Contumacia ; Interventus tertii in Causa ; Attentatum lite pendente.

QUAESTUATIO. Notio, 1037. — De quaestuatione regularium mendicantium, 1038 ; religiosorum a votis simplicibus, 1039; Orientalium, 1040. — Qualitates quaestuantium, 1041. — Modus servandus in quaestuatione, 1042. V. Eleemosynae.

QUARTA DECIMATIONUM, 688.

QUASI-DOMICILIUM. Acquisitio et amissio quasi-domicilii, 318. Quasi-domicilium paroeciale et dioecesanum, 319. — Effectus quasi-domicilii, 320.

QUASI-PAROCHUS. V. Parochus.

QUASI-PAROECIAE, 490.

QUERELA NULLITATIS. Notio, 1607. — Usus, 1608.

QUESNELLIANA COLLECTIO, 42.

R

RAPINA. Poenae, 1858.

RAPTUS MULIERIS. Poenae, 1857.

RECIDIVUS, 1697. Reincidentia relate ad imputabilitatem delicti, 1697, 1787.

RECONVENTIO, 1570.

RECTORES ECCLESIARUM. Notio, 898. — Nominatio et approbatio, 899. — Jura rectoris, 900. Obligationes, 901. Stabilitas, 902.

RECURSUS AD S. SEDEM cum effectu suspensivo aut cum effectu devolutivo tantum, 1514.

Recursus contra Ordinariorum decreta, 1534 ; a decreto amotionis administrativae parochorum, 863 ; in processibus summariis, 1673 ; in suspensione ex informata conscientia, 1685 ; a poenis inflictis vindicativis, 1787 ; a remediis poenalibus, 1807.

REGULA RELIGIOSA, medium ad finem status religiosi, 910, 920. — Notio, 921. — Approbatio, 922. — Praecipuae regulae, *ibid.* — Obligatio servandi regulam, 1017.

REGULAE JURIS, 83. V. *Lex*, interpretatio.

REGULARES, Quid, 932.
REGINONIS PRUMENSIS libri duo de synodalibus causis, 54.
RELIGIO. Quid sit, 932. — Religio exempta, monastica, quid, *ibid.* — Religio juris pontificii et jus dioecesani, quid, *ibid.* — Religio clericalis et laicalis quid, *ibid.* — *Erectio* religionis. Notae historicae, 935. Jus vigens, quoad congregationem juris dioecesani, 936, quoad congregationem juris pontificii, 936, 932, quoad ordinem, 936. V. Causae majores. — Suppressio religionis, 937. — *Regimen* religionum. V. Superiores religiosorum ; Capitulum ; Confessarii ; Cappellani ; Bona temporalia religiosa. — Admissio in religionem, 985. V. Postulatus ; Novitiatus ; Professio religiosa.
RELIGIONES IN BELGIO. Societates piae, 914. Congregationes religiosae, 915. Ordines religiosi, 916, virorum, 917, monialium, 918. Moniales in Belgio pendent ab Ordinariis locorum, 948.
RELIGIOSI. Quid, 932. Distinctio religiosorum, 931. — Jus quo religiosi reguntur, 933. — *Praecedentia* religiosorum, inter ipsas religiones, 934, inter religiosos et clerum saecularem, 934. — *Obligationes* religiosorum : Obligationes communes cum clericis, 1014 ; obligatio sectandi perfectionem, 1015 ; obligatio servandi vota, 1016. V. Vota religiosa ; — obligatio servandi regulam et constitutiones, 1017; obligatio vitae communis, 1018; exercitia pietatis, 1019 ; obligatio deferendi habitum religiosum, 1020 ; obligatio clausurae, 1021. V. Clausura ; — obligationes circa sacrum ministerium, 1026 ; obligatio divini officii, 1027.

Obedientia Ordinario loci praestanda, 1029.

Privilegia religiosorum. De modis acquirendi privilegia, 1030 s. — Privilegia religiosorum cum clericis communia, 1032. — Privilegium exemptionis : notio, 1033 ; exemptio regularium, 1034; Casus a jure excepti in quibus exempti Ordinariis subduntur, *ibid.* ; limitationes exemptionis, *ibid.*; exemptio religionum votorum simplicium, 1035. V. Exemptio. — Privilegium mendicantium, 1037 ss. V. Quaestuatio.

Obligationes et privilegia religiosi *ad ecclesiasticam dignitatem* promoti. Principia circa promotionem, 1044.

Religiosus promotus ad Cardinalatum vel Episcopatum, 1045.

Obligationes et jura religiosi *paroeciam regentis*, 1046.

Transitus ad aliam rligionem. Notio, 1047. Transeundi facultas, 1048. Jura et obligationes transeuntis.

Egressus licitus e religione, expleto tempore professionis temporariae, 1051, per indultum exclaustrationis, 1052.

Egressus illicitus, per apostasiam a religione, 1054. V. Apostata a religione ; per fugam. V. Fuga a religione.

Dimissio religiosorum. Fontes et species dimissionis, 1056 ; de dimissione religiosorum professorum votorum temporariorum, elapso tempore votorum, *ibid.* et 1051, perdurante militari servitio, 1005. — Dimissio religiosorum ipso facto, 1057. — Dimissio religiosorum durantibus votis *temporariis* : Superiores competentes ; modus procedendi ; effectus, 1058. — Dimissio religiosorum votorum perpetuorum in religione clericali non exempta vel in religione laicali. Dimissio virorum, 1059 Dimissio religiosarum, 1060. Dimissio in casibus urgentioribus, 1061. — Processus judicialis in dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali exempta, 1062. — Conditio juridica dimissi qui vota perpetua nuncupavit, 1063 s.

Religiosi vetantur sine licentia sui Superioris majoris et Ordinarii loci libros quoque qui de rebus profanis tractent, edere, et in diariis vel libellis periodicis scribere, eaque moderari, 1343. — Religiosi, in quibus ab Ordinario loci puniri possint, 1713. — Religiosus legem vitae communis violans puniatur, 1892.

V. Episcopus; Paroecia; Parochus; Vicarius personae moralis ; Religio ; Conciones ; Catechetica institutio ; *Sepultura ecclesiastica*, ecclesia funerans, minister funeris ; Status religiosus.
RELATIO DE STATU sui territorii a Vicariis et Praefectis Apostolicis, 646, cf. t. II, VI ; suae dioecesis ab Episcopo, 696.
RELATIO DE STATU RELIGIONIS, 958.
RELATOR, 1526. — Cardinalis relator in causis beatificationis, 1651.
RELIQUIAE. Notio relikuiarum, 1268. — Principium circa cultum, 1265. —

Cultus reliquiis tribuendus, 1268. — Alienatio reliquiarum, 1268. — Poenae in abutentes falsis reliquiis, 1826.

REMEDIA JURIS contra sententiam. Notio. Divisio, 1600. V. Appellatio ; Querela nullitatis ; Oppositio tertii ; Restitutio in integrum ; Supplicatio.

REMEDIA POENALIA. Antiquior disciplina et jus vigens. Notio, 1800. — Elenchus remediorum poenalium, 1801. V. Monitio poenalis ; Correptio poenalis ; Praeceptum ; Vigilantia. — Recursus, 1807.

REMOTIO ADMINISTRATIVA parochorum, 863.

RENUNTIATIO officii ecclesiastici. Notio, 424. Divisio, 425. Tacita renuntiatio, 426. Requisita legitimae renuntiationi, 427. Effectus acceptationis, 428. Publicatio acceptatae renuntiationis, 429. — Renunciatio muneri episcopali, 788, — muneri paroeciali, 861.

RES CIVILES, 222.

RES ECCLESIASTICAE : Notio, 223, 1097. — Res ecclesiasticae ratione sui ecclesiasticae, 224 ; ratione finis, 226 ; ratione personarum, 227. V. Immunitates ; Privilegia clericorum. — Divisio in res spirituales, temporales, mixtae, 1097. — Res temporalis spirituali annexa antecedenter, concomitanter, consequenter, 1098. V. Res spirituali annexae.

RES JUDICATA. Res quae nunquam transeunt in rem judicatam. Effectus rei judicatae, 1597.

RES MERE SPIRITUALES, 224.

RES MIXTAE vel mixti fori, 228 ss. Praxis hodierna, 233.

RES POLITICAE clericis alienae sint oportet, 382. — Ordinarie clerici non est diaria politica moderari et conscribere, 1383.

RES SPIRITUALI ANNEXAE, 225, 1098.

RESCRIPTUM. Notio, 289. — Divisio, 290. — Personae habiles, ad danda vel accipienda rescripta, 291. — Forma extrinseca et intrinseca rescriptorum, 293 ; clausula rescriptorum, 294. — Vitia rescriptorum extrinseca et intrinseca, 295 s. — Interpretatio rescriptorum, 300. — Exsecutio rescriptorum ; Exsecutor, 301 ; Modus exsequendi rescripta, 302. — Cessatio rescripti, 303.

Qui obreptionem aut subreptionem in precibus commiserint puniantur, 1865.

RESERVATIO BENEFICIORUM S. SEDI, 1416.

RESERVATIO CENSURARUM. V. *Censurae*, reservatio.

RESERVATIO PECCATI distinguenda a reservatione censurae, 1736.

RESERVATIONES PONTIFICIAE in materia censurarum et peccatorum, causarum criminalium et beneficiorum, 530. Reservationum origo, *ibid.*

RESIDENTIA Canonicorum, 774. V. *Capitulum*, obligationes; — parochorum, 839 ss. V. *Parochus*, obligationes; — superiorum religiosorum, 958 ; — vicariorum cooperatorum et coadjutorum, 883.

Poenae eorum qui legem residentiae negligunt, 1885.

V. *Episcopus*, obligationes.

RESTITUTIO IN INTEGRUM. Notio, 1569, 1610. Judex competens et effectus, 1610.

RESTITUTIO IN INTEGRUM, 1569.

REUS in judicio. Notio, 1557. — Obligatio respondendi, 1558. Capacitas respondendi per se vel per alium, *ibid.* V. Constitutio rei.

REVIVISCENTIA censurarum, 1743.

RITUS. V. *Persona physica*, distinctiones personarum.

RITUS ET CAEREMONIAE. Poenae eorum qui ritus et caeremonias in sacro ministerio negligunt, 1882.

ROMANUS PONTIFEX. *Electio* R. P. Designatio personae successoris ab ipso Pontifici, 496. — Modus eligendi R.P., 497. Electores, 497. Conclave, 498, cf. t. II, p. V. Eligendus, 499. Forma electionis, 500. De vitandis in electione, 501. Acceptatio et proclamatio electionis, 502. Poenae in delinquentes in eligendo R. Pontifex, 1830. — *Consecratio* et *coronatio*, 503. — *Insignia* R. P., 605. — *Potestas* R. Pontificis. Principia dogmatica, 506. Jus ferendi leges. Errores, 507. Probatur potestas legislativa R. P., 508 ss. Potestas quoad jus naturae et divinum, 513. Potestas quoad jus ecclesiasticum : R. Pontifex non est subjectus imperio canonum, 515 s. Potestas recipiendi appellationes, 518. Jus tractandi causas majores, 520. V. Causae majores ; Reservationes ; Appositio manus pontificiae. Jus R. Pontificis mittendi Legatos, Nuntios et Vicarios apostolicos, 532 s. Jus recipiendi legationes, 534. — *Amissio* dignitatis pontificiae, morte, abdicatione, depositione, 541. — Funera, 1188, 1203.

Poenae in eos qui contra auctoritatem R. P. delinquunt, 1831.
— V. *Beneficia Ecclesiastica*, collatio ; *Cultus*, moderatores cultus divini ; Principatus civilis R. Pontificis.
ROTA ROMANA. Notae historicae, 1533. Notio et compositio Tribunalis, 1534. — Competentia, 1535. — Modus recurrendi ad S. Rotam, 1536. Valor juridicus sententiarum, 1537.

S

SACRAMENTA indignis administrantes puniantur, 1868. — Ea simoniace administrantes vel recipientes, puniuntur, 1875.
SACRILEGIUM, Poenae in sacrilegium perpetrantes, 1825.
SAECULARIZATIO. Notio et concessio. Effectus relate ad religionem, Episcopum proprium, exercitium ordinis, officia et beneficia, 1053.
SANCTI. Cultus sanctorum. Principium, 1265. De cultu Beatorum et Sanctorum, privatus et publicus ; diversitas cultus publici erga Beatum et Sanctum, 1266. De Patronis, *ibid.*
SANCTUM OFFICIUM. V. Congregatio S. Officii.
SCHISMA. Notio canonica, 1285.
SCHISMATICI. Poenae, 1814. Sunt indigni sepultura ecclesiastica, 1232 ; sunt irregulares, 1931. — Edentes, defendentes, legentes, retinentes libros schismaticorum schisma propugnantes excommunicantur, 1384.
SCHOLAE. Notio et divisio scholarum, 1324. — Principium fundamentale quoad institutionem catholicam puerorum, 1325. — Jus et officium parentum, 1326. Jus et officium illorum qui parentum locum tenent, *ibid.* — Institutio religiosa in scholis primariis secundariis et superiores, 1327. Prohibita frequentatio scholarum acatholicarum, neutrarum et mixtarum, *ibid.* — *Jus Ecclesiæ* condendi scholas, 1328. Indoles scholarum ab ipsa conditarum. Auctoritas a qua scholae ecclesiasticae pendent, *ibid. Universitatum* catholicarum regimen et institutio, 1329. Scholae primariae et secundariae, et Universitates catholicae promovendae, 1329. Frequentatio Universitatum a clero, 1330. — Jus directum et indirectum Ecclesiae circa quaslibet scholas, 1331. — Forum sacramentale in scholis, 1332. Obligationes Episcopi circa illas, 684. — Obligationes parochorum, 856.
SCRIPTURA (S.) fons juris canonici. Vetus Testamentum, 13. — Novum Testamentum, 14. Versionis S. Scripturae editio, 1348. — Quinam libri, editiones, versiones S. Scripturae prohibentur, 1362, 1366, 1367. Qui studiis theologicis vel biblicis operam dant exempti sunt a lege prohibitionis, 1377. Poenae in auctores et editores qui S. Scripturae libros, adnotationes, commentarios edunt sine debita licentia, 1387.
SCRIPTURAE, ut probatio in judicio. V. Instrumenta.
SECRETARIA BREVIUM AD PRINCIPES ET EPISTOLARUM LATINARUM, 606.
SECRETARIA STATUS, 605.
SECTA MASSONICA aliaeve ejusdem generis societates, 1232. An socialistae inter sodales hujusmodi societatis adnumerandi sint, *ibid.* V. Associationes damnatae. Societates prohibitae. — Sectae massonicae addicti indigni sepultura ecclesiastica, 1232. — Libri qui sectas massonicas defendunt prohibentur, 1371. — Poenae in eos qui tali sectae nomen dant, 1835. Reconciliatio massonum cum Ecclesia, *ibid.*
SECRETUM servandum in tribunalibus, 1549, — in processibus summariis, 1671.
SEDI EPISCOPALI IMPEDITAE per impedimenta physica, 784, per impedimenta moralia, 785 quomodo provideatur, *ibid.*
SEDES EPISCOPALIS VACANTE. Cf. *Capitulum* Jura externa, sede vacante ; Vicarius Capitularis.
SEMINARIA. Notio, 1306. — Divisio, 1307. — Origo, 1308. — Necessitas, 1309. — Jus Ecclesiae, 1310. — Candidatorum praeparatio praesertim a parochis, 1311. — De *instituendo* seminario, 1312. Modi procurandi reditus seminariis, 1313. — *Regimen et administratio.* Jus et officium Episcopi, 1314. Regimen Seminarii interdioecesani, *ibid.* — Coetus deputatorum, 1315. Officiales in genere, 1316. Rectoris munus, Magistri, Confessarii, Directoris spiritus, *ibid.* — *Admissio alumnorum.* Applicatio redituum legati pro instituendis clericis. Facultas

admittendi. Dotes requisitae, 1317. — *Regimen studiorum,* quoad scholas inferiores et superiores, 1318. *Regimen vitae spiritualis,* 1319. — *Seminarii disciplina.* Exemptio Seminarii, 1321. Disciplina interna, 1322. — *Dimissio alumnorum,* 1323.

Obligationes Episcopi circa seminaria, 684.

V. *Sepultura ecclesiastica,* ecclesia funerans.

SEMINARISTICUM, 688, 1458.

SENTENTIA. Definitio. Species, modus eam ferendi, forma, 1596. Exsecutio sententiae, 1599.

SEPULCRA. Poenae in sepulcra violantes, 1828.

SEPULCRUM MAJORUM SEU GENTILITIUM, 1181. — Sepultura et funus apud sepulcrum majorum, 1200. — Minister funeris, 1209 ss.

SEPULTURA ECCLESIASTICA. Obligatio sepeliendi corpora fidelium, 1168. V. Crematio. — Notio sepulturae ecclesiasticae, 1169. — Locus sepulturae, in coemeteriis, 1172, in aedibus sacris, 1174. — De obligatione totius ritus sepulturae ecclesiasticae, 1184.

Ecclesia funerans. Notio. Principium generale, 1185. — Ecclesia funerans pro defunctis intra propriam paroeciam, 1186, extra propriam paroeciam, 1187. — Ecclesia funerans pro Papa, 1188, Cardinalibus, 1189, Episcopis, 1190, beneficiariis residentialibus, 1191, presbyteris et clericis, 1192, religiosis, 1193, hospitibus, alumnis, infirmis, 1194, defunctis in Seminario, 1195. — Ecclesia funerans in casu *sepulturae electivae.* Notio, 1196. — Qui eligere possint, 1197. — Conditiones requisitae ad electionem ex parte ecclesiae funeris, ex parte coemeterii sepulturae, ex parte eligentis, 1198. — Ecclesia funerans in casu *Sepulturae et funeris apud sepulcrum majorum,* 1200.

Minister funeris. Principia, 1201. — Minister dum parochianus obiit et sepelitur in propria paroecia, 1202, dum parochianus obiit in aliena et sepelitur in propria, *ibid.* — Minister pro funeribus R. Pontificis, 1203, Cardinalium, 1204, Episcopi, 1205, beneficiati, 1206, religiosi et religiosae, 1207 s. — Minister funeris in casu sepulturae electivae aut sepulcri majorum, 1209 ss.

Tumulatio cadaveris. Locus et ritus, 1212. Minister tumulationis, 1213.

Associatio cadaveris. Notio, et disciplina, 1214.

Concessio aut negatio sepulturae ecclesiasticae. Quibus concedenda est, 1227, quibus neganda est, 1228. Privatio sepulturae ecclesiasticae ex defectu baptismi, 1229. — *Indigni* sepultura ecclesiastica in genere, 1230 s. — In specie : Haeretici, apostatae, schismatici, massones, 1232. — Excommunicati et interdicti post sententiam, 1233. — Suicidae, 1234, duellantes, 1235, qui mandaverint corpus suum crematione tradi, 1236, alii peccatores publici, 1237.

Jura superiorum religiosorum, 958.

Poenae eorum qui violant prohibitionem ecclesiasticae sepulturae, 1842.

V. Coemeteria ; Taxae funerales ; Portio canonica.

SEPULTURA ELECTIVA. V. *Sepultura ecclesiastica,* ecclesia funerans, minister funeris.

SEQUESTRATIO rei, 1565.

SERVI sunt ad ordines impediti, 1941.

SERVITIUM MILITARE. Ad hoc adstricti sunt impediti ad ordines, 1842. V. Militia : *Religiosi,* dimissio.

SEXTUS DECRETALIUM Bonifacii VIII, 83.

SIGILLUM SACRAMENTALE violantes puniuntur, 1873.

SIGNATURA APOSTOLICA. Origo, 1539. Compositio, 1540. Competentia, 1541. Modus procedendi, 1542.

SIMONIA. *Notio* simoniae juris divini, 1098, simoniae juris ecclesiastici, 1099. *Malitia* simoniae. Species moralis, 1101. Species theologica, 1102. *Tituli a simonia excusantes.* Liberalitas pura, 1104 ; gratitudo, 1105 ; ministri sustentatio aut ecclesiae intertentio, 1106 ; consuetudo, 1107 ; labor extrinsecus, 1108 ; redemptio injustae vexae, 1109 ; legitima superioris dispositio, 1110. — *Sanctiones.* Invaliditas eorum quae simoniace fiunt ; poenae simoniacorum, 1112.

Simonia in sacramentis administrandis vel recipiendis ; poenae, 1875.

Poenae eorum qui simoniam perpetrant in quibuslibet officiis, beneficiis et dignitatibus, 1895. V. *R. Pontifex,* electio.

An pro loco sepulturae pecunia exigi possit, 1177.

SOCIALISMUS, quid censeat socialismus scientificus et politicus de ecclesia

ejusque relatione cum statu, 214. V. Secta massonica.
SOCIETAS. Natura, 128 ss. — Species, 130 ss. — Conflictus inter societates, 137.
SOCIETATES IN COMMUNI VIVENTIUM SINE VOTIS. Notio, divisio et erectio, 1065. — Regimen societatis, 1066. Sodalium status, jura, obligationes, 1067. — Plures sanctiones communes sodalibus et religiosis, 1068.
SOCIETATES PROHIBITAE sub vel absque censuris, 1835.
SODALITIUM DOCTRINAE CHRISTIANAE, 855.
SOLLICITATIO. Eam falso denuntiantes puniuntur, 1867. Poenae in ipsos sollicitantes ad turpia, 1872.
SORORES, quid, 932.
SPECIES CONSECRATAE. Poenae in eas profanantes, 1820.
SPECTACULA PROFANA. Poenae clericorum qui haec adeunt, 1883.
STATUS CLERICALIS. Cogentes ad eum amplectendum poenis afficiuntur, 1856.
STATUS RELIGIOSUS. Natura, 908. — Finis, 909. Media ad finem seu vota et regula, 910. — Approbatio ecclesiae, 923. — Origo dogmatica status religiosi, 924; origo historica, 925, utilitas, 926, praestantia, 927. — Cogentes ad eum amplectendum puniuntur, 1856.
STATUTA CAPITULARIA, 711; cf. t. II, p. VI.
STIPENDIA MISSARUM, eorum taxatio, 1498. — Poenae eorum qui delinquunt circa stipendia missarum, 1824.
STUDIA IN RELIGIONIBUS CLERICALIBUS, 1013.
SUBREPTIO. V. *Rescriptum*, vitia.
SUBSIDIUM CARITATIVUM, 688.
SUCCURSALISTAE. Origo, 810; sunt veri parochi, *ibid.*, licet amovibiles, *ibid.* Hodierna disciplina, *ibid.*
SUFFRAGIA ECCLESIAE, 1760.
SUICIDIUM. Poenae eorum qui in seipsos manus intulerint, 1854. — Sunt indigni sepultura ecclesiastica, 1234.
SUPELLEX (S.). Notio et divisio, 1273. — Custodia, 1274. — Materia et forma, 1275. — Provisio, 1276. — Cessio supellectilis in casu obitus Cardinalis, Episcopi, beneficiati, 1277. — Cura sacrae supellectilis, 1278. — Subministratio, 1279. — Benedictio et exsecratio, 1280. — Contrectatio et lotio, 1251.
SUPERIORES MAJORES, quid, 932. V. Superiores religiosi.
SUPERIOR REGULARIS. Ejus potestas dispensandi ab irregularitatibus, 1923.
SUPERIORES RELIGIOSORUM. *Exterior hierarchia*, 944. Romanus Pontifex, 945; Cardinalis Protector, 946; Congregationes Romanae, 947; Ordinarius loci, 948. — *Interior hierarchia.* Potestas jurisdictionalis et potestas dominativa, 950. *Capitulum:* notio et species, 951; potestas, 952. *Superiores religiosi:* notio et species, 953; eorum potestas quoad naturam et ambitum, 954. Superiorum constitutio, 955; eorum qualitates requisitae, 955. Duratio in officio superioris majoris et minoris localis, 956. Modus servandus in constitutione superiorum, 957. Obligationes et jura, 958. *Superiorum adjutores:* consiliarii, 960, aeconomi, 961, procurator generalis, 962.
SUPERSTITIO. Poenae in superstitionem exercentes, 1825.
SUPPLICATIO seu beneficium novae instantiae, 1611.
SUPPRESSIO POENALIS SEDIS EPISCOPALIS, 1759.
SUSPECTUS DE HAERESI. Quinam ita habendi sunt. Poenae, 1815, 1816, 1819, 1875. V. Cooperantes in haeresi.
SUSPENSIO. Natura, 1779. — Divisio, 1780.
Effectus. Effectus speciales pro variis suspensionis speciebus, 1782. Effectus communes, 1783.
Violatio suspensionis, 1784.
Cessatio suspensionis, 1785.
SUSPENSIO UT POENA VINDICATIVA, 1779, 1793.
SUSPENSIO EX INFORMATA CONSCIENTIA. Origo hujus remedii, 1678. — Notio et indoles hujus remedii, 1679. — Auctoritas competens, 1680. — Modus procedendi, 1681. — Natura delicti puniendi, 1682. — Poenae quae hoc modo procedendi infligi possunt, 1683. — Manifestatio delicti, 1684. — Recursus devolutivus, 1685.
SYNODUS DIOECESANA. Notio, 706. — Tempus indictionis, 707. — Convocatio et praesidentia, 708. — Locus, 709. — Forma convocationis, 710. Jus et obligatio accedendi, 711. Poenae in eos qui ad Synodum accedere negligunt, 712. Jura eorum qui Synodo intersunt, 713. — Negotia in Synodo tractanda, 714 s. — Modus Synodi celebrandae, 716.

Synodales constitutiones, 678.
Obligatio Episcopi celebrandi Synodum, 697.
SYLLABUS, 93. Textus, t. II, p. 523 ss.

T

TABACI usus a clerico, 371.
TABERNARUM ingressus clericis prohibitus, 377.
TARRACONENSIS collectio, 62.
TAXAE. Jus Ecclesiae eas exigendi, 1444. — Taxationum legitimitas, 1106. — Cui competit varias taxas praefixere, 1455. — Illegitimi taxarum exactores puniantur, 1911.
TAXAE FUNERALES. Notio et legitimitas 1215. Determinatio taxae, 1216. Obligatio taxae, 1217. Perceptio taxae, 1218, quoad pauperes, *ibid.*
Portio paroecialis. Notio, 1220. — Cui debetur, 1221. Casus in quibus debetur, 1222. — Ecclesia quae eam debet, 1223. — De quibus emolumentis est desumenda, 1224. — Quantitas portionis, 1225.
TAXATIONES, expensae et procurationes. Cf. Curia Romana.
TEMPORA SACRA. Notio, 1239. — Institutio, translatio, abolitio, 1240. — *Dispensatio.* Potestas Ordinarii locorum, parochi, Superioris religionis clericalis exemptae, 1241. — Supputatio temporis sacri, 1242.
TEMPORIS SUPPUTATIO. Notiones generales, 285. — Supputatio horae, 286, diei, mensis, anni, 287.
TEMPUS CONTINUUM, 288.
TEMPUS JUDICII. V. Judicium.
TEMPUS UTILE, 288.
TERMINI DILATIONUM, 1551.
TERTIARII REGULARES, 922. Erectio congregationis Tertiariorum jur. dioecesani, 936.
TERTII ORDINES SAECULARES. Notio, 1083. — Erectio, 1084. — Regimen, 1085. — Sodales. Quinam adscribi possunt. Modus receptionis. Obligationes sodalium. Privilegia et gratiae spirituales, 1086.
TESTAMENTUM, 1464 ss. V. Piae voluntates. — Testamentum clericorum, 1277, 1424, — religiosorum, 1001, 1010.
TESTAMENTUM D. N. J. C., 37.
TESTES. Probatio per testes. Obligatio respondendi. Quinam testes esse possint. Quomodo inducantur. Modus examinis. Evulgatio allegationum. Testimonia perpendenda, 1582. — Testes in causis beatificationis, 1651. — Testes in processibus summariis, 1672.
TIARIA, 605.
TITULI HONORIFICI. Eorum prohibitio religiosis, 959.
TITULUS ALTARIUM, 1157.
TITULUS CANONICUS ad ordines, 1877.
TITULUS ECCLESIAE consecratae et benedictae, 1127.
TITULUS JURISDICTIONIS, legitimus, invalidus, nullus aut fictus, putativus, 452. V. *Jurisdictio,* adeptio jurisdictionis, suppletio jurisdictionis.
TRIBUNALIA ECCLESIASTICA. Species tribunalium. Gradus tribunalium ordinariorum primae, secundae et tertiae instantiae. Tribunal supremum et extraordinarium S. Sedis, 1514.
Tribunal dioecesanum. Constitutio et procedendi forma tribunalis unipersonalis aut collegialis, 1522. Praesidentia tribunalis, 1523.
Tribunal secundae instantiae. Judex, 1330. Constitutio et procedendi modus, 1531.
Tribunalia ordinaria S. Sedis, 1322. V. S. Rota ; Signatura Apostolica.
Tribunal delegatum, 1543.
Disciplina in tribunalibus servanda. Cautiones ut disciplina et justitia in tribunalibus serventur, 1549. V. Judex ; Ordo cognitionum ; Termini dilationum ; Fatalia. — Personae ad disceptationem judicialem admittendae, 1555. — Modus acta conficiendi et conservandi, 1554, 1556.
TRIBUNALIA ROMANA in genere, 597. V. singula Tribunalia.
TRIBUTA ECCLESIASTICA, 1458. V. Cathedraticum; Seminaristicum; Census.
TOLERANTIA, 194. Notiones, 195. — *Tolerantia ex parte Ecclesiae,* relate ad infideles eorumque cultus, 196, relate ad haereticos, 197. — *Tolerantia ex parte status catholici,* relate ad infideles, 198, ad haereticos, 199.
TONSURA. Poenae eorum qui tonsuram non gestant, 1883. — V. *Clericus,* obligationes.
TRADITIONES, fons juris canonici, 15.
TRANSACTIO. Notio, 1612. — Subjectum transactionis, 1613. — Normae servandae, 1614. — Objectum transactionis, 1615. — Effectus, 1616.
TRANSLATIO ab uno ad aliud officium

ecclesiasticum. Notio, 431. Divisio, 432. Normae, 433 Effectus, 434.
TRANSLATIO ADMINISTRATIVA PAROCHORUM inamovibilium aut amovibilium, 862.
TRANSLATIO EPISCOPI, 789.
TRANSLATIO POENALIS SEDIS EPISCOPALIS, 1789.

U

ULTIMAE VOLUNTATES. V. Voluntates piae.
UNIONES PIAE. V. Confraternitates.
UNIONES PRIMARIAE. V. Archiconfraternitates.
UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS. Quomodo ei favendum, 1329.
UNIVERSITATES, 1329. V. Scholae.
UNIVERSITATUM CIVILIUM frequentatio a clericis, 379.
USURPATIO. V. Bona ecclesiastica; Bona aut jura Ecclesiae Romanae.
USURA. Poenae, 1858.

V

VACATIO OFFICII. V. Officium ecclesiasticum.
VAGI, 314 ; quibus legibus poenalibus ligentur, 1713.
VENDITIO, 1494.
VENDITIO HOMINIS in servitutem. Poenae, 1858.
VENDITIO LIBRORUM PROHIBITORUM. V. *Prohibitio librorum,* Venditio.
VIATICUM. Jura superiorum religiosorum, 958. V. *Parochus,* Functiones et jura parochis reservata.
VICARIA PAROECIALIS non perpetua non est beneficium, 1396.
VICARIATUS APOSTOLICUS. Erectio, circumscriptio, unio, divisio, suppressio, 489.
VICARII APOSTOLICI. V. Legati Apostolici.
VICARII ET PRAEFECTI APOSTOLICI. Notio, 644. — Potestas, 645. — Obligationes, 646. — Jura honorifica, 647. — Provisio regiminis vacantis vel impediti, 648.
VICARII ACTUALES. V. *Vicarii paroeciales,* Vicarii personae moralis.
VICARII ADJUTORES. V. Vicarii paroeciales.
VICARII COOPERATORES. V. *ibid.*
VICARII CURATI. V. *Vicarii paroeciales,* vicarii personae moralis.
VICARII ŒCONOMI. V. Vicarii paroeciales.
VICARII PAROECIALES. Notio, 866. — Species, 867. — *Vicarii personae moralis.* Notio, constitutio, stabilitas, jura et obligationes, 868, 1046. — *Vicarii oeconomi.* Notio. Constitutio. Jura. Eorum jurisdictio est ordinaria vicaria. Obligationes. Cessatio muneris, 869. — *Vicarii substituti.* Notio. Constitutio. Jura et obligationes, 870. — *Vicarii adjutores.* Notio, 872. Constitutio, 873. Dotes, 874. Jura et obligationes, 875. Cessatio muneris coadjutoris, 876. — *Vicarii cooperatores,* 877. Origo, 878. Constitutio, 879. Potestas eorum in genere, 880 s. Obligationes erga parochum, collegas, parochianos, 882. Obligationes in specie, 883. — Jura viceparochorum in specie, 884. Jura spiritualia, 884, relate ad munera paroecialia, 885 ss. ; jura parocho et viceparocho aliquousque commnia, 890 ss. Jura temporalia : portio congrua, 893 ; jura casualia, *ibid.* — *Cessatio* muneris viceparochi, per revocationem, elapso tempore, morte concedentis, 894. — Praecedentia vicariorum paroecialium, 895.
Quinam parochis in jure aequiparantur, 808.
Quinam tenentur ad celebrandum pro grege, 845.
VICARII PERPETUI. V. *Vicarii paroeciales,* vicarii personae moralis.
VICARII SUBSTITUTI. V. Vicarii paroeciales.
VICARIUS CAPITULARIS. Constitutio, 793, 795. Dotes, 796 s. Potestas, jura et privilegia, 798. Obligationes, 800. Cessatio muneris, 801.
VICARIUS FORANEUS. Notio, 803. Institutio et remotio, *ibid.* Jurisdictio et officium, *ibid.* Jura, *ibid.*
VICARIUS GENERALIS. Notae historicae, 724. — Notio et Nomen, 725. — Constitutio, 726. — Dotes, 727. — *Potestas* Vicarii Generalis. Notio generalis, 728. Est potestas ordinaria vicaria, 729. Ambitus jurisdictionis, 730. — Jura honorifica, 731. — Suspensio et cessatio muneris, 732. — Munus sede episcopali impedita, 784 s. — Negotia gesta a Vicario generali post cessationem muneris episcopalis et certam hujus cessationis notitiam, 791.

V. Administrator Apostolicus.
VICARIUS RELIGIOSUS. Obligationes et jura religiosi vicarii, 1046.
VICE-OFFICIALES, 1520.
VIGILANTIA POENALIS, 1806.
VIOLATIO. V. Ecclesiae ; Coemeteria.
VIOLATIO POENAE ut causa irregularitatis, 1937.
VIOLENTIA. Poenae, 1858.
VIS PHYSICA, tollens imputabilitatem delicti, 1695. — V. *Consensus*. Vitia.
VISITATIO AD LIMINA, Praefectorum et Vicariorum Apostolicorum, 646 ; Episcoporum, 695.
VISITATIO praefecturae et vicariatus apostolici, 646 ; dioecesis, 696.
VISITATIO CANONICA domus religiosae, 958. — Poenae Antistitum qui eam impediverint, 1915.
VITA COMMUNIS, 365.
VIVAE VOCIS ORACULA, 20.
VETO seu exclusiva, 501.
VOTA RELIGIOSA, media ad finem status religiosi, 910. Species votorum religiosorum *ibid.* Sollemnitas votorum, 911. Votum simplex, 912.
Conditio votorum in Gallia et Belgio. Vide Religiones in Belgio.
Obligatio servandi vota obedientiae, paupertatis et castitatis, 1016.
V. Professio religiosa.
VOLUNTATES PIAE. Notiones, 1464. — Capacitas fidelium ad pias causas, 1465. — Observatio sollemnitatum civilium, 1466. — Exsecutio piarum voluntatum, 1467. Jus Ordinarii quoad ipsarum impletionem, 1468. — Fiduciaria bonorum acceptatio ad pias causas, 1469. — Reductio, moderatio, commutatio ultimarum voluntatum, 1470.
Negligentes piarum voluntatum adimpletionem puniantur, 1851.
VULNERATIO. Poenae, 1858.

Y

YVONIS CARNUTENSIS collectiones, 61.

Z

ZEGENPENNINGEN, 837.

Typis Desclée De Brouwer & Socii, Brugis (Belgii). — 1692.

15651